Eb 12

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650014-p0002-1

CLAVIS
POETARVM CLASSICORVM
PARS POSTERIOR.

SIVE

INDEX
PHILOLOGICO-CRITICVS
IN
OVIDIVM ET VIRGILIVM,

MINORI FORMA

IN ORPHANOTROPHEO HALENSI

IMPRESSOS.

AVCTORE

GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH.

HALAE

SVMTV ORPHANOTROPHEI

MDCCLXIX.

MAGNIFICO
ILLVSTRI
D. CAROL. ANDREAE
BELIO
SERENISS. ELECTORI SAXON. A CONSILIIS
AVLAE, PROFESSORI POESEOS
CELEBERRIMO ETC. ETC.

VIR MAGNIFICE, ILLVSTRIS, PATRONE PRAESTANTISSIME.

Quod ei, qui librum, illustri quodam nomine et fauore ornatum, commendare lectoribus cupit, maxime est optabile, vt operam impensam non plane improbari sciat; id mihi

iam contingere, iure quodam meo laetari mihi videor. Cum enim publice, tum priuatim, quae TVA est literarum studium promouendi liberalitas, non displicere TIBI eam, quam in hac claue poëtica adornanda nauauerim, operam haud obscure significasti. Ea vero est literarum humaniorum, quae in explicandis auctoribus antiqui temporis versantur, conditio, vt cum plerique, vel ii etiam, qui eruditionis famam adfectant, philologiae et grammaticae studium diligens alto supercilio fastidire et contemnere soleant, si quem, qui vere faueat, patronum adeptae fuerint, non exiguo solatio recreentur: cum vltro autem non a TE amentur solum, verum etiam exemplo perfecto commenden-

dentur, exsultandum sit earum cultoribus. Esset hic locus dicendi quam amplissimis verbis de conspicuis, qua splendes, laudibus TVIS atque in bonas artes meritis summis; qua tamen data copia, quo minus vtar, prohibet tum verecundia, quae magis admirari quam laudare, pectore colere, quam verbis, assolet, tum cogitatio consuetudinis vulgaris. Omnibus, qui insigniunt libros nominibus celebribus, iste mos est, vt laudum luxuriosa, nonnunquam ridicula effusione, cumulent aut onerent patronos. Ego vero vel leuissima suspicione consuetudinis in dicando hoc TIBI libro vacare optem; animus, non consuetudo, reuerentia virtutum, non ambitio gratiae, me, et omne hoc

meum ſtudium, TIBI tradit; candidum et ſimplicem, vt olim Flaccus Cilnio ſuo, me TIBI offero.

Neque tamen nego, aliquam etiam mei ipſius rationem eſſe habitam; recte ſperans fore, vt quae TV libenter legiſſes, qui citra auctoritatem iudicis incorrupti et grauitatem TE ſemper retinuiſſes, ea omnes libentiſſime vel TVA cauſa legerent.

Conſtitueram, nonnulla hic TVO iudicio ſubiicere, quae ad Ouidii ingenium laudandum pertinerent, cui equidem iniuriam fieri ab plerisque cenſeo, quemque longe maiorem poëtam, ac vulgo habetur, iudico, maiorem adeo,

ſi

si specto fingendi inueniendique artem, acuminis elegantiam, sensuum picturam, Virgilio ipso: at succurrebat praestare ingenuam timiditatem sedulae plurima effundendi cupiditati.

Habes itaque, quae tanti non erant, vt a TE legerentur, nisi illis pretium feciſſes, approbando: quantae igitur venerationis, tantae fiduciae plenus TE oro, vt hic nihil praeter deuotum virtuti TVAE animum quaeras, quem hoc pignore publico dato, TIBI, quoad vita fuerit, consecro. Non est eius, qui fortunae TVAE conspicuae, atque Academiam Lipsiensem et literarum orbem illustrantis, incrementa vsque maiora in votis quotidianis habet,

hoc loco multa bona apprecari. Sic omnibus me probatum iri existimabo, quatenus TIBI me probaro. Vale, et fauore summo TVO me dignare.

NOMINI TVO ILLVSTRI

addictus
GOTTLOB BENED. SCHIRACH.



PRAEFATIO.

Vt, qui decurso fere spatio, iam paene metam contingens, sollicitus, ne collectam effundat gratiam, timet;

Corda pauor pulsat exultantiaque haurit
Pectora —.

ita me propemodum in edenda hac altera *Clauis poëticae* parte affectum sentio. Pauca dicenda habeo, quibus vt facilem te praebeas L. B. oro.

Asse-

Assecutus, quam conceperam, spem, ornatus sum clementi iudicum suffragio, talium, qui ad humanitatem et rerum naturam delapsi, cogitarent, cui hominum generi haec nostra opella dicata esset, ideoque iuuenibus et scholis vtilem censentes, approbatione indulgenti priorem huius libri partem dignarentur. Eo maiori diffidentia posteriorem hanc Clauis partem in lucem edo, in quam licet eandem impenderim curam, tamen, quo nitar nihil habeo, nisi eandem indulgentiam existimatorum doctorum, qui in hoc etiam diiudicando libro, me non viris eruditis, sed iis, qui cognoscere demum auctores velint, aut suppellectili librorum pretiosa carent, scripsisse secum reputent.

Gratias ago quam maximas cum meae, tum Scholarum multorumque lectorum causa, viris doctissimis, qui me ad hunc perficiendum laborem, non illum iucundum, quamuis tenuem, excitarunt plausu liberali, atque humanissimo. Ea profecto est rei nostrae literariae ratio, vt, si vtilitatem publicam iuuet liber, siue meriti siue gloriae minorem partem sibi auctor, maiorem criticus, qui commendat, et incorrupta laudat existimatione, vendicare debeat.

ἡ ἀρε-

ἡ ἀρετη γαρ ἐδεν φέρει
Βροτοισιν, εἰ μη τον κριτην χρηζοντ' ἐχει. (*)

Neque iniuria: tantus est enim librorum vsque prouentus, vt quasi in coena dubia, quid potissimum eligas, non facile reperias. Non ingenii ego, neque doctrinae, gloriam; eorum vtilitatem quaero, quos tale in via elegantiorum literarum ad intelligendos auctores compendium recte iuuare possit.

Complectitur iste liber explicationes *Ouidii*, atque *Virgilii*; prioris, quia non omnia opera in Orphanotropheo impressa prostant, interpretari modo mihi licuit *Metamorph. Fast. Trist. et ponticos libros;* neque tamen non viris harum rerum intelligentibus clarum est, facilem illum poëtam, ceu riuum pellucidum, fluere, magnamque ideo adnotationum molem ipsum recusasse. *Virgilii* opera omnia sedulo excussi, et diligenter, secutus tamen et rationem meam, ostensam praefatione prioris partis, et, quatenus poteram, praeceptionem viri docti, qui in *Ephemeridibus Gottingensibus* non tam res, quam verba explicata in Indice tali postulari docebat. Quantum in Georgicis explicandis debeam *Heynio*, vel tu, L. B. inde colliges, quod optima

(*) Eurip. Supplic. 596.

ma quaeque me ſtuduiſſe vt dicerem profiteor. Fuit autem id mihi propoſitum, vti laudato nomine tanto ſaepius deſiderium iniicerem tibi legendi ipſa ea, quae vir celeberrimus docuerit, quaeque non compilare ſed indicare modo debebam. Si quando faciendum putaui, vt ab *Eius* ſententia diſcederem, conſilium erat ingenium et doctrinam viri excitandi ad perpendenda ea, quae in Aeneide noua protuliſſem. Eo maiori expectatione opto, vt quam primum cum Germania docta Aeneida ab *Illo* expoſitam oculis vſurpare, et inde haurire doctrinae vberem copiam poſſim, quo maiori cum verecundia *Illius* exiſtimationi, quaecunque adnotaui, trado aut refutanda, aut confirmanda.

Ornamenta porro haud exigua contulit in hanc etiam Indicis partem amabilis doctrina viri amiciſſimi et eruditiſſimi, cuius nomen hoc loco non laudare gratiis agendis ſummis, niſi ipſe vetuiſſet, nefas ducerem. Accipe itaque, vir ſuauiſſime, et doctiſſime, animi mei tibi arctiſſimo amoris vinculo dediti profeſſionem publicam, atque me ſic amare perge, vt de te mereri ſtudebo, hoc eſt quam maxime.

Quam-

PRAEFATIO.

Quamuis versatus sim praecipue in docendis iis, qui nondum ad id, quod summum est, in tractando philologiae studio, et intelligendis auctoribus peruenerint: tamen alius generis interdum disputatiunculas appositas esse, haud male laturos esse spero, qui fidem mihi habeant, longe plura, quae in animo obuersarentur, esse omissa, quam dicta, quique diligentiae condonare vbertatem et excursus non grauentur.

Si qui praeterea sint, in quorum reprehensionem iste liber cadat, primum ad omnem meam rationem prouoco, de qua in praefatione I. Partis egi; deinde vero etiam mihi nihil esse profiteor in omni vita iucundius, quam mei ipsius quotidianam emendationem, excepta ea vna, quae aliis nocere tantum, mihi non prodesse possit. Non enim perfectam meam curam, sed librum hunc potius multa adhuc addenda expectare, nec potuisse primo conatu *ad eam, quae quaeritur, speciem et ideam elaborari*, noui ego ipse optime. Quodsi hanc meam operam non inutilem scholis, iisque, quibus eam dicaui, censuerint, quos Germania iustos agnoscit arbitros, *Klotzius*, *Belius*, *Heynius*, paucique alii; multorum lubenter carebo plau-

plausu, neque me huius in hac componenda claue poëtica exhausti laboris, quo pro virium mensura conferre ad philologiae verum studium, et accuratum conatus sum, vnquam poenitebit. Scr. in Regia Fridericiana. a. d. XXX. Martii MDCCLXIX.

CLA-

CLAVIS
OVIDIANA
SIVE
INDEX
PHILOLOGICO-CRITICVS
IN
OVIDIVM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650014-p0019-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650014-p0020-1

A.

A AB, *ante* Fast. 1, 711. Haec erit a mensis fine secunda dies. *adde* Fast. 2, 686. * *post* Met. 3, 273. Surgit ab his solio. *Iuno, postquam haec dixerat, solium reliquit. breuiloquentia, apud Latinos satis frequens. Et ita* ab *saepius pro* post. Met. 4, 329. Pont. 4, 26. * *Sic per breuiloquentiam* Met. 9, 58. vix solui duros a corpore nexus i. *vix solui nexus, et a corpore remoui, reieci, vel simile quid. Heinsius mauult* a pectore *pro* a corpore; *male! namque Hercules inhaeret tergo* cf. vers. 54. * *Per eandem orationis formam, breuiter loquendi, saepius dicitur* ab aliquo cadere, *qui cadit, ab aliquo interfectus* Met. 5, 192. Magna feres tacitas solatia mortis ad vmbras *A* tanto *cecidisse* viro. *Frustra* Heinsius *ad h. l. id satis latinum esse negat, et emendare conatur. Respondet enim a in tali locutione graeco* ὑπο, *quod frequenter coniungitur cum* ἀποθνῃσκειν *et aliis eius generis verbis. exemplis Homerus abundat.* cf. Iliad. α. 242. etc. *Nec Latinis inusitatum. Ipse* Ouidius Met. 13, 596. Occidit *a* forti, sic vos voluistis, Achille. et Epist. 9, 36. Torqueor, infesto ne quis *ab* hoste *cadat. Adde* Valer. Flacc. 8, 317. *Quid? quod et* Plinius *dixit*: perire *ab* aliquo *libr.* 11, 37, vt

Burmannus iam notauerat. * Met. 6, 316. vtque fit *a* facto propriore priora Renarrant: *occasione data, et memoria excitata. vide* Renarrare. * *Ab* Trist. 2, 28. mitissime Caesar, Fiat *ab* ingenio mollior ira meo. *Ciofan. explicat. contra me virum ingeniosum. Burmannus, reprobans hanc interpretationem,* Crispini adfert, *eamque ipsam recte damnat; quae exposuerat:* „flecti „te patiaris meis carmini„bus, vt tu Deos tuis „carminibus placasti„ *sed tamen ipse reponit:* Fiat ab ingenio Mollior ira tuo. i. *a tuis moribus et natura clementi; Male! cf. praeced. versum vbi poëta dixerat ipsum Augustum iussisse,* carmina Phaebo dicere et turigerae Opi; *adeoque pergit, fiat* ab ingenio mollio ira meo. *Quid apertius quam, adeoque et mihi fave, poëtae, qui colis et amas carmina, et vates?* * Pont. 1, 1, 41. Scimus *ab* imperio fieri nil tale Dianae. * *propter* Fast. 4, 338. nomen magno perdit *ab* amne minor, *propter amnem maiorem, quo miscetur.* * *secundum* Fast. 6, 83. populum digessit *ab* annis *h. e. secundum annos, annorum habita ratione.*

ABIRE *de voluntaria coniugis desertione* Fast 3, 474. Ille *abit: me coniugem reliquit.* * abire in flammas *pro* accendi Met. 1, 495. Sic Deus in flammas *abiit.* * Fast. 4, 85. Quo non liuor *abit? progreditur,* sunt qui tibi mensis honorem eripuisse velint. * *interire,* Fast. 4, 709. Factum *abiit,* monumenta manent. *res ipsa perdita, rudera supersunt.*

ABSCINDO *pro discindo* Met. 4, 546. et 5, 398. *Adde* Fast. 4, 448.

ACANTHVS *qui fuerit fuse disputauit Ciofanius ad* Met. 13, 701. Summus inaurato crater erat asper acantho. *Sed breuiter, quid, ad h. l. pertinet, adponamus. Locus classicus de Acantho est apud* Plin. libr. 22. c. 22. „Acanthos est topioria et vrbana herba, elato,

elato, longoque folio crepidines marginum, assurgentiumque puluinorum toros vestiens. Duo generis eius sunt, aculeatum, et crispum, quod breuius, alterum leue, quod aliqui Paederota vocant, alii Melamphyllum. „Inauratum acanthum *igitur Ouidius dixit, quod in aurato cratere Acanthus, figura Acanthi erat insculpta. Namque et vestibus figura acanthi circumtexebatur.* Virg. Aen. 1, 649. Et circumtextum croceo velamen *acantho. Plane geminus vero est nostro Ouidii loco ille* Virg. Eclog. 3, 45. Et molli circum est ansas amplexus acantho. *vbi etiam sculptura intellig. Quodsi plura cupis de* acantho, *et* Gesneri Thesaurus dabit, et conf. inprimis Salmas. Exercit. Plin. pag. 375. seqq.

ACCIDERE *cadere* Fast. 5, 360. *Accidere* in mensas, vt rosa missa solet.

ACCIPERE *notum ex Antiquitt. vocem fuisse solemnem, vbi veteres signum, aut omen quoddam ad se pertinere profitebantur; cui contrarium erat* reiicere, *quod ritibus, notis ex Antiquitt.* (cf. v. c Theophr. Char. c. 12. ibique Casaub.) *fiebat. Aeacus hinc, dum tonitru secundum audit, peractis sacris* Met. 7, 622. Accipio; sintque ista precor felicia mentis Signa tuae, dixi *(narrat)* quae das mihi pignoris omen. *Hanc lectionem, stabilitam a septem, optimae notae Codd. recte in nostra Editione retentam, tuendam certe puto. Burm. edidit:* Quod das mihi, *pigneror* omen. pignerari, *dicens, esse* firmare omina, *vt docuisset in* Ioue Fulgeratore c. 9. *Ergo etiam, quoniam in Ioue Fulgeratore probatum est, hanc phrasin esse latinam, necesse est, et Ouidium ea h. l. esse vsum. Nonne sententia clara lectionis vulgatae? Sint ista signa felicia mentis tuae, quae mihi das, vt omen pignoris i. vt omen, et quasi pignus. Ceterum,*

rum, *si adsciscamus cum Burmanno* pigneror, *inficete Ouidius idem bis dixit.* Pigneror *enim nihil aliud est, nisi* accipio, *quod versu praecedenti iam dixerat Aeacus. Indignor sortem meam, qui saepe in Ouidio cogar facere verba plura, vt probem sanam rationem esse sanam; nempe quia alii negauerunt docti viri.* * sacra accipere *est* celebrare; *de nouis dicitur, quae suscipiuntur, indicuntur.* Met. 4, 2. At non Alcythoe Minyeias orgia censet *Accipienda* Dei.

ACER naribus, *sagax, de cane* Met. 7, 808. Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus *acres* Ire canes nec lina sequi nodosa solebant. *Burm. legit:* Nec — *famulos* nec equos — — lina sequi nodosa *sinebam.* * vultus *acrior, bene de virili, opp. vultui foemineo.* Met. 9, 787. sequitur comes Iphis eundem Quam solita est maiore gradu; *intelligo de passibus, longioribus;* nec candor in ore Permanet; et vires augentur; et *acrior* ipse est Vultus: et incomtis breuior mensura capillis. Plusque vigoris adest, habuit quam foemina. *Transformatio virginis in puerum. Singulae imaginis huius lineae singula gaudent virtute; et eleganter discrimen inter vtrumque sexum depingitur, quatenus poëtae licebat, de ceteris caste, et pulchre*: iam quae Femina nuper eras, puer es: *quo perficiatur pictura.* * acrior aetas Met. 3, 540. * *ferus* Fast. 4, 215. Cur huic genus *acre* leones Praebent insolitas ad iuga curua iubas? *sic acer* equus Met. 3, 704. *et acer* taurus Trist. 4, 9, 29. *adde* Met. 10, 559. * acer fluctus *est impetuosus, vehemens* Met. 11, 529. Sic vbi pulsarunt *acres* latera ardua *fluctus.*

ACERBVS *quum proprie de immaturis pomis, vt norunt omnes, dicatur, eleg. transfertur ad partus, immature editos.* Fast. 4, 647. Et pecus ante

ante diem *partus* edebat *acerbos*.

ACONITVM *vide descriptum* Met. 7, 408. Illud (*Aconitum*) Echidneae memorant e dentibus ortum Esse canis etc. „*Plinius quoque* Histor. Natur. 26, c. 11. aconiton ex spuma cerebri extracti ex inferis natum *dicit*; *Idem dicit* Schol. Nicandri in Alexipharm. et Pompon. Mela 1, 19. et Seruius ad Georg. 2, 151. *Alia fabula est de Aconito apud Auson Idyll. 5. de Historiis; qui ex Promethei sanguine generatum contendit. vide* Plin. loc. cit. 26. 2. *de Aconito. Heinsius.* „*Echidnaea canis dicitur Cerberus, quia ex Echidna monte natus Cerberus fingitur. vid.* Hesiod. Theogon. 308. Alii *Echidnaeam canem Cerberum ideo dictum putant, quia* Echidna *Graecis eadem, quae Latinis* hydra. *vid.* Met. 9, 69. Fast. 5, 405. *atque Hydra Echidnae filia quibusdam est.* * Met. 1, 147. Lucida terribiles miscent aconita nouercae.

ACQVIRERE *parare* Met. 7, 459 Ante tamen bellum vires *acquirit* amicas.

ACVTVS. aes acutum *est cymbalum, propter acutum, et quasi aures pungentem sonum* Fast. 4, 189. sed me sonus aeris *acuti* Terret. *sic* Met. 5, 704. acuti tinnitus.

AD aliquem incumbere Met. 9, 386. Quoniam mihi *fas ad* vos incumbere non est. *non licet me demittere ad vos, et incumbere vobis. vide* Incumbere. * Met. 2, 774. Ingemuit, vultumque Deae *ad* suspiria duxit. (*de Inuidia*) *locum esse corruptum omnes iam viderunt; sed facillime profecto sanandus! lege:* Ingemit, ad vultumque Deae s. d. *quid frequentius, quam eiusmodi transpositio librariorum? et vocab.* ad, *quam saepe sic vsurpatur! Confirmat etiam Gloss. Cod. Leid. quae haec habet:* „Vultus Deae pulcherrimus fuit causa, cur suspiraret.„ * *ad* annum; i. *post annum praeterlapsum.* Fast. 4, 775.

4, 775. * Fast. 2, 323. Fregerat armillas non illa *ad* brachia factas, *non aptas brachiis. vide* Vorst. de Latinit. falso suspect. p. 167. * *apud* Trist. 2, 97. Haec est *ad* nostras non leue crimen auos. Pont. 1, 6. omnis an *ad* magnos culpa Deos scelus est? *Sic*, *et* Phaedrus: *vide* Part. priorem huius Claus.

ADAMANTEVS: nares adamanteae, *de Tauris igniuomis Colchicis.* Met. 7, 104. Ecce *adamanteis* Vulcanum naribus efflant Aeripides tauri. *nares adamanteae sunt* χαλκεχ ϛοματα *ora ex aere facta, qualia dat his tauris* Apollon. Rhod. 3, 230 *unde plura in h. l. Ouidius expressit. conf. voc.* Aeripes

ADAPERTILIS *vox ab Ouidio nata* Trist. 3, 11, 45. Adspicis a dextra latus hoc *adapertile* tauri, *quod facile aperiri possit*; Huc tibi, quem perdes, coniiciendus erit.

ADDERE fidem, *frequens est apud Ouidium, pro* dare, Met. 15, 361. si qua fides rebus tamen est addenda probatis. *et ita saepius.* Epist. 12, 194. It. 21, 136. * addere se in florem *elegantissime* Met. 10, 208. Tempus et illud erit: quo se fortissimus heros (Aiax) *Addat* in hunc florem; solioque legatur eodem, *et ipse mutetur in hunc florem et nomen eius* Al *legatur in folio floris, Hyacinthi scil.* cf. Met. 13, 386-399. * Met. 7, 790. dum digitos amentis *addere* tento. *sed meliores libri habent* indere; *et elegantius est: Sic noster* Met. 12, 321. inserit armento digitos.

ADDICERE *quum proprium sit de oraculis, responsis vatum, et auguriis verbum, significans, ratam rem facere bona dare omina: nihil mutandum est* Met. 15, 647. darentque Orauere Deum; qui praesens funera gentis finiat Ausoniae: certas *addicere* sortes. *Burm. edidit:* certas ita dicere sortes. *male!* cf. Liu. 27, 16. *Legati dicunt, sortes, et Apollinis responsa rem confirmare, et ratum facere*

cere quod petunt. * *constat esse hoc verbum iuris etiam, vnum ex tribus* do, dico, addico, *notareque, alicui ius rei cuiusdam dare, arbitrio committere; hinc suauiter* Met. 1, 617. petit hanc Saturnia munus Quid faciat? crudele suos *addicere* amores; *in potestatem lunonis dare.* Non dare, suspectum.

ADDVCERE clauam, *extollere ad caedendum, vibrare.* Fast. 1, 575. Occupat Alcides: *adductaque* clana trinodis Ter quater aduersi sedit in ore viri; * equi *adducti, sunt, frenis coerciti, vt ne vltra progrediantur.* Fast. 6, 586. Nos tamen *adductos* intus agemus equos.

ADDVCTVS *bene, ad pingendam rem.* Met. 8, 28. Torserat adductis hastilia lenta lacertis. *Et ita saepius* adducta manus, *vt* Met. 8, 358, Vtque volat moles, adducto concita neruo. Met. 9, 52. Epist. 10, 15, et 104. &c. *Bene vero in primo loco* hastilia lenta! * adducta funibus arbor; Met. 8, 775. labefactaque tandem Ictibus innumeris, *adductaque* funibus (*tracta*) arbor corruit, et multam prostrauit pondere siluam.

ADESSE Met. 5, 467. et os et lingua volenti Dicere non *aderant: bene* adesse, *cum dicatur de iis, qui auxilium dant in causis, adsunt reis, qui pro causis loquuntur; quod vero sic interpretandus sit locus, verba consequentia iubent;* nec quo loqueretur habebat; *nempe si* adesse *proprie intelligantur, non ex nostra ratione tautologia est inepta:* non aderant os et lingua, et non habebat, quo loqueretur.

ADFECTVS *aeger* Trist. 3, 3, 14. Lassus in extremo iaceo populisque locisque: Et subit *adfecto* nunc mihi quidquid abest. *Alii legunt* adfectu; *sed temere! vocem autem* adfectus *pro* aeger *saepius inuenies. Heinsius ad h. l. plura exempla attulit, sed non libet eum compilare.*

ADFECTVS *eo sensu quo nos dicimus die Affecten* Met. 8, 473. Thestias haud aliter *dubiis adfectibus* errat. *Fluctuat animo, variis perturbationibus, amore, ira, pietate, indignatione acta. Praecedens comparatio, quamuis non noua ipsa, nouis illecebris tamen ab Ouidio ornata est; namque nauis,* Quam ventus ventoque rapit contrarius aestus, Vim geminam sentit, paretque incerta duobus. *mire,* paret duobus; *et tamen vere! sed totus locus, dubitatio, et fluctuatio, mentis Altheae excellenti imagine, sensuum summa vi, picta est. lege inde a versu* 463-475. * *amor* Trist. 4, 5, 30. Diligat et semper socius te sanguinis illo Quo pius *adfectu* Castora frater amat. * *aegritudo.* Trist. 5, 2, 8. *Adfectus*que animi, qui fuit, ante manet.

ADGEMERE, *in societatem gementis quasi venire, et vna cum aliquo gemere.* Trist. 1, 3, 112. *Adgemit* et nostris ipsa carina malis. *Sic et* Fast. 5, 400. Ingemuit Chiron, traxitque e corpore ferrum: *Adgemit* Alcides, Haemoniusque puer. *vide* Heins. ad h. l.

ADHIBERE, *in auxilium adhibere* Fast. 4, 829. Quosque pium est *adhibere* Deos.

ADIPISCI crimen, *noue, et insolenter, si vera lectio* Trist. 2, 92. Quodsi non prodest, et honesti gratia nulla Redditur, at nullum crimen *adeptus* eram. Heinsius, *hoc minus latinum iudicans, reponit:* Crimen adortus eram. *Burm. coniicit:* Quodsi non prodest, et honestae gloria vitae Perditur: at nullum crimen ademit equum. *Qua lectione nihil ineptius fingi potest. Bis enim idem diceret poëta, et altera vice absurde.* Gloria honestae vitae perditur, *quam inepte hoc loco! Vulgati et optimi libri tenent constanter:* nullum crimen adeptus eram. *Quid igitur? Nihil mutauerim contra fidem omnium bonorum librorum.*

rum. Noua sit locutio. Quot similes iam in Ouidio notaui! quot in aliis poëtis inueniuntur! Si quis tamen sit, qui nimis respuat hanc insolentiam; Heinsianam lectionem accipiat, quam dedimus, certe eam non audacem, aut omnino falsam; me vero comitem non habebit, nec nouam coniicientem lectionem, qui, morem poëtarum in primis Ouidii cognoscere me, mihi persuadeam.

ADMISSVM pro *peccatum* Met. 11, 380. Sed memor *admissi* Nereida colligit orbam. *Vtitur hoc vocabulo libenter Ouidius.* cf. Art. 2, 381. Heroid. Epist. 11, 106. *Admissi* memores sed tamen este rei. *Adde ibid. vers.* 110. Epist. 6, 45. &c.

ADMISSVS: crura *admissa, quae sint, quaeritur, apud* Ouid. Met. 6, 237. Ille vt erat pronus per crura *admissa* iubasque Voluitur et calido tellurem sanguine foedat. *Micyllus explicat: in cursum incitata. Regius: propinqua, iuncta, adstricta. Constant. Fanens. Velocia. Raphael et ipse cum Regio, propinqua, adstricta crura intelligit, ipsius Sipyli, non equi. Glareanus reddit: in cursum permissa. Heinsius denique emendat;* colla *reponens pro* crura; *et ita exhibet etiam Editio Burmanniana; quibuscum facio eo lubentius, cum auctores septem codices habeam.* colla admissa *eleganter dicuntur frenis laxata, vbi frena remissa, admissa.*

ADMONITOR *longe praeclarissime dicitur* Lucifer Met. 4, 663. *Admonitorque* operum coelo clarissimus alto Lucifer artus erat.

ADMOVERE fretum remis Met. 6, 512. *Admotumque* fretum remis, tellusque repulsa. Regius, *Hypallagen putat, mari namque remos, non mare admoueri remis. At quidni?* Micyllus *intellegit* ἀντιθέσιν *simpliciter, in* admoto freto, *et* repulsa tellore. Burmanno *non probatur Micyl-*

Micylli interpretatio. ipse itaque cum Regio Hypallagen quaerit: in vno codice tamen se inueniſſe dicit amotum *pro* admotum; *quod mutandum arbitratur in* emotum. Fruſtra. *Siue itaque accipiendum illud* amotum; *quo quid potest esse facilius intellectu?* Amouetur remis fretum, *nauigant relinquentes fretum*; *siue retinendum* admotum fretum remis; *et poëtica locutio est, et satis elegans pro* nauigant: *namque fretum*, i. *mare* admouetur remis naui, *dum instant remiges, pelluntque aquas. Quae posterior explicatio praeplacet priori.*

ADMOTVS: ſpes admota *i. quae magis apparet, certior, et propinquior facta, non* lenta ſpes, *vt alibi dixit.* Met. 11, 454. His vbi promiſſis ſpes eſt *admota* recurſus.

ADOPTARE opes *adſciſcere, ſibi adiungere, elegánter.* Faſt. 4, 880. Bellum erat: Hetruſcas Turnus *adoptat* opes. cf. Cic. Epiſt. Diu. 5, 9. et Stat. Theb. 7, 259.

ADOPTIVVS Faſt. 4, 22. Et fit *adoptiua* nobilitate tuus.

ADSCITVS: dapes *adſcitae* i. *altunde petitae, pretioſae*, Faſt. 6, 172. Priſca Dea eſt: aliturque cibis, quibus ante ſolebat, Nec petit *adſcitas* luxurioſa *dapes. nouo more inductas*

ADSENSVS *opp. voci rem approbanti* Met. 1, 244. Dicta Iouis pars *voce* probant, ſtimulosque frementi, Adiiciunt, alii partes *adſenſibus* implent. *Sunt qui legant* furenti *pro* frementi, *quod non adeo probo.* Virg. Aen. 10, 97. Vario *adſenſu* fremere.

ADSIMILARE Met. 5, 6. *Adſimilare* freto poſſis, quod ſaeua quietum Ventorum rabies motis Exaſperat vndis. *pro* velut fretum &c. *At neſcio an laudem mereatur hac locutione Ouidius. Mihi videtur vim comparationis frangere; proſaicum quoddam redolens. Ceterum eadem fere, ſimillima certe clamoris*

moris inconditi cum freto a ventis turbato, est apud Homer. Iliad. β. 144. *sed longe amplior.*

ADSTRICTVS: ferrum adstrictum *i. aerugine coniunctum cum vagina* Fast. 4, 930. conatusque aliquis vagina ducere ferrum *Adstrictum* longa sentiat esse mora *diuturnae pacis signum.*

ADSVETVS *cum ablatiuo* Met. 13, 554. Credidit Odrysius: praedaeque *adsuetus amore* In secreta venit. *Heinsius mutare lectionem voluit, sed refutauit eum, et probauit locutionem exemplis pluribus ex aliis scriptoribus* Burmannus, *quem cf.* * *passiue de re, cui adsueti sumus, vel sexcenties occurrere, notum est.* v. c. Fast. 4, 254. &c.

ADSVMERE *cum vi singulari et propria* Met. 7, 79. Vt solet a ventis alimenta *adsumere*, quaeque Parua sub inducta latuit scintilla famillа Crescere, et in veteres agitata resurgere vires; Sic iam lentus amor, iam quem languere putares. *comparatio egregia, ad rem scite lecta: vox* adsumere *pulchre adhibita, dat notionem leniter a vento acceptarum* nec *acceptarum solum, verum etiam captatarum virium, adiumentorum, alimentorum*, inducta fauilla, *pro* imposita *aut superiacenti eleg.* veteres vires *h. l. apprime appellatae, et ad Medeam inprimis respiciunt*, cf. vers. praeced. 34. sqq. lentus amor, *praeclare dictum de amante languido amoris affectu cf. geminos huic locos in* Ouid. Heroid. Epist. 12, 33. sq. *et in* Pseudo-Senecae Medea 75. &c. *Versum sequentem:* Vt vidit iuuenem specie praesentis inarsit, *expungere studuerunt Heinsius, et Burmannus. Immerito. Est enim, si vllus alius, et Ouidio dignus, et h. l. ad sensum necessarius.* Burmannus *quidem putat, non recte dici* amorem inardere specie iuuenis. *At quidni tandem? Nonne eiusmodi tropi*

vel

vel sexcenti apud poëtas occurrunt. Piget exempla ponere. Quod vero dicit „non solet „Noster ita comparationes claudere, vt scintilla solet resurgere in veteres vires, ita lentus „amor; sed addi debet; „sic iam lentus amor et „iam languere visus noua „incrementa capere, vel „simile quid„ *illud recte dictum mouere cum de veritate abiecti versus debebat; namque eo, vt par est, retento, iuste et eleganter clauditur comparatio, et vt vult ipse Burmannus.*

ADVERSVS: Sol aduersus, *vide* Sol.

ADVERTERE lumina Met. 6, 180. In quamcunque domus *aduertó* lumina partem. *Frustra lectio ab* Heinsio *sollicitatur*; cf. Met. 8, 482. Fast. 1, 179. Trist. 2, 223. Lusibus vt possis aduertere lumen ineptis.

ADVLTERARE Pont. 4, 10, 59. Copia tot laticum, quas auget *adulterat* vndas Nec patitur vires aequor habere suas. „*Ex copia et vbertate fluuialis aquae, qua abundat mare Ponticum, contendunt fieri, vt facilius, quam aliud quoduis mare, concrescat gelu, et glacie adstringatur. Videndus inter caetera Herodotus de hac re*, cf. Gellius Noct. Attic. libr. 17, c. 8. Plinius 6. c. 17. Macrob. libro 7. Saturnal, c. 12. Solinus ex Varrone c. 19. in descriptione. „ *Heinsius.* * *adulterare* faciem, i *mutare* Fast. 1, 373. Ille suam faciem transformis *adulterat* arte. *Alii legunt:* alterare, *quod iure* Heinsius *et alii repudiarunt.*

ADVRERE *de vehementia frigoris* Fast. 4, 918. Nec sic marmoreo pallet *adusta* gelu. i. *afflicta, tacta. Sic eadem de re* vrere *Iaepius apud Ouidium.*

AEDES primae, *atrium est* Met. 2, 284. Adnuimusque viro, *primas*que intrauimus *aedes.*

AEGER *vulneratus* Met. 12, 373. Ipse dolor vires animo dabat: *aeger* in hostem Erigitur. *Sic etiam apud alios auctores, de quo videndus* Heinsius ad

ad Val. Flacc. 1, 147. * ſeges aegra *bene de infrugifera* Faſt. 1, 688. Nec vitio coeli palleat aegra ſeges.

AERIFER *vox ab Ouidio facta.* Faſt. 3, 740. *Aeriferae* comitum concrepuere manus. *Bacchi comites tintinnabula, aera acuta gerebant; hinc* aeriferae manus: *eleg.* concrepuere; *propria in hac re vox.*

AERIPES *aut aere armatus, aut totus aeneus explicatur ab interpretibus, ad* Met. 7, 105. *ſed eſt profecto idem, alterum eſt alterius explicatio. Imitatus eſt Ouidius l. c. Apollon. Rhod.* libr. 3, 228. ſeq. vbi: τοὶ ἀρ ἐνι μεγαροισι Κυταιεος Αιηταο Τεχνηεις Ηφαιστος ἐμησατο θεσπεσια ἐργα. και οἱ χαλκοποδας ταυρους καμε χαλκεα δε σφεων Ηη ζωματα κ. λ. χαλκοποδες *ſunt aere, vngulis armati tauri: poët. et eleg. In* Heroid. Epiſt. 12, 32. vocantur *aeripedes tauri.* Ita etiam Heroid. Epiſt. 12, vid. Ioſ. Scal. ad Auſon. libr. 1, 6.

AERIVS *cum quadam ὑπερβολης figura, longus* Faſt. 5, 119. Hic fuit haedorum mater formoſa duorum Inter Dictaeos conſpicienda greges Cornibus *aerii*, atque in ſua terga recuruis.

AES recuruum, *hamus* Faſt. 6, 240. Quique legunt paruis *aera recurua* cibis. * *de tintinnabulis, quae credebantur etiam vmbras et ſagas fugare, alibi fuſius dicemus. Saepiſſime vero apud Naſonem aes ita occurrit.* v. c. Faſt. 3, 742. et 4, 184. 189, 212. et 5, 441. &c.

AESTVARE in aliqua, *de vehementi amore* Met. 6, 491. At rex Odryſius, quamuis feceſſit, in illa *Aeſtuat. Sic ſaepius et* aeſtuare, vt Met. 2, 250. &c. *et* Aeſtus. cf. Met. 7, 815.

AESTVS *de vento* Met. 13, 729. remis, *aeſtu*que ſecundo ſub noctem potitur Zanclaea claſſis arena. * ignauus Met. 7, 531. coelum ſpiſſa caligine terras Preſſit (*eleg. deſcripta nebula!*) et igna-

ignauus incluſit nubibus *aeſtus. vide* Ignauus.

AETERNVS carcer, *de Aeoli carcere ventorum* Met. 4, 662. Clauſerat Hippotades aeterno carcere ventos. *Forte miraris, lector, cur id notauerim, ſed ideo notaui, vt mireris doctos viros, omnesque Ouidii interpretes, quibus illud epitheton adeo difficile explicatu viſum eſt, vt ſinguli fere ſingulas emendationes adferrent; vt quippe locum ſanarent, profecto ſanum. Variis coniecturis olim tentauit h. l. Heinſius.* „Quare dicatur, *inquit*, „carcer aeternus, ex quo „venti frequenter emittantur, non video. Censeo igitur ſcribendum, „*terreno carcere*; certe „vnus Leidenſis, *exter-no*. Tempus nocturnum deſcribit, quo „venti plerumque ſilent. „*Terrenus* pro *ſubterraneo* familiaris vox Naſoni.„ *At cur non* carces aeternus *dici poteſt, vnde frequenter venti emittuntur? audiamus vero Burmannum*: „*terrenum* carcerem vix probare poſſum, qui, niſi firmiori materia fuiſſet, non facile violentos ventos cohibuiſſet: „ *Ohe! iam ſatis eſt! Primum non intellexiſſe mihi Burmannus Heinſium videtur, deinde male philoſophatur. Tandem addit*: „mihi hic nihil certi apparet; nec *aeternus* mihi carcer placet, *Hoc credo; cui homini aeternus carcer placebit? Sed* aeternus carcer ventorum *mihi valde placet.* Pontanus *et ipſe haec*: „Sed quare aeterno carcere?„ Raphael *exponit ſemper duraturo; atqui id tiro nimirum neſciet. addit.* „Certe Iouem Aeolo poteſtatem dediſſe, ait „Maro, premendi et laxandi ventorum habenas. Non poſſunt ergo aeterno carcere concludi. „ *At quidni? Nonne* aeternus *ille carcer dici meretur, vbi venti perpetuo premuntur, non omnes ſimul, ſed tamen omnes? nonne ſemper reuerti debent, vbi emiſſi ſunt?*

non

non in aeternum eum locum habitare, etiamsi interdum eiiciuntur, cum redire oporteat, et premi imperio? Possit etiam h. l. aeternum *idem esse ac* magnum, immensum, *quo significatu occurrere* Gesnerus *in Thesauro docuit. sed vt verum fatear, ego de hac significatione valde dubito; certe loca ab* Gesnero *allata nihil probant. namque* aeternus amor Virg. Aen. 8, 394. *sempiternum designat, durantem, quoad vita est: quo sensu saepius haec vox occurrit. Et alter locus ex* Curtio 4, 1, 22. *hanc significationem ne patitur quidem:* aeternae sortes *non sunt immensae, magnae, quis hoc dicat? sed potius diuturnae, assiduae, sicut etiam interpretatur* Freinshemius. *Est itaque, vt reuertar,* aeternus carcer ventorum Met. 4, 162. *perpetua sedes, vbi venti habitant imperio coerciti. Multus fui in hoc loco, quo mature discant iuuenes diffidere*

Interpretibus et Editoribus.

AETHERIVS *diuinus* Fast. 1, 473. Quae simul aetherios animo conceperat ignes Ore dabat vero carmina plena Deo. *Ignis aetherius est ἐνθουσιασμὸς. ἢ μανια.*

AGERE *proprium vocabulum in sacrificiis, de victimis mactandis* Fast. 1, 322. Qui calido strictos tincturus sanguine cultros, Semper *agone* rogas, nec nisi iussus *agis. Solemnis formula erat in sacrificiis, vt quaereret, qui victimam percussurus erat,* Agone? *et responderetur,* hoc age; i. *macta victimam. Sed pleni sunt libri Antiquitt. huius ritus descriptione. cf. etiam Casaub. et alios ad* Sueton. Caligul. c. 58. *Semper obseruare debebat popa, ne* ageret, *mactaret, nisi iussus. hinc intell.* h. l. * agere obliuionem Met. 12, 539. Herculeae, mirum est, obliuia laudis Acta tibi senior. *Non exiguo cum artificio facit h. l. poëta Achillem cupidum, audiendi*

diendi plura de Hercule, vtpote quem imitari ardens amabat maxime, et, si conferes, quae sequuntur, eo magis mirabere Nasonem. *agitur; *ita vt curam, et sollicitudinem exprimat* Met. 5, 372. *Agitur* pars tertia mundi. *in periculo est, vt amittatur; sic* agi salutem, famam, fortunas *millies Cicero. Bene autem h. l.* tertia pars mundi, *de Plutone, rege tertiae partis totius orbis. Quasi omnem illam partem mundi tenebit Venus, aut saltem eo imperium proferet, si amabit Pluto.* * agere currum Met. 2, 62. Vasti quoque rector Olympi — non agat hos currus. *vid.* Barth. ad Stat. Theb. 6, 816. * agere silentia Met. 1, 349. vota Met. 6, 968. * Met. 3, 527. Dicta fides sequitur; responsaque vatis *aguntur h. e. euentum suum habent, fiunt, quae praedicta erant.*

AGITARE: *belle* agitatus aër pennis, i. *percussus, et strepitu sonans.* Pont. 2, 3, 9. subito pennis *agitatus* inhorruit aër. Et gemuit paruo mota fenestra sono. * agitare conuiuia *proprium in hac re vocab.* Met. 7, 431. Agitant conuiuia patres, Et medium vulgus. cf. Terent. Hecyr. 1, 11, 17. et Heaut. 4, 4.

AGONALIS lux *erat Festum a Numa institutum, vt contendit Valerius Antias apud* Macrob. Saturn. 1, 4. *Celebrari solitum* V. Idus Ianuarias; *et iteratum* XII. Calendas Iunias. *Iano erat sacrum, qui tum piandus. Vnde dictum, incertum. Ita Ouidius de hoc festo* Fast. 1, 317. seq. Quattuor adde dies ductis ex ordine Nonis; Ianus Agonali luce piandus erit. Nominis esse pater succinctus cauta Minister (*popa*) Hostia coelitibus quo feriente cadit. Qui calido strictos tincturus sanguine cultros Semper *Agone?* rogas, nec nisi iussus agis. *Tu, popa, forte causa nominis es, namque quoniam semper debes, antea quam feris victimam quaerere* Agone? nec

nec potes caedere hostiam, agere (*quae vox solemnis vide* Agere) *nisi iussus fueris solemni verbo:* hoc age. *Alias causas nominis adfert ipse Poëta* vers. 325. seq. *quos cf. Solebat eo festo Rex sacrorum numina placare agno caeso.* Vers. 333. Rex placare Sacrorum Numina lanigerae coniuge debet ouis.

AI Met. 10, 215. *de figura Hyacinthi:* Ipse (*Apollo*) suos gemitus foliis inscribit: et ai, ai, Flos habet inscriptum: funestaque litera dicta est. *vide de toto hoc loco* Inscribere. et cf. Fast. 4, 223.

ALBANVS tempora Albana, *mensis tertius Albanorum*, Martius, *ab Albanis Marti consecratis* (cf. Fast. 3, 89.) Fast. 3, 91. Inter Aricinos, *Albana*que *tempora* constat. Factaque Telegoni moenia celsa manu.

ALBENS *pro* albus Met. 5, 110. Ambycus *albenti* velatus tempora vitta.

ALBVS *boni ominis hoc esse vocabulum, sicut etiam vox* candidus, *dictum in I. Parte clauis, vbi has voces confer: sic vero etiam apud Ouidium saepius occurrit,* vt Fast. 1, 720. *Albaque* percussa victima fronte cadat. *Adde* Fast. 4, 619, 5, 355. &c. *Eodem significatu vsurpatur* a *magicis* vt Fast. 6, 129. Sic fatus spinam, qua tristes pellere possit A foribus noxas, haec erat *alba*, dedit. *Omnibus enim spinarum generibus vim insitam noxarum depellendarum veteres credebant. de spina* alba *etiam cum Heinsio locum intelligo* Fast. 2, 26. Ipse ego Flaminicam poscentem februa vidi, Februa poscenti *pinea* virga data est. *atque lego* spinea. *Adscribere placet Notam* Neapol. *doctam ad* loc. laud. Ouidii: „ Dioscorides de Rhamno: λεγεται δε και κλωνας αὐτης, θυραις ἡ θυρισι προσθεντας, αποκρεειν τας των φαρμακων κακεργιας. Rhamnus est alba Spina: Synonyma. Glossae veteres, *spina alba*, βατομον, ἑαμνος.

Graeci tamen et Latini passim miscent et confundunt albam spinam, ὄξυακανθον, λευκακανθον, aquifolium, παλιουρον γλευκην, ἀκανθαν. Quod obseruandum duxi, omnibus spinarum generibus veteres noxarum pellendi vim ingenitam credidisse, nam et aspalatho (arbor est alba cum spinis) eandem tribuunt potestatem. „

ALES *gallus saepius apud Ouidium et in Metam. et in* Fast. vt Fast. 1, 455. Nocte Deae Nocti cristatus caeditur ales Quod tepidum vigili prouocat ore diem *quam eleganter! vide* cristatus.

ALIENVS ioci *pro* a ioco; *de iocosis, aut potius iocis* sauentibus. Fast. 1, 396. Di quoque cultores gelidi venere Lycei Et quicunque ioci non *alienus* erat.

ALIPES *epitheton Mercurii: ratio in promptu est, cum sit* διακτορ (Iliad. β. 114.) nuntius *alatus* deorum Met. 4, 755. *sic equi solis, a velocitate nacti hoc epitheton* Met. 2, 48. et Fast. 3, 416. *et ita passim.*

ALIQVID esse *pro* esse. Met. 6, 543. Si numina Diuum *sunt aliquid: si vere sunt numina. Possit etiam explicari, si aliquid valeant, si sint potentes prius magis placet* cf. vers. 548. * Est aliquid; *i. est praeclarum, est quiddam boni &c.* Met. 13, 241. Est *aliquid*, de tot Graiorum millibus, vnum A Diomede legi. *Sed habet haec locutio singularem quandam elegantiam quam vix exprimere possis, sentitur magis. Ouidius ea quam frequentissime vtitur. vt* Fast. 6, 29. *et saepissime in* Trist. *sed parco asserendis locis.*

ALTE *pro* quamuis alte, *quamuis imo fundo* Met. 5, 589 Inuenio sine vortice aquas, sine murmure euntes Perspicuas imo, per quas numerabilis *alte* Calculus omnis erat. *omnes, vel iacentes in imo fundo lapidili cerni, nec cerni, sed numerari poterant; adeo erat*

erat pellucida aqua, quas tu vix ire putares. Cana salicta dabant, nutritaque populus vnda Sponte sua natas ripis decliuibus vmbras. *Qualis descriptio!* * alte percuti *eleg.* Met. 6, 266. minimo tamen occidit ille Vulnere: non *alte* percusso corde sagitta.

ALTVS *antiquus*, *nobilis* Fast. 4, 305. Claudia Quinta genus Clauso referebat ab *alto*; Nec facies impar nobilitate fuit.

ALVEVS *labrum balneare* Met. 8, 655. Erat *alueus* illic Fagineus curua claua suspensus ab ansa: Is tepidis impletur aquis; artusque fouendos Accipit. * alueus *scil.* nauis, *ita vt inferiorem nauis significet partem, vbi facile aqua colligitur* Fast. 3, 592.

AMBIGVVS *venuste appellatur Proteus*, *faciem vsque mutans.* Met. 2, 9. *imitatus est Ouidium* Valer. Flacc. 2, 318. *quem* cf. *Plane ita vox occurrit* Met. 7, 271. *siue legas* ambigui profecta lupi, *siue* Ambiguum, *vt ad virum* referatur, *quod mihi valde placet.* * ambigua mala, *ab effectu, quae reddant ambiguos homines*; Trist. 1, 2, 32. *Ambiguis* ars (*nauigandi i. rectior*) *stupet ipsa malis.*

AMBITIOSVS *belle* Met. 13, 289. *de Thetide, quae ambierat, rogauerat Vulcanum, vt clypeum Achillis fabricaret.* Scilicet idcirco pro gnato caerula mater *Ambitiosa* suo fuit, vt coelestia dona Artis opus tantae rudis et sine pectore miles Indueret. *Plane sic* Pont. 3, 1, 84. Sed tamen hoc factis adiunge prioribus vnum Pro nostris vt sis *ambitiosa* malis; *vt ambias gratiam Caesaris, vt adeas eum, quo me seruet.* * domus ambitiosa *passiue, a multis frequentata.* Trist. 1, 9, 18. Nota quidem sed non *ambitiosa* domus. *Possit tamen h. l. intelligi de domo, quae nullos honores ambiit, cuius dominus non oppetiit honores, id quod et alibi de se Ouidius ait, et ex historia constat.* * ambitiosus honor. Met. 8,

277. Coeptus ab agricolis Superos peruenit ad omnes Ambitiosus honos. Heinsius *emendauit* Inuidiosus *secutus duo Codices, et ita edidit Burm.* Sed *facile est cognitu, esse eam glossam.*

AMBITVS *ab ambire partic.* Met. 1, 37. Ambitae circumdare litora terrae. *vide Voss. libr. 2. Art. Grammat. c. 18. qui ex* ambe *et* itus *syllabas coalescere putat; de quo plura Burmannus ad h. l. qui usu* et *consuetudine produci, recte statuit, contra* Vossium *prouocans ad* Met. 15, 287. Fluctibus *ambitae* fuerant Antissa Pharosque.

AMICTVS *de toga virili* Fast. 6, 623. Sitque caput semper Romano tectus *amictu* &c. cf. vers. 570. et 580. * *galea sacerdotis* Fast. 3, 363. Constitit atque caput *niueo* velatus *amictu* Iam bene Dis notat sustulit ille manus. „Veteres glossae Iuuenalis: *Tiara galea sacerdotis, quae per malas veniens mento subligatur.*

AMNICOLA *vocabulum Ouidianum,* Met. 10, 69. *Amnicolae*que simul salices; *quasi habitantes, frequentes ad amnes.*

AMOR amores *pro* amato, *pulchre* Met. 4, 137. Sed postquam remorata suos cognouit *amores. (Pyramum)* Scheppertus *legit*: reuocata *pro* remorata; *intelligens scilicet, reuocatam illam ex stupore, qui paullo ante ipsam inuaserat. Sed pessime!* Tan. Fabr. Epist. libr. 2, 71. *legit* memorata, *vt exhibent Vossianus, et septem alii Codices, et explicat, postquam secum memorasset, et meditata esset.* Gebhardus *in* Crepund. 2. *illam ipsam lectionem e duobus aliis Codd. refert, et probat. Sed omnia falso accipiuntur. Non attulissem hic variam lectionem; nisi codd. plurimi ei fauissent, nec, forte esse, credidissem, qui lectionem,* memorata, *amplecterentur, saltem non omni specie carentem,*

tem, etsi mihi non visam veram. Saepius fit, vt plurimi Codices vna ex fonte descripti lectionem constanter tueantur, quae tamen longe abest a vero

AMPLEXVS: ire sub amplexus, *honesta et suauis locutio, de coitu* Met. 7, 618. Si te non falsa loquuntur Aeginae amplexus quondam sub Asopidos isse. *Sic certe nostra Editio versum, licet aperte falsum, exhibet. Atqui est vnus eorum quos Ouidius non lima poliuerat, vbi plures iuxta se posuerat locutiones, e quibus postea eligeret optimam, nunc, cum furor amabilis eum teneret, haerere diu in verbis non poterat. Longum sit, omnes variantes lectiones hic ponere; namque innumerae fere sunt.* Burmannus *ita edidit:* Si te non falsa loquuntur Dicta, sub amplexus Aeginae Asopidos isse. *Non male! Nostra vulgata lectio oppido praua est, nam primum hic prima et secunda syllaba in* Asopidos *corripitur, cum tamen sit vtraque breuis.* cf Apollon. Rhod. Argon. 1, 117. Statium libri 7, 315. Lucan. 4, 374 *deinde illud quondam otiosum est, et repudiandum. Legerem ego, si licet:* Iupiter, o, dixi, si te non falsa loquuntur Isse sub amplexus Aeginae Asopidos ignem. *Optimi Codd. vt Vatican. et alii habent:* Isse sub ampl. Aeg. As. isse. *et facilis erat talis lapsus oscitantium librariorum, qui nescirent fabulam, Iouem in ignem mutatum virginem compressisse. Nonnulli etiam exhibent apertam lectionem;* ignem. *Sensus facilis: Si non loquuntur homines falsa, te, mutatum in ignem* isse sub amplexus Aeginae Asopidos. *vox* dicta, *in lectione Burmanni, fateor, mihi plane displicet.* * *Eadem, qua loc. laud. significatione vocab. occurrit* Fast. 2, 180. Huius in *amplexus* Iupiter, inquit, eat. *Adde* Fast. 4, 171. et 6, 554.

ANCEPS Ianus, i. *duplicis capitis.* Festus *in vocab.* anceps: „significare videtur id, quod ex vtraque parte caput habet„ Met. 14, 334. Ille souet Nymphen, quam quondam in colle Palati Dicitur *ancipiti* peperisse Venilia Iano. *de Emendationibus virorum doctorum nihil dicam, namque omnia satis plana, et vera; emendare vero h. l. est offuscare. Sed* Ianus *rursus* anceps appellatur Fast. 1, 95. Tum facer *ancipiti* mirandus imagine Ianus.

ANCILE *vide hoc voc.* in I. Parte Clauis. Vnus vero locorum classicorum est Fast. 3, 377. Idque *ancile* vocat quod ab omni parte recisum est. cf. *praeced.* et Neapol. *ad h. l. qui figuram ancilis excudi curauit.*

ANGVIGENA *vox ab Ouidio nata, et scite ad rem facta.* Met. 3, 531. Quis furor, *anguigenae,* proles Mauortia, Vestras Attonuit mentes. *Vocat Pentheus Thebanos* anguigenas *et* prolem Mauortiam, *quod a sparsis Cadmi manu dentibus draconis, qui in tutela Martis erat, originem ducunt. Compara* Met. 3, 103. seq.

ANHELARE *pro* exhalare Fast. 4, 491. — Aetne — cuius *anhelatis* ignibus ardet humus. *Poterit hoc loco locupletari Thesaurus Gesneri. Adde Epist.* Heroid. 12, 15.

ANHELVS *anhelans, aut potius, qui anhelitum creat.* Pont. 1, 10, 5. Nec febribus vror *anhelis: hinc audacter* Met. 11, 348. Cursu festinans *anhelo, pro anhelans, in cursu festinans. et Met.* 4, 632. *anheli* equi.

ANIMA *in periphrasi personae* Met. 4, 110. Nostra nocens anima est; *ego sum nocens. Adde* Met. 6, 618. *et* Fast. 5, 469. * *de corpore animato* Fast. 4, 666. Det sacris *animas* vna necata duas. * animam claudere Met. 7, 604. *vide* Claudere.

ANIMARE in angues, *per breuiloquentiam vitam dare, animare, et mutare in angues.* Met. 4, 618.

618. Gorgonei capitis guttae cecidere cruentae Quas humus exceptas varias *animauit* in angues. *Sic etiam* Met. 14, 566. Spes erat, in nymphas *animata* classe marinas &c.

ANIMOSVS bella animosa Fast. 5, 59. Martis opus iuuenes, *animosa*que bella gerebant.

ANIMVS *ad graec.* Θυμος *ira, crudelitas* Fast. 3, 225. Tela viris animusque cadunt gladiisque remotis dant soceri generis, accipiuntque, manus.

ANNOSVS Fast. 2, 571. Ecce anus in mediis residens *annosa* puellis. *Sed mihi videtur* Heinsius *rectius legisse* vinosa, *ob sequentem versum:* vix tamen ipsa tacet; et 580. Aut ipsa aut comites, plus tamen ipsa bibit; *licet* Burmannus *aliud se videre sibi persuadeat, et probet lectionem* annosa.

ANNVS Veteres anni Met. 9, 420. *vide* Vetus.

ANTE exspectatum i. *antea quam expectatum erat.* Met. 8, 5. *Ante* exspectatum portus tenuere petitos.

ANTICIPARE viam, *breuiorem reddere, et celeriori cursu, vt per compendium viae quoddam, aliquem praecurrere.* Met. 3, 235. Tardius exierant *(canes)* sed per compendia montis *Anticipata* via est. *Noli legere cum aliis* praecipitata; *reclamant etiam optimi Codd.*

ANTIQVVS, *praeteritus* Met. 1, 106. Iuppiter antiqui contraxerat tempora veris i. *quale fuerat antea; vide* Trist. 3, 12, 2. * antiquum, *pro olim* Fast. 1, 641. Furius antiquum populi superator Hetrusci Vouerat et voti soluerat ante fidem. *Ita enim cum tribus Codd. legendum. Nec alia lectio, quae habet* antiquus; *vt referatur ad* Furius, *nec illa, quae habet* antiqui, *assequuntur Ouidianam elegantiam.*

APERTE *sine fraude, et insidiis* Fast. 2, 213. Vbi vincere *aperte* Non datur insidias armaque coeca parant.

APERTVS *nudatus clypeo.* Met. 12, 100. nec tertia cuspis *apertum* Et se praebentem (*qui apertum latus ei praebuerat*) valuit destringere Cygnum. *vide* Destringere * *latus*, *vastus* Met. 1, 285. Exspatiata ruunt per *apertos* flumina campos. *Aut habet h. l. voc.* exspatiari *notionem hanc, vt simul vim prorumpentem significet, aut non est incursioni huic rapidae aquarum satis aptum vocabulum. Videtur tamen prius magis probabile ex gemino loco* Met. 2, 202. quae postquam summo sensere iacentia tergo *Exspatiantur* equi, nulloque inhibente per auras Ignotae regionis eunt. * apertum tempus *longe elegantissime, de vere, vbi se omnia quasi aperiunt* Fast. 4, 98. Aprilem memorant ab *aperto* tempore dictum Quem Venus iecta vindicat alma manu. *Consentit cum Ouidio in docenda causa nominis Mensis* Aprilis Macrobius saturnal. 1, 12. *quem locum, excerptum dabo, quum forte non in eorum manibus Macrobius sit, quibus hoc libro consultum imus.* „Cincius in eo libro, „quem de Fastis reliquit, „ait, imperite quosdam „opinari, Aprilem men„sem antiques a Venere „dixisse: cum nullus „dies festus, nullumque „Sacrificium insigne Ve„neri per hunc mensem „a maioribus institutum „sit: sed ne in carmini„bus quidem Saliorum „Veneris vlla, vt cete„rorum coelestium, laus „celebretur. Cincio etiam „Varro consentit, affir„mans nomen Veneris „ne sub Regibus quidem „apud Romanos vel La„tinum vel Graecum fuis„se; et ideo non potuis„se mensem a Venere no„minari. sed, cum fere „ante Aequinoctium ver„num, triste sit coelum, „et nubibus obductum, „et mare nauigantibus „clausum, terrae etiam „ipsae, aut aqua, aut „pruina, aut niuibus con„tegantur, eaque omnia „verno hoc mense *ape„riantur*; arbores quo„que

„que, nec minus cetera, „quae continet terra, „*aperire* se in germen „incipiant, ab his omni„bus Mensem Aprilem „dici merito credendum, „quasi *Aperilem*; sicut „apud Athenienses ἀν„θεστηριων idem mensis „vocatur, ab eo, quod „hoc tempore cuncta „floreſcant.„ *Hoc igitur eſt* apertum *tempus.*

APEX flammae, *ſcintilla, none dictum, et mire.* Met. 10, 279. amici numinis omen flamma ter accenſa eſt, *apicem*que per aëra duxit, *Sic etiam* Pont. 4, 9, 54. Detque bonum voto lucidus omen *apex.*

APPLAVDERE *percutere* Met. 4, 352. Ille cauis velox *applauſo* corpore palmis Deſilit in latices. *Ex more natantium. Ingreſſuri enim aquas manibus cauis corpus percutiunt.* cf. Met. 5, 595.

APRICVS arbor. Met. 4, 331. Hic color *aprica* pendentibus arbore pomis Aut ebori tincto eſt, aut ſub candore rubenti cum fruſtra reſonant aera auxiliaria Lunae. *de ipſo vocab.* Apricus *vide* Part. I. *huius clauis*; *de toto loco cf. voc.* Auxiliaris.

APTARE nauem *proprie dicitur pro* inſtruere, ornare, &c. Met. 11, 457. *Aptarique* ſuis primum iubet armamentis. *Fuſe hanc ſignific. pluribus ſuſtentat ad h. l.* Burmannus.

AQVATICVS *vocab. ab Ouidio ſine dubio genitum, apud eum ſolum occurrens.* Met. 9, 342 In ſpem baccarum florebat *aquatica* lotos; *quia amat aquas, et vt diſtingueretur ab alia loto, vide vocab.* Lotos. * aquaticus Auſter; *quia affert aquas, imbres, dicitur* Met. 2, 853. Pont. 2, 3, 89.

ARATRVM. *Solitus erat mos apud antiquos, vt* aratro *ſignarent moenia vrbis condendae nouae. vide de hoc ritu* Cael. Rhodig. lect. antiq. libr. 26. p. 1204. Dempſteri paralipom. ad Roſ. Antiqu. Rom. libr. 1. c. 3. *Hinc intell.* Faſt. 4, 819. cf.

cf. Virg. Aen. 5, 755. et 7, 157.

ARBITRIVM *ex Gesneri quidem mente est* facultas, potestas, *vulgari illa notione, in Ouid.* Met. 4, 224. famulae discedite, neue Eripite *arbitrium* matri Secreta loquenti: *et si vera est haec, quam posuimus, lectio; non minus recte se fortasse explicatio habet. Sed tantum abest, vt valeat lectio, vt vltro mirer Gesnerum nihil monuisse, qui alias solet.* Ciofanius *se inuenisse testatur:* Abripite arbitrium matri f. l. *quae lectio sine dubio fluxit ab illa, quam habent veteres omnes, teste* Heinsio: Arripite arbitrium matri f. l. *nempe non intellexerunt librarii, quid esset,* arripere arbitrium, *emendaruntque* abripere; *vnde scioli fecerunt* Eripere. *Probarem rationibus haud iniustis illud:* arripite arbitrium, *nisi criticorum aliorum fauorem tuliset. Recepit hanc lectionem Burmannus:* Fischerus, *et interpres Francicus* du Ryer (*edit. forma maxima Amstelod.* 1577) *iam eam probatam acceperunt. Quodsi legendum est, vt vere est,* neue Arripite arbitrium matri Secreta loquenti; *h. l.* arbitrium *exquisitiori significatu dicitur, quo vsurpatur de eo, qui est arbiter sermonis i. audit eum, testis, socius, aut videt aliquid* vt Met. 2, 458. *Rarior quidem est significatio, sed eo magis, nisi me omnia fallunt, propior veritati criticae; et optarim, notatam eam saltim esse a Gesnero in Thesauro, cum praeterea etiam occurrat apud* Pseudo-Senecam Hippolyt. 598. En locus ab omni liber arbitrio vacat: et in Hercul. Oetaeo 484. *En* locus ab omni tutus arbitrio vacat. *Quae loca etiam magis de Ouidio nostram sententiam firmant: solet enim* Pseudo-Seneca *Ouidium vt cum maxime imitari.* **potestas*, Fast. 5, 212. Atque ait, *arbitrium* tu, Dea, floris habe. *Sic et*

Fast.

Fast. 3, 316. 4, 818. Trist. 5, 3, 18. &c. * *Elegantissime Met.* 5, 387. Ille (Amor) pharetram soluit: et *arbitrio* matris de mille Sagittis Vnam seposuit. *Quam venusta imago! ipsa Venus eligit Sagittam*, qua nec acutior vlla est, nec minus incerta, *et secundum iudicium Veneris ipsius de hac sagitta capit eam Amor, et mittit.* cf. 372.

ARBVTVS Met. 1, 104. *Arbuteos* foetus, montanaque fraga legebant; *poma siluestria, prima aetate ab hominibus colleeta.* Ciosan. *rubicundos fuisse fructus contendit. Sunt qui legant* arboreos, *male! vide* Met. 1, 630, 819. Fast. 6, 155. Virg. Aen. 11, 65. et Georg. 1, 148. *ibique* Serv.

ARCVS: sinuare arcum Met. 8, 30. *vide* Sinuare.

ARDERE ruere Met. 5, 166. Nescit vtro potius ruat: et *ruere ardet* vtroque.

ARDOR virginis, *amor* Met. 9, 101. At te Nesse ferox eiusdem virginis *ardor* Perdiderat.

ARGENTEVS: proles argentea *de ea, quae vixit aetate mundi argentea* Met. 1, 114. Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso Sub Ione mundus erat; subiit *argentea* proles. * *vemuste* argenteus fons, *pellucidus*, Met. 3, 407. Fons erat illimis, nitidis *argenteus* vndis. *Notum est et nostram linguam illam translationem adsciuisse, pari elegantia* luna *argentea dicitur* Epist. Heroid. 18, 71.

ARGVMENTVM Met. 8, 752. memoresque tabellae Sertaque cingebant voti *argumenta* potentis Signa. *vide* Potens. * *de caelatura* Met. 13, 684, fabricauerat Alcon Myleus; et longo caelauerat *argumento* * argumentum animi laeti; *de tibia, lyra &c. i signum* Met. 4, 761. lotisque lyraeque Tibiaque et cantus animi felicia laeti *Argumenta* sonant. (*de Nuptiis Persei, vide* Lotus) * *fabula* Met. 6,

69.

69. Et vetus in tela deducitur *argumentum. vide* Deducere.

ARMIGERA *Epitheton Mineruae, frequens apud Ouidium; alii in nonnullis locis legunt* armifera: *quod idem.* Trist. 4, 10, 13. Haec est *armigerae* festis de quinque Mineruae Quae fieri pugna prima cruenta solet. *Notat diem suum natalem* XIII. Kalend. *April. qua die primum gladiatorium munus committebatur. cf. de his festis diebus Mineruae* Fast. 3, 681. *Quare Minerua* armigera *dicta sit, sciunt tirones; occurrit autem hoc epitheton apud Ouidium* Met. 14, 475. Fast. 3, 68. it. 6, 421. &c. &c. *Ad hunc vero de die natali Nasonis locum, et totam illam Elegiam* 10. *libri* 4. *Tristium conferenda est vita Nasonis, perscripta a* Massono *et adiecta tum Burmannianae, tum Fischerianae Editioni nostri poetae.*

ARQVATVS *pro* arcuatus, *in modum arcus flexus.* Met. 11, 591. induitur velamina mille colorum Iris, et *arquato* coelum curuamine signans Tecta petit iussi sub rupe latentia regis. *Heinsius ad h. l.* „Arcato veteres multi: primus Palat. et vnus Mediceus, arquato; quod sequor. Certe Nonius inter. *arcum* et *arquum* distingnit, quod alter fornicem designet, alter Iridem: vnde et *arquatos* dici contendit, quae vox occurrit apud Lucretium. Atque hanc distinctionem Apuleius in Apologia secutus est; *arquus in nubibus.* ita apud Arnob. libr 1. pag. 59. *arquata sella,* vbi vide Heraldum. *Arcuato* defendit Gisan. Ind. Lucret. in *Cretico* p. 459. „ *Argutiae istae merae sunt posteriorum temporum, quas antiqui plane ignorabant, vt vel ex vno Virgilio constat. Ceterum optime Sedes Somni ponitur in frigida, tenebrosa et humida regione,* cf. seqq. h. l.

ARTICVLVS *eleganter* Pont. 2, 3, 18. sibi quid sit vtile sollicitis supputat *articulis. Pulchre! Solent*

Solent interdum homines, solliciti in computando digitis numerare. bene sollicitis articulis! Burm. *ad h. l. illum* Alciphr. Ep. 1, 26. *docte attulit:* μεγα τι κακον εἰσιν, οἱ περι τας ψηφους και των δακτυλων τας καμψεις εἱλινδουμενοι.

ARTIFEX Met. 11, 169. *Artificis* status ipse fuit; *tam scitus, vt artificem argueret.*

ARTIVS *breuius, de syllaba longa, in breuem correpta* Pont. 4, 12, 10. Pudeat si te qua syllaba parte moratur, *Artius* appellem, Tuticanumque vocem i. *tertia syllaba* ea *vtar vt breui, adeoque quasi coarctem illam syllabam ex longa in breuem. Totus tamen locus mihi displicet; moratur poeta in re puerili inepte, ni fallor; et per plures versus de syllabis queritur. Est iste locus vnus eorum complurium, qui in Trist. et Pont. libris adeo amari sunt, vt ipsa tempora poetae fuerunt.*

ARX Met. 11, 394. Erat ardua turris Arce locus summa; sessis loca grata carinis. *Omnes interpretes iam viderunt, depravatum esse locum illum, variasque medelas adferre conati sunt; sed nulla curatus adhuc est. Veram esse vulgatam quiuis negabit. Quam inconcinnum* locus *et* loca *vno eodemque versu! Quid sibi vult* turris, Arce locus summa! Heinsius *emendauit:* Arce focus summa,, Pharon, *inquit*, designat, seu turrem, ex qua nocturni ignes in vsum nauium lucebant,, *quod quidem posterius recte se habet. ipse enim poeta dicit:* sessis loca grata carinis. *Sed* focus *esse legendum, plane nego nunquam* focus *ita, quod equidem sciam, occurrit; praeterea* focus *pro* Pharo *esset parum eleganter positus. Addit* Heinsius, *posse etiam* pharus, *aut* faces, *aut* foci, *legi. Sed omnia nihili sunt.* Burmannus *censet ampliandum: ego non. Est enim in Basil.* Cod. arce patens

patens ſumma. *Qua lectione quid poteſt eſſe melius? quid ad h. l. aptius?* Erat ardua turris Arce patens ſumma; *in ſumma arce exſtans, patens, aperta late oculis, hinc:* feſſis loca grata carinis. *namque nautis in portum properantibus phari loco fuit illa turris patens in arce. De ſignificatione illa vocis* patere *vide infra ipſum hoc vocab.*

ASPER *eleganter dici conſtat apud Latinos* aſperum, *caelatum opus, etiam recens cuſus nummus, nondum attritus, quoniam exſtent apices quaſi, et aſperitates.* Met. 12, 235. fuit iuxta ſignis exſtantibus *aſper* Antiquus crater. *Apud Iuuenal.* 14, 62. Hic leue argentum, vaſa *aſpera* tergeat alter. *vbi et ipſa* aſpera vaſa, *caelata intellig. Ipſe noſter poëta* Met. 13, 701. Hactenus antiquo ſignis fulgentibus aere Summus inaurato crater erat *aſper* acantho. *vide* Acanthum.

ATER *vt vox* albus *omnino notionem felicitatis habet, boni ominis, &c. ita voc.* ater *contrariam ſignificationem refert, et in vniuerſum id notat, quod voluntatem, ſpem, felicitatem &c. offendit, aut tollit.* v. c. Faſt. 1, 53. *et ſaepiſſime alibi.*

ATRIVM Faſt. 4, 624. Hoc quoque, ni fallor, populo digniſſima noſtro Atria Libertas coepit habere ſua. *Aedificatum eſt Deae* Libertati templum; *ſaepius enim* Atria *de templis,* vt Faſt. 6, 264. &c. *Templum* Libertati *primum a Tiberio Graccho dicatum, poſtea a Senatore Aſinio Pollione refectum eſt, et aucta Bibliotheca Scriptorum iconibus adornata, quae exinde omnibus ſcriptis patebat, vnde intellig. quod queritur Naſo* Triſt. 3, 1, 71. *Nec* me quae doctis patuerunt prima libellis Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

ATTINGERE Faſt. 3, 201. Intumuere Cures, et quos dolor *attigit* idem. *Fuerunt Cenninenſes, Cruſtumerini, et Antennates,*

tes, qui primum impetum fecerunt, non Curites, siue Sabini; sed felicibus proeliis a Romulo fusi, tresque vrbes eodem anno ductae sunt coloniae. hoc primum incrementum ciuitatis Romanae.

ATTONITVS *rarissimo vsu, actiue, is qui perterrefacit* Fast. 3, 864. Et ferit *attonita* pectora nuda manu. * Met. 4, 801. Nunc quoque vt *attonitos* formidine terreat hostes, Pectore in aduerso quos fecit, sustinet angues. *Et nunc etiam Pallas ad terrendos hostium animos caput Medusae cum serpentibus in Aegida transtulit.*

AVCTOR *nuntius, qui etiam interpres literarum eleg. dicitur, qui perfert literas; qua ratione haec notio deriuanda sit, cognosces ex Clau.* Ernestina in h. v. Met. 9, 578. Dum libet, o vetite scelerate libidinis *auctor* Effuge. * *legislator* Met. 8, 101. vt leges captis iustissimus *auctor* Hostibus imposuit. * *nuntius in vniuersum* Met. 11, 666. non haec tibi nuntiat *auctor* Ambiguus. et *ibid.* 12, 58. auditis aliquid nouus adiicit *auctor* * Met. 11, 125. Miscuerat puris *auctorem* muneris vndis: Fusile per rictus aurum fluitare videres. *auctor muneris h. l. vinum est, namque Bacchus dederat hoc donum, vt omnia fierent aurum, quaecunque Midas tangeret* cf. vers. 100. praeced. et seqq. * auctor *pro domino* Met. 1, 615. Iupiter e terra genitam mentitur, vt *auctor* Desinat inquiri.

AVDIRE arcum *tela dicuntur, quae facile ab arcu emittuntur, facilia: alii explicant, quae obtemperant arcui, eius quasi imperium sequuntur, certa tela. Adponamus locum.* Met. 5, 382. Ille (Amor) pharetram Soluit, et arbitrio matris de mille Sagittis Vnam sepositi, sed qua nec acutior vlla, Nec minus incerta est, nec quae magis *audiat arcum. Inde, puto, elucet*, audire arcum *h. l.*

vix esse posse obtemperare, *eo sensu, vt* certa *tela notet; namque id iam antea diserte poëta dixerat.* Nec minus *incerta* est, nec quae magis audiat arcum. *Non ita solet Ouidius ταυτολογειν. Notata itaque Sagitta subtilis; praeclara vero est descriptio Amoris sagittam mittentis; eligit de mille vnam, et quidem acutissimam, certissimam, facile sequentem; atqui vero tanta cura opus erat, etenim* agitur pars tertia mundi cf. vers. 372.

AVERTERE *in fugam compellere* Met. 9, 54. Impulsumque manu (certum mihi, vera fateri) Protinus *auertit*: tergoque onerosus inhaesit. *Nonnulli legunt*; aduertit, *pessime! Burmannus haec* „comprehensum me ita rotat, vt tergum ipsi obuertere cogerer, quod protinus Hercules insilit, et ita inhaeret: quae ars in lucta fuisse videtur. Sic, licet in tumultuaria Centaurorum pugna apud Valer. Flacc. 1, 145. Fert grauis inuito victorem Nestora tergo Monychus.„

AVFERRE iram, *vt minus latinum culpant interpretes ad* Trist. 1, 1, 33. Quaeque volet rata sint: *ablata*que principis ira Sedibus in patriis det mihi posse mori. *ideoque de lectione mutanda cogitant. male! namque, etiamsi noua esset locutio, contra omnes Codd. praesertim in poëta nil mutandum erat. atque* auferre *saepius occurrit, vt notet* cessare, desinere. *vide hoc vocab.* in I. Part. Clauis poët. et *ibid.* pag. 395.

AVGERE formam *eleg. condecorare, pulchriorem reddere* Met. 10, 534. adsuetaque semper in vmbra Indulgere sibi, formamque *augere* cólendo. *Sic Met.* 1, 530. *auct*aque forma fuga est. *pulchrior.* *animos. Fast. 3, 65. Vt Genus audierunt: animos pater editus *auget.*

AVGVRIVM: *explicatio augurii* Metam. 1, 395. Coniugis Augurio quanquam

quam Titania mota est; spes tamen in dubio est.

AVGVSTVS: Sancta vocant *augusta* patres: *augusta* vocantur Templa, sacerdotum rite dicata manu. Huius et augurium dependet origine verbi Et quodcunque sua Iuppiter auge ope. Fast 1, 609. seq. *Hinc* augustum caput Met. 15, 869. grauitas Met. 6, 73. forum Fast. 5, 552. &c.

AVIS *vide longe elegantissimam auium descriptionem, et cur, et quando immolari coeperunt* Fast. 1, 441. seqq. * experiri aues, *consulere, auspicium captando* Fast. 4, 814. Magna fides auium est! *experiamur* aues.

AVRA *de vehementi vento* Fast. 3, 585. Et dubia librantur ab *aura. et sic alibi etiam, vt Fast.* 2, 454. *&c.*

AVRATVS: sinus auratus, *pro veste auro sparsa, siue acu picta, siue aureis filis contexta.* Fast. 2, 310. Ibat odoratis humeros perfusa capillis Maeonis, *aurato* conspicienda sinu.

AVREVS: aurea Venus, i. *pulchra ad frequentissimum Homericum illud* χρυσεη ἀφροδιτης Met. 10, 277. &c. * *de curru solis* Met. 2, 107. *Aureus* axis erat, temo *aureus*, aurea summa curuatura rotae, radiorum argenteus ordo. *Diomedes h. l. vituperat:* cacozelia est, *inquiens*, per affectationem *decoris corrupta sententia. damnat nimirum Grammaticus nimium cultum et ornatum. sed forte phantasiae eius vis tantae pulchritudinis repraesentandae non capax fuit; omnia hic apud Ouidium bene se habent et eleganter. finge tibi eiusmodi currum, et cogita, eum esse Phoebi; admiraberis eum, nulla erit offensio Praeterea est aperta et pulchra imitatio illius loci* Homeri Iliad. 5, 722. *vbi eodem modo currum Iunonis describit. Burmannus ad h. l. plura simulia loca laudauit: vt ex* Callimach Hymn. in Apoll. 33. *et in Dian.* 110. in Delum 260.

Adde Victor. Var. Lection. 33. c. 12. *et de curru Solis* Lambin. ad Hor. od. 3, 6. * *de nitore stellae* Fast. 3, 516. Aurea per stellas nunc micat illa nouem.

AVRIGA *pro gubernatore nauis.* Trist. 1, 4, 16. Si non quo voluit, sed quo rapit impetus vndae *Aurigam* video vela dedisse rati.

AVRIGENA *nobile epithet. Perſei* Met. 5, 250. *quia, vt ex fabulis notum, filius Danaës, quem a Ioue, conuersum in pluuium aurum, conceperat. Perplacet illud cognomem vt cum maxime, et nobilem habet audaciam.* Hactenus aurigenae comitem Tritonia fratri se dedit. *Bis hieher vvar Minerva ihres Goldgebohrnen Bruders Begleiterin gevveſen.*

AVRORA purpurea Met. 3, 184. *vide voc.* Sol aduersus.

AVSPEX; *cuius adsensu, adprobatione aliquid fit.* Fast. 1, 26. *Auspice* te felix totus vt annus eat. *Alloquitur Germanicum, cui dicauerat* Fastos.

AVSPICIVM: *initium coniunctum cum quodam omine* Met. 10, 8. Exitus *auspicio* grauior &c.

AVSVM: auso potiri Met. 11, 242. Quod nisi veniſſes, variatis saepe figuris Ad solitas artes, *auso* foret ille *potitus. Imitatus est Virgilium.*

AVXILIARE *antique* Pont. 1, 3, 24. Tollere nodosam nescit medicina podagram Nec formidatis auxiliatur aquis. *vide* Nodosus.

AVXILIARIS: aera auxiliaria *apud Ouid.* Met. 4, 333. *sunt illae tubae et cornua, quorum concentu strepituque, quasi succurrere et auxiliari Lunae volebant, vbi deficiebat, in Eclipsi. describit rem Tacitus* Annal. 1, 28. *quem locum iam* Micyllus *ad h. l. Ouidii laudauerat. Adde* Met. 7, 207. Te quoque Luna traho, quamuis temerata labores Aera tuos minuant. *Ita enim lego non* Temesaea *cum Burm. vide* Temeratus. *hinc vides, quare* auxilia-

xiliaria aera, *illa aenea vasa, tintinnabula, &c. dicantur.* cf. Tibull. Eleg. 1, 8. et Pseudo-Senec. Hippolyt. 787. Sed in priori loco *Ouidiano summa est venustas, cum ruborem poëta dicit fuisse in ore pueri pudibundi, et ingenui Hermaphroditi, qualis interdum sit Lunae deficientis. noua profecto comparatio et mira!* * vndae auxiliares Met. 1, 275. Sed illum Caeruleus frater (*Neptunus*) iuuat *auxiliaribus* vndis. *pulchre! Ioui aquis terras inundanti quasi auxilia mittit Neptunus vndas.*

B.

BACCA sincera Met. 8, 664. Ponitur hic bicolor sincerae *bacca* Mineruae Conditaque in liquida corna autumnalia face. Heinsius *intelligit* baccam recentem, et *nullo* sale aut muria conditam; *sed vide* Sincerus.

BALATVS dare Met. 7, 547. Lanigeribus gregibus balatus dantibus agnos Sponte sua lanaeque cadunt et corpora tabent. *in nobili descriptione pestilentiae; cuius insignes virtutes legendo cognosces, et si vis, comparabis cum* Lucretio Silio, Virgilio, cf. Scalig. Poët. lib. 5, critic. pag. m. 673. seq.

BARBA noua, *non recens laeuigata vt alii explicant, sed* est barbula prima, πρωθηβη. Fast. 3, 60. Martia ter senos proles adoleuerat annos, Et suberat fiauae iam *noua* barba comae.

BASIVM: *eo vocabulo nunquam Ouidium esse vsum notandum duxi: praesertim in tali scriptore.*

BELLATOR equus Met. 15, 368. Pressus humo *bellator* equus crabronis origo est.

BELLICVS, *bellicus Deus, Romulus* F. 2, 478. *Bellicus* a telo venit in astra Deus.

BENE, *omnino* Fast. 5, 278. Vix *bene* desieram; retulit illa mihi: *et Sic* Fast. 6, 513. *Nec alia* fere notione, *vt scil.*

notet plane, prorsus Met. 12, 616. Iam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, paruam quod non *bene* compleat vrnam. *Quam suauiter! quam nobili sententia! Adde sequentia.* At viuit, totum quae gloria compleat orbem. Haec illi mensura viro respondet, et haec est par tibi Pelide; nec inania Tartara sentit. *sed lege cum Burm.* et hac est par sibi Pelides. *cet. clamat ipse locus,* * bene esse alicui Pont. 1, 3, 39. Cum *bene sit* clausae cauea Pandione natae Nititur in siluas illa redire suas. *sensus facillimus. Quamuis commode viuat in cauea hospita luscinia, tamen libertatem siluarum expetit. Sed plerique codd. bonae notae et Aldinae Editt. legunt:* cum bene sit clausa cauea Pandione nata. *Atque Heinsius ipse hanc lectionem probat. Quae nunc legitur, lectio debetur emendationi Mycilli; Ego vero sequor Codd., nec admittendam Micylli emendationem duco. vide* Burm. ad Petron. c. 34. et 65. * Fast. 2, 637. Et bene nos, Patriae, bene te, pater optime, Caesar, Dicite suffuso, per sacra verba, mero. *Nota est formula combibentium,* bene nos, bene se, bene me &c. *Adulatur itaque h. l. poëta Augusto Caesari, idque ex ritu Graecorum, qui finito conuiuio poculum hauriebant,* Διος σωτηρος καὶ ἀγαθοῦ Δαιμονος dictum, vt ex *Athenaeo et aliis constat. Horum loco igitur Ouidius Caesari, Patri patriae, et laribus libandum suadet. Similis plane est locus ille* Horat. 4, 5. Condit quisque diem collibus in suis Et vitem viduas ducit ad arbores. Hinc ad vina redit laetus et alteris Te mensis adhibet Deum. &c. *libri scripti et editi variant vehementer; alii* bene nos, *alii* bene vos *tenent: Si* nos *retineamus, intelligemus votum pro salute publica. Atqui mihi placet haec lectio;*

cur

cur enim bene vos, *cum sequatur postea* Caesar. *et magis est ex more conuiuantium*, bene nos. *De ritu illo plura, sed ad nostri instituti rationem non attingentia, docuit* Heinsius *ad h. l. quem si lubet, conferes.*

BENIGNVS, praeda benigna, i. *satis commoda.* F. 5, 174. et est illi praeda *benigna* lepus: At postquam virtus annis adoleuit in apros Studet et hirsutas cominus ire leas.

BIBERE, eleganter! F. 3, 561. Mista *bibunt* molles lacrymis vnguenta fauillae.

BIBVLVS talaria bibula Met. 4, 729. Nec *bibulis* vltra Perseus *talaribus* ausus, *non amplius confidit calceamentis istis alatis, quae iam multum aquae et humoris adtraxerant.* lana bibula; *bene!* Met. 6, 9. Phocaico *bibulas* tinguebat murice lanas. * nubes Met. 14, 368. patrio capiti *bibulas* subtexere nubes cf. vers. *seq.* * bibula radix Met. 14, 633.

BICOLOR bacca, Met. 8, 667. ponitur hic bicolor sincerae *bacca* Mineruae. *eleg.* bicolor oliua, *quia viridis et nigra. vide* Sincerus.

BICORNIS *epithet. eleg.* furcae. Met. 8, 650. *Furca* leuat ille *bicorni* Sordida terga suis nigro pendentia tigno. *Vide* furca. *Est descriptio* carnarii, *proximi foco, et proinde fumo expositi. vide* Plin. H. N. libr. 19, c. 4. p. 548. Columel. 12, 53. *de Salsura suillae carnis.* Varron. 2. de Re Rust. c. 4. Petron. c 136. sordida terga *loc. laud. Ouidii* sunt fumosa. * Met. 11, 764. Aesacon vmbrosa furtim peperisse sub Ida Fertur Alixothoe gracili conata *bicorni. Sic ille locus in nostra Edit. et vulgatis legitur, qui mire torsit interpretes. Primum non ego dimicandum censeo de lectione nominis; namque, siue appelletur* Alixothoe, *siue* Alizothoe, *siue* Alirrhotie, siue Alexirrhoe, et *quidquid voles in tam obscura persona profecto idem erit.*

erit. Sed quid est gracili conata bicorni? *Raphael exponit* bicorne, *instrumentum rusticum, quo nixa peperisset Alixothoe. Certe de furca paullo ante locum attulimus. Atqui ego non video, cur non sequamur Raphaelem. praesertim si conf. contexta. Pingit actionem pariendi poëta, quo rusticam generationem, indeque vitam agrestem, vrbibus inimicam, eo magis probabilis reddatur.* Furca nixa eum peperit Alexithoe, *vt solent parturientes, auctore Raph. fulciri ad aliquid, vbi nemo adest. Heinsius coniecturae suae indulgere mihi videtur, reponens:* Granico nata bicorni. *Primum nullum vestigium eius lectionis* in vllo codice. *deinde, quid sibi hoc vult, quod poëta addit:* natam eam esse Granico? *Certe hoc non poëtica virtus, sed complementum versus esset.* Burmannus, *qui Heinsianam, siue potius* Pierianam (a Pierio duxit eam Heinsius) *lectionem non admittendam duxit, suspicatur,* Sagarim, *vel* Sagarium *fluuium hic latere. Sed causam ego non video. Emendat:* Alexirhoe Sagari cognata bicorni. *Fluuios dici* bicornes *notum est, sed hanc lectionem accipiet qui volet. Certe ego mentem meam explicui,* et, *nisi fallor, videor mihi etiam Ouidianam videre mentem; quae iubeat vt primo loco posita mea explicatio valeat.*

BIDENS, *instrumentum agreste; emolliendis inprimis vineis, aut agris inseruiens* Fast. 4, 694. Ille suam peragebat humum: siue vsus aratri Siue cauae falcis, siue *bidentis* erat.

BIFORIS Pont. 335. Nox erat, et *biforis* intrabat luna *fenestras, duplicibus valuis instructas;* Mense fere medio quanta nitere solet.

BIFVRCVS *verbum Ouidianum* Met. 12, 447. ramum prior ille *bifurcum* gesserat.

BIMA-

BIMARIS epitheton Corinthi Fast. 4, 501. *et* Met. 5, 407. Bacchiadae *bimari* gens orta Corintho. *de voce bimaris vide clav. poët.* Part. I. *in hac voce: sic et* bimaris Isthmus Met. 6, 419. et 420. *solito verborum usu et quotidiano. Bacchiadae, s. Bacchii nepotes. Bacchius enim Dionysii filius Corinthum habitauit; ab eo autem genus ducentes generosissimi Corinthiorum habebantur. Bacchiadas dixit imitatione Apollonii Rhodii*, libr. 4, 1212. vbi cf. Schol. *cf. etiam* Aelian. Var. Histor. 1, 19. Adde Strabon. lib. 7, p. 376. * bimaris Isthmus Met. 7, 405. Qui virtute sua *bimarem* pacauerat *Isthmum; Peloponnesον, Achaiam &c. quas terras a latrociniis liberauerat Theseus.*

BIMATER *epitheton Bacchi, nouum Ouidii vocabulum, at elegans, efficax, et eo loco quo in ore Baccharum sonat, excellenti cum virtute prolatum; est enim vere Dithyrambicum verbum, et miram rem mire exprimit.* Met. 4, 12. Bacchumque vacant Broimumque, Lyaeumque, Ignigenamque, Satumque iterum, solumque *bimatrem. De veritate cognominis* vide Met. 3, 317. seq. *vbi duplex eius mater, et Semele, et Iupiter narratur.*

BIMEMBRIS *epithet. Centaurorum propter duplicem, equi, et hominis formam; deinde, pro ipsis Centauris ponitur.* Met. 12, 240. ardescunt germani caede bimembres; *sic nostra Editio. Plerique libri habent*, germana caede bimembres. *Heins. et Burman. emendant:* germani a caede b. i. *propter caedem, vt saepius apud poëtam a et* ab *ponitur. Nec tamen equidem video, qua de causa mutandum sit. Lego* germana caede: *bene* germana caedes, *de iis, qui sanguine coniuncti, et longe melius* ardescere caede, *quam* a caede. *Vocab.* bimembris *pro* Centauro *occurrit etiam* Met. 15, 283. illic lauere *bimembres*

Vulnera, Clauigeri quae fecerat Herculis arcus. Adde Met. 12, 494.

BINVS Met. 14, 205. mentique haerebat imago Temporis illius, quo vidi bina meorum Ter, quater affligi sociorum corpora terrae: cum super ipse iacens hirsuti more leonis Visceraque et carnes cumque albis ossa medullis Semianimesque artus auidam condebat in aluum. *Mire torsit hic locus interpretes. plurimi post voc. ter, incisum ponendum censuerunt, quod et factum in nostra Editione; vt sensus* sit: bina ter corpora, i. *sex corpora sociorum terra adfligit &c. Sed primum obstrepit consuetudini nostri et cuiusque boni poëtae, adeo ambigue* ter quater *coniungere et diuisim intelligere. Deinde, vnde haec distinctio nata, causa est friuola. Dicunt enim, quia apud Homerum* Odyss. 1, 290. seqq. *Sex numerentur, ideo et h. l. ita accipiendum: quod minime sequitur; aperte enim Ouidius h. l. non Homerum imitatus est, sed* Virgilium Aen. 3, 623. *vbi* duo corpora *narrantur interempta. Quae cum ita sint, vocabula* ter quater *coniungenda sensu sunt, vt millies pro* saepius *posita. Omitto sedulitatem aliorum interpretum, quae tantum abest, vt locum iuuet, vt vltro eum obscuret. Lege iam ipse locum, et omnia tibi erunt facilia, nisi scrupulum mouebunt verba:* cumque *albis* ossa medullis. *At vero, nec ego ita legendum arbitror: verum siue:* cumque ipsis ossa medullis, *siue* collisisque ossa medullis; *quod boni libri tuentur; nec dedecet rem ipsam horridam, foedamque; quippe voracitatem et immanitatem Polyphemi indicat poëta, quem, vt leonem, non morabantur ossa. Non ego video, cur dicam, vlcus maius latere, vt autumat Burmannus, nec quidni accipienda sit, quam posui, lectio. Forte et iste*

locus vnus eorum est, quos nondum plane elaboratos, politosque poëta emendationi futurae destinauerat, adscribens interim varias locutiones, vnde aut optima eligeretur, aut alia noua poneretur. Quae coniectura, de versibus, in ipso autographo Ouidii, variis lectionibus, incertis adhuc a poëta conscriptis, nae, plurimis sustentatur locis et argumentis.

BIPENNIFER Lycurgus. Met. 4, 22. Penthea tu, venerande (*Bacche*) *bipenniferumque* Lycurgum Sacrilegos mactas. *Nomen et totus locus desumtus videtur* ex Hom. Iliad. 6, 130. seqq. *vbi Lycurgus dicitur* τιθηνας *h. e. nutrices bipenni siue securi* (βελεκυν βοος ἀναιρετικον) *persecutus esse, ideoque postea a Ioue oculis priuatus.* Adde Trist. 5, 3, 39. *vbi* Lycurgi ossa *bipenniferi.*

BISVLCVS: lingua *bisulca de angue, lingua, vel ut sulco, in duas partes diuisa; rarior vox, quam* trisulca *lingua, quae solemni modo tribuitur serpentibus.* Met. 9. 65. fero moui *linguam* stridore *bisulcam.*

BITVMINEVS *vocabulum ab Ouidio natum.* Met. 15, 350. Siue *bitumineae* rapiunt incendia vires, *bene* rapere incendia; *nec minus*, vires bitumineae.

BLANDVS: cornua blanda, *quae sint non intelligo, nec intellexerunt ante me viri docti ad* Ouid. Met. 10, 271. Festa dies Veneri tota celeberrima Cypro venerat, et *blandis* indutae cornibus aurum Conciderant ictae niuea ceruice Iuuencae. *Burman. edidit*: et *pandis inductae* Cornibus aurum. Heins. *emendationem, restituentis* pandis *pro* blandis *sequutus. Nec temere, nisi velis legere:* pandis indutae cornibus aurum. *Blandus et pandus etiam alibi confundantur.*

BONVS: pars bona i. magna Fast. 150. pars *bona* montis ea est. * bonum

num formae *pro* pulchra forma. Met. 10, 563. nec dicere posses Laude pedum formaeque *bono* praestantior esset. *Laus* pedum *est* velocitas, bonum formae *eleg. et noue dicitur: miserum est igitur, emendationi dare locum.* cf. Epist. 21, 38. *codd. variant, glossis scilicet obruti, quae, infrequens hoc vocab. illo sensu, explicabant.* * bonus, *fidus*, Trist. 5, 14, 25. Esse *bonam* facile est, vbi, quod vetet esse, remotum est; *(sed totus locus pulcher; adscribam eum.)* Et nihil officio, nupta quod obstet habet. Cum Deus intonuit, non se subducere nimbo Id demum pietas, id socialis amor.

BRACHIVM: ducere brachia, *pro* iactare Met. 4, 353. Desilit in latices, alternaque brachia *ducens; nonnulli legunt* iactans, *quod vocabulum occurrit in eadem re* Met. 5, 595. *Sed quis credat mutatum esse, iactans in* ducens, *versa vice commutationem ortam haud dissimile vero est. Eandem lectionum varietatem obseruat* Amor. 2, 4, 29. Burmannus; *quare* ducere *eo magis accipio; causam docti facile vident.*

BVCERVS armenta bucera, *f. cornuta, a βοῦς et κέρας.* Met. 6, 395. Illum ruricolae — et Nymphae flerunt, et quisquis montibus illis lanigerosque greges, armentaque *bucera* pauit.

BVXVS. longo foramine buxus; *de tibia, ex buxo fieri solita* Met. 4, 36.

C.

CACVMEN *de summa euergente parte nouae e terra crescentis arboris.* Met. 4, 255. Virgaque per glebas sensim radicibus actis Turrea surrexit; tumulumque *cacumine* rupit. *elegantissima et descriptio et inuentio!* * *pro monte* F. 4, 399. Nunc epulae tenera fronde *cacumen* erant. *nunc comedebant homines arboreos, et alios foetus montis.* * cacumina siluae Fast. 2, 439. subito motae tremuere

muere *cacumina* siluae. * *in longe elegantissima imagine veris.* Trist. 3, 12, 12. *Lege ipsum loc.*

CACVMINARE, acutum reddere: *Nouum forte finxit hoc verbum Ouid.* Met. 3, 195. Dat spatium collo; summosque *cacuminat* aures: *de Actaeone a Diana in cervum transformato.*

CADERE: dies cadens, *pro Vespere.* Met. 4, 627. * *de vento, vbi desinit flare, abit.* Met. 8, 2. Iam nitidum retegente diem noctisque fugante Tempora Lucifero, *cadit* Eurus. * cadere *ab* aliquo. *vide* Ab.

CADVCVS, *vide hanc vocem in priori parte Clauis.* Pont. 2, 7, 39. Iam dolor in morem venit meus; vtque *caducis* percussa crebro saxa cauantur *aquis* &c. * *cadens* Met. 7, 842. *Fronde* leuem rursus strepitum faciente *caduca* * preces *caducae sunt* irritae Fast. 1, 181. Templa patent: auresque Deum, nec lingua *caducas* concipit vlla *preces*; dictaque pondus habent.

CAECARE, *elegant:* Pont. 2, 7, 45. Pectora quam mea sunt serie *coecata* laborum; Et nihil inueni, quod mihi ferret opem.

CAECVS specus, *caliginosus.* Met. 7, 409. specus est tenebroso *caecus* hiatu &c. *namque notum, hoc vocab. passiue creberrime solere vsurpari. Descriptionem huius specus et fluuii Acherontis, si vis, inuenies apud* Ammian. Marcell. 22, 8. cf. Spanhem. ad Callimach. in Del. 291. * Met. 1, 24. *caecus* acernus; *de chao. i. niger, in quo nihil discerni poterat. Si tenetur, coecum et actiue vsurpatum et passiue, modo, quod videt, esse, modo, quod videtur, omnes locos, vbi occurrit, fere perspices. Hinc* coeca saxa &c. *contextus et sana ratio notionem voc. vbique, etiam vbi adiecta est quaedam idea illi coecitati.* v. c. *confusio, obscuritas, incertitudo, difficultas, ignorantia, improuisum, occultum* seqq. *docebunt.*

Hinc

Hinc hiſtoriae coecae apud Ov. in Ibin ſ. *ſunt obſcurae, parum notae. apud Virg. Aen.* 4, 209. coeci ignes *ſunt improuiſi. non* bruta fulmina *intelligenda eſſe, totus verſus docet, vt* coeci fluctus *etiam ſ. non praeuiſi apud Senecam Suaſor.* 1, 7. * *qui non cognoſcitur aut intelligitur* F. 2, 214. Vbi vincire aperte Non datur inſidias armaque *caeca* parant. *Sic F.* 1, 623. *et* 4, 668.

CAEDES, *pro* ſanguine Met. 4, 97. *Caede* leaena boum ſpumantes obiita rictus. *ſic et paullo abhinc* 4, 125. Arborei foetus adſpergine *caedis* in atram Vertuntur faciem.

CAELATVS: *vid. Ern. Clav. Cic. in hoc voc.* caelatus Clypeus Met. 13, 110. Clypeus vaſti *caelatus* imagine mundi, *eſt Clypeus iſte aeterna fama nobilitatus Achillis, in quo argumentum totius orbis pictum erat.* cf. Homer. Iliad. T. 388. ſqq.

CALATHVS, *ſportula proprie, qua το καλλος h. e. lanas tinctas reponebant feminae lanificio operatae. ſic* F. 2, 742. Nebat ſcilicet Lucretia. Ante forum calathi, lanaque mollis erat.

CALCITRARE *de mortuo*, palpitare, *quod vide.* Met. 12, 240. Madida reſupinus arena *Calcitrat.* ardeſcunt Germani caede bimembres. *vide* Bimembris. *Sic et* Met. 5, 40. *Calcitrat* et poſitas adſpergit ſanguine menſas. *de percuſſo et moribundo Rhoeto. Non proſcribenda videtur haec lectio nec legend.* Palpitat *pro* calcitrat, *vt Burmannus edidit; vox illa quidem in hac re et frequens et pingens. Ipſe noſter* Met. 6, 560. *de lingua Philomelae exciſa.* Illa iacet terraeque tremens immurmurat atrae, Vtque ſalire ſolet mutilatae cauda colubrae *palpitat. Habes explicationem verbi* palpitare. *Nec tamen ideo h. l. accipiam* palpitat; *quia non veriſimile, obſcuriorem, et interioris latinitatis*

nitatis phrasin *fuisse a librariis pro solita positam.*

CALERE Met. 13, 590. Des mihi sacrificas *caliturasque* ignibus aras.

CALESCERE, *de furore amabili, poëtico,* F. 6, 5. Est Deus in nobis, agitante *calescimus* illo.

CAMPVS gramineus; *vide* Gramineus.

CANDERE; *de albo colore vid. h. v. in I. Part. Clauis.* Pont. 3, 3, 98. Sed neque mutatur nigra pice, lacteus humor, nec quod erat *candens*, fit terebinthus ebur. *De arbore terebintho* conf. Plin. 13, 6. Syria et terebinthum habet. ex his mascula est sine fructu; feminarum duo genera. Alteri fructus *rubet* lentis magnitudine; alteri pallidus. *Attulerat h. l. iam Gesnerus in Thes. et ad h. l. Ouidii eo carere non possumus.*

CANDIDVS Pont. 2, 4, 30. Non ita pars fati *candida (felix)* nulla &c. * dies, *serenus, felix.* Trist. 2, 142. Nube solet pulsa *candidus* ire dies. *vide hoc voc. in I. Parte Clauis.*

CANERE *simpliciter de incantationibus magicis* Met. 12, 263. Orio mater erat Myrale: quam deduxisse *canendo* Saepe reluctanti constabat cornua lunae. *Notum est; incantationes,* Carmina de coelo possunt deducere Lunam.

CANESCERE, *senescere* Met. 9, 423. queritur *canescere* mitis Iasiona Ceres. *Variant maxime codd. in voc.* Iasiona, *sed vera est, quam dedimus, lectio* cf. Hesiod. Theog. 969. et Theocrit. 3. extrem. Homer. odyss. 2, 125.

CANIS *infelix iactus in tesserarum ludo* Trist. 2, 974. Quid valeant tali, quo possis plurima iactu Fingere damnosos effugiasque *canes.* Plurima iactu fingere *intelligo cum Mycillo de felicissimo iactu* Venere *dicta; de qua re Martial.* 14. — cum steterit nullus vultu tibi talus eodem Munera me dices magne dedisse tibi. *Sed haec de talis; in ludo Tesserarum*

rarum Venus dicitur lactus, vbi plurima cadunt, i. e. octodecim: *vide* ad totum locum Fingere. **vide comparationem ab cane feram insequente concinnam apud* Ouid. Met. 1, 533. *et eund.* Met. 7, 287. comp. Virgil. Aen. 12, 749. *imitati videntur esse hi vti etiam Statius* Theb. v. 165. Apollon. Rhod. 1, 11, 278. *cui simillimus tamen Ouid. locus laudatus videtur esse.*

CAPAX animus; *magnus, vastus,* Met. 15, 5. Non ille satis cognosse Sabinae gentis habet ritus: animo maiora *capaci* Concipit; et quae sit rerum natura requirit. * * pharetra Met. 9, 231. At tu Iouis inclyta proles Arboribus caesis quas ardua gesserat cete Inque pyram structis arcus pharetramque *capacem* Regnaque visuras iterum Troiana sagittas ferre iubes Poeante satum (*Philoctetem*). *Volupe erit conferre hanc omnem narrationem cum* Philoctete Sophoclis et Pseudo-Senecae Hercule furente. *Nobis hic non licet esse copiosis; quare hanc comparationem alii occasioni conseruamus. comp. tamen sunt imprimis* Sophocl. Philoct. 659. seq. Senec. Herc. Oet. 148. seqq. Philostrat. de imagin. c. 17. Sagittas Regna Troiana visuras *etiam inuenies apud* Sophocl. et Homer. in Iliade - *namque in fatis erat, absque Herculis sagittis non posse moenia Troiae capi.*

CAPERE, *eleganter* Trist. 3, 4, 30. Nec natum in flamma vidisset in arbore natas *Cepisset* genitor si Phaëtonta Merops. *Frustra verbis et Heinsius et Burmannus in h. l. abutuntur.* Capere genitor Phaëtontem *dicitur poëtice pro* accepisse. *Sensus: Si Merops habuisset genitor Phaetontem filium; si vere eius pater fuisset &c. Valeat doctrina, vbi* copia ipsa nocet; *vt alibi Naso; de re ipsa conf. Met.* 1, 750. *et seqq. et libr.* 2, init. * capere motus, *est moueri, tangi*

tangi Trist. 3, 5, 32. Quo quis enim maior, magis est placabilis irae; Et faciles *motus* mens generosa *capit*. * Trist. 2, 76. Sed tamen, vt fuso Taurorum sanguine centum sic *capitur* minimo turis honore Deus. *delectatur ture paruo: venusta sententia, et ad rem praeclare delecta*; cf. *perpetuitatem loci.*

CAPILLVS. *Solebant veteres tumulis mortuorum imponere sectos suos capillos. vid.* Barth. ad Stat. Thebaid. 6, 194. *et* ponere *hac in re solemne verbum. Hinc* Ouid. Met. 3, 506. Plangere (*Narcissium*) sorores Naides; et *sectos* fratri *posuere* capillos. *Nulla est lectio, quae in multis libris obtinet:* fratri *imposuere* cap. *nam quomodo fratri imponerent capillos, qui nusquam erat?*

CAPTARE, *sermonem*, loquendo aliquem *eo deducere, vt materiem praebeat verba faciendi de hac siue illa re, irretire aliquem loquendo in aliquam materiem*, Ouid. Met. 3, 279. Ergo vbi *captato sermone*, diuque loquendo, Ad nomen venere Iouis, suspirat &c. *Venuste ad rem delectum verbum est.* cf. loci *perpetuitatem.*

CAPTATVS, *captari tentatus* Met. 11, 769. siluas *captatam* saepe per omnes Adspicit Eperien patria Cebrenida ripa. *In Burm. ed. leg.* Hesperien; *ad rem idem est, siue nominata* Hesperie *siue* Eperie fuerit; *nec nostrum nunc consilium mythologiam tractare; qui vult, leget plura in Notis variorum virorum ad h. l. in ed. Burm.*

CAPTVS, toto pectore. F. 6, 509. *nimium faciles, e toto pectore captae. Quae quidem dictio si quam habet vim, eam habet, vos totae deditae aliis, adeo vt ironice hic sit adhibita.*

CARBASVS, *amictus solemnis fluuiorum. Sic et* Met. 11, 48. lacrimis quoque flumina dicunt Increuisse suis: obscuraque *carbasa* pullo Naides et Dryades passosque habuere capillos. „*Conf.*

Nonium in Carbasus *quem perperam corrigit* Lindenbr. ad Stat. 7, 958. et Scalig. ad Auson. Mosell. vers. 367. „ *Burm. vide* Pullus.

CARDO, *de punctis duobus, quibus coelum verti videtur, qui polus arcticus et antarcticus nominatur.* F. 1, 119, 120. Me penes est vnum vasti custodia mundi Et ius vertendi *cardinis* omne meum est.

CARMEN, *cantus auis,* Met. 10, 453. *vide* letalis * *plur. pro* versus. Met. 5, 340. Calliope querulas praetentat pollice chordas, Atque haec percussis subiungit *carmina* neruis. * *cum dicatur de argumento fabulae, legis, scripti &c. pulchre et noue ab Ouidio vsurpatur ad notandum argumentum quod intextum telae; factum, quod callida arte pinxerat vestibus Philomela.* Met. 6, 582. Euoluit vestes saeui matrona tyranni: Germanaeque suae *carmen* miserabile legit. * *tibiae cantus aut lyrae &c.* F. 2, 84. Quod mare non nouit, quae nescit Ariona tellus? *Carmine* currentes ille tenebat aquas. *Hic non dubium est, quin ad carmen, quod caneretur tibiis, referendum sit. Sic etiam explic.* carmen arundineum. Trist. 4, 1, 12. Fessus vt incubuit baculo saxoue resedit Pastor *arundineo carmine* mulcet oues. * *de incantationum formulis Jacpius* vt Fast. 2, 426. 3, 323. &c.

CARPENTVM *vehiculi genus,* quo *vsae matres Ausoniae, qui honor eis tamen mox ereptus. vide* Fast. 1, 619. 626.

CARPERE, pabula, *suauiter de equis, verbum rem pingens.* Met. 4, 217. Dumque ibi quadrupedes Solis equi, coelestia *pabula carpunt. Alii* gramina *pro* pabula, *sed et Fast.* 4, 750. *dixit:* carpere pabula *et voc.* gramina *non conuenit vers. praeced.* 215. Ambrosiam pro gramine habent. * oscula, *non occurrere apud* Ouidium *frustra notauerant* Heinsius *et* Burm.

Burm. ad Am. 2, 11, 45. *cum occurrat, nullo refragante codice.* Met. 4, 358. Pugnacemque tenet, luctantiaque oscula *carpit. Restituenda igitur etiam haec vox dicto* Amor. *loco* * aëra, *bene de volante* Met. 4, 615. Aëra *carpebat* tenerum stridentibus alis. *adde* Fast. 5, 88, *et 666.* * carpere lilia, *legere* Met. 5, 392. Ludit et aut violas aut candida lilia carpit. *Sed dulcedo versui ineſt nata ex repetita littera* a, *apprime h. l. Virgilius eandem venuſtatem in eadem litera adhibuit.* Mollia luteola pingit vaccinia caltha. * cocco *carpi* igni, *eleg. de amore vehementi et vrente magis magisque* Met. 3, 490. cocco paullatim *carpitur igni. Stultum eſt, legere*: recto — igni; *vt nonnulli libri habent.* Virg. Aen 4, 2. coeco carpitur igni. (*de Didone.*) *Sic etiam* Fast. 2, 768. carpitur attonitus abſentis imagine ſenſus Ille: recordanti plura magisque placent.

CASTVS *dici hoc vocab. de omni eo, quod notionem pietatis, ſanctitatis &c. inuoluat, in Parte I. Claud. dictum* eſt conf. h. voc. *Huc vero* referend. *ex Ouidio* Met. 15, 675. cognouit numina *caſtos* Euinctus vitta *crines* albente ſacerdos. *belle! Ita etiam* Fast. 4, 412. Parua bonae Cereri ſi modo *caſta* placent. Fast. 2, 174. coetus Defere, nec *caſtas* pollue dixit aquas. * Fast. 5, 726 februa caſta *ſunt, quae caſtos, puros efficiunt.*

CASVS. Met. 5, 117. *caſuque* fuit miſerabile carmen. *dum cadit, miſerabile fuit carmen: ſed qualis iſte ſenſus? Iapetides citharae ſciens ad celebrandas dapes voce, et cithara, arceſſitus, interimitur, in coena illa ſubito orta pugna.* Concidit et digitis morientibus ille retentat Fila lyrae: caſuque *fuit* miſerabile carmen. Regius *explicat*: forte lyra emiſit carmen triſte, et morienti conueniens. *Sed recte notauit iam Burmannus*: caſu *h. l. non*

pro sorte, *sed pro* lapsu *in terram debere intelligi. Ipse vero pro* fuit *reponendum putat* fugit: *casu viri ad terram, et inde morte secuta, carmen aufugit, et desiit. Meliores tamen codices habere* canit *pro* fuit *dicit. Cur itaque non eos sequamur? vt paucis absoluam. Legendum est, si quid video, necessario* canit. Casuque canit miserabile carmen. *Omnia clara, venusta, Ouidiana. nam* canere *h. l. de eiulatu, fletu et clamore morientis recte dicitur et venuste. namque*, canit moriens miserabile carmen, *bene pingit eum, qui miserabiles, dum cadit, voces edit; et h. l. cum de perito Musices dicitur, recta est locutio.* Ouidiana *denique haec sunt; primum quod alluditur ita ad canentem et pulsantem citharam, deinde quod dixerat versu* 115. 1, stygiis cane cetera — Manibus. *Solita sua repetitione poëta itaque dicit:* casuque canit miserabile carmen. *Ego de lectione amplius dubitare non possum. Sic supra Libr.* 4, 574: Ipse precor Serpens in longam porrigar aluum, Dixit et vt serpens in longam tenditur aluum.

CAVVS *incuruatus* Fast. 4, 694. Ille suam peragebat humum: siue vsus aratri Siue *cauae* falcis, siue bidentis erat. * caua machina *dicitur* mola Fast. 6, 381. Quodcunque est Cereris solidae, caua machina frangat. *eleg.* Ceres solida!

CAVSA, *occasio*, Trist. 2, 452. Saepe velut gemmam dominae signumue probaret: *Per causam* meminit se tetigisse manum. i. *hac occasione. Plura loca hac phrasi ornata attulit ex Liuio et aliis* Heinsius *ad h. l.* cf. Broukhus. ad Tibull. 1, 7, 26. * Ov. Met. 3, 72. solitas accessit ad iras *causa* recens. *i. nouum irae argumentum, et impulsus. Sed Burm. leg.* plaga *pro* causa, *quod etiam vehementer mihi arridet.*

CEDRVS. Trist. 1, 1, 7. Nec titulus minio, nec cedro

cedro charta notetur. *vide hoc vocab. in I. Parte* Clau. *et adde* Vitruv. libr. 2. c. 9. „Quemadmodum ex cupresso et pinu resina, sic ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, nascitur; quo reliquae res, cum sint nactae, vti etiam libri, a tineis, et a carie non laeduntur„ Martial. Epigr. 3, 2, 7. *cedro* nunc licet ambules perunctus. Noster Trist. 3, 1, 13. Quod neque sum *cedro* flauus, nec pumice leuis; Erubui domino cultior esse meo.

CELEBRARE, *habitare. eleganter* Trist. 5, 6, 37. Quam multae madidae *celebrantur* arundine fossae, Met. 4, 46. quam versa squamis velantibus artus Stagna Palestini credunt *celebrasse* figura. Adde Met. 4, 414. Tectaque non siluas *celebrant*. Ibid. 4, 444. &c. Met. 14, 558. fretum *celebrant* Naiades aequoreae. * *Eleg. de conuenientibus diis* Ov. Met. 1, 172. Atria nobilium (*Deorum*,) valuis *celebrantur* apertis *i. frequentantur solemni conuentu*.

CENSERE Pont. 2, 5, 73. Pro quibus vt maneat, de quo *censeris* amicus, Comprecor ad vitae tempora summa tuae. *Pro eo fauore, quo carmina mea, tuo studio oratorio consimia, complecteris, precor, vt ad extrema vsque vitae tempora maneat tibi amicus Germanicus, de quo censeris, de cuius fauore pendet aestimatio tua et dignitas.* * Pont. 3, 1, 75. Hoc domui debes, de qua *censeris*, vt illam Non magis officiis, quam probitate colas. *familiae, ad quam pertines, in qua numeraris; vnde metaphora ducta sit, facile apparet.*

CENSVS, *opes, diuitiae.* F. 1, 217. In pretio pretium nunc est. Dat *census* honores, census amicitias &c. Et sic, censu fraudatus, *est pauper*, F. 3, 829. Nec vos turba feri *censu* fraudata magistri.

CERAE, *de notis illis imaginibus cereis maiorum, per atria positis, quibus tituli subscripti, et quae*

gesserant munera in republica. Fast. 1, 591. Perlege dispositas generosa per atria ceras. Contigerunt nulli nomina tanta viro. *Creditum est, fuisse istas imagines ex cera compositas: sed vide Praefat.* Klotzii *ad comitis* Cayli Sammlung vermischter Abhandlungen pag. 9, *vbi docet, fuisse istas imagines opera talia, quae* encaustica *nominant.*

CERTVS, *eleganti significatione, pro* fatalis Met. 4, 573. Quem si cura Deum tam *certa* vindicat ira. *Sic* certa subtemina Parcae *Horatius dixit* i. e. *fatalia, vnde hominum fata pendent, de quo vid.* Part. I. Clav. poët. sub h. v. * *clarus* Met. 5, 296. Suspicit: et linguae quaerit, *tam certa* (*ita audiri bene omnia possunt, clare dicuntur,*) loquentes Vnde sonent. * sagitta certa. Ov. Met. 1, 519. *Certa* quidem nostra est: nostra tamen vna sagitta *Certior* in vacuo quae vulnera pectore fecit. *Nec tamen ille lusus in ore Apollinis depereuntis satis placet: frigidior est quam fert amor illo loco.*

CESSARE, Trist. 3, 7, 26. Aut ego praebebam factis modo versibus aures; Aut vbi *cessaras*, causa pudoris eram. *nullos versus feceras. Sic certe interpretatur Burmannus cum aliis: effusa doctrina in similibus locis congerendis. Sed quid, si vera non sit interpretatio? Num numerus locorum et doctrina proteget? Certe ego, etiamsi hanc significationem vocis cessare probe sciam; h. l. de peccatis in versibus intelligo. Sic* cessare Hor. Epist. 2, 2, 14. *et alibi. Neque arbitrer, erubuisse bonam Perillam, et patrem inculpantem fuisse causam ruboris, si modo non versibus pangendis operam nauasset. Haud dubie ei Ouidius non vt pensa certa, carmina scribenda imposuit. At* erubescere, *cum pater peccata filiae poëtriae ostendat, id et molle et muliebre, et venustum est! Accedit loci perpetuitas:* aut aures praebui factis

factis versibus; *audiui, probaui; aut vbi male cecineras, ruborem* inesse. * *officium relinquere* Met. 6, 421. Credere quis possit? Solae *cessatis* Athenae. *bene, namque religioni prae aliis gentibus maxime dediti Athenienses; mirum igitur, cur non simul cum aliis celebrent Latonam. Nota h. l. artificium poëtae, quo transit ab vna narratione ad alteram, et quam scite et callide connectere res dissimillimas possit. Certe illud artificium progrediendi ab vna re ad alteram et summam laudem meretur, et inprimis a Musa sua datum erat Ouidio. Satis sit h. l. mentis aciem direxisse ad talia animaduertenda. Fusius alibi super illa arte disputabo.* * *passiue*, cessata arua Fast. 4, 617. *sunt, quae incultu iacuerunt.* cessata tempora Met. 10, 669. *quae, cessando consumpta.*

CIERE, *vocare* Met. 6, 662. Vipereasque *ciet*, stygia de valle sorores. *Eumenides. Adde* Fast. 4, 484.

CINCTVTVS, Fast. 5, 101. coleris *cinctutis* Faune lupercis. *conf. h. voc. in* I. Part. Clauis.

CIRCINARE, auras Ouid. Met. 2, 721. Inclinat cursus; et easdem *circinat* auras. *Satis poëticae, si satis iuste!*

CIRCINVS: *vide eius accurationem descriptionem* Met. 8, 247. *in historia Perdicis, Daedali discipuli, inuentoris circini.* Primus et ex vno duo brachia ferrea modo Vinxit, vt aequali spatio distantibus illis Altera pars staret, pars altera duceret orbem. *venuste! Sed est et hoc Ouidio datum munus a Musa benigna, vt res paruas, et minutas, difficilismas aliis poëtis, ipsis adeo bonis, et facili negotio, et suaui artificio, pingere possit. Exempla tibi plura occurrent, si inter legendum aduerteris mentem.*

CIRIS, *volucris, a tonso hoc nomen adepta capillo* Met. 8, 151. *namque in eam mutata Scilla, qui patris crinem fatalem*

regno abstulerat, ipsique parenti caput. vid. ipsum Ouid. Met. 8. inde ab initio. Est Ciris, *dicta auis* ἀπὸ τοῦ κείρω. *Quaenam auis sit, apertius et planius alibi nusquam traditur. Graecorum quidam commentatores exponunt* ἱέρακα, accipitrem, *τὴν ἀλκυόνα intelligi volunt. Male alauda putatur.* Virgilius *seu quisquis fuit, qui carmen elegans* Cirin *composuit, solitariam auem hanc videtur facere, quae in solis rupibus, ac scopulis et littoribus desertis, vt ipse ait, exigat aeuum, vertice in medio cristam purpuream habens, ceteris plumis varie coloratis. Lege ipse eruditum illud poëma; praesertim vlt. vers. qui commentarium huius Ouid. loci praestant.*

CIRCVMFERRE Met. 6, 169. Vtque oculos *circumtulit* alta superbos. *Singula verba, singulam vim adferunt.* oculos superbos alta *ipsa* — circumtulit — *huc et illuc cum fastu iactauit,*

CIRCVMFVSVS Ov. Met. 1, 12. *circumfuso* pendebat in aëre tellus. *Gaudent Romani huius vocabuli elegantia, vbi nobis Germanis frigidior quasi ingenii conditio eo interdicit. v. c.* Ouid. Met. 3, 180. Nymphae *circumfusae* Dianam. Id. ibid. 4, 360. Et nunc hac iuueni, nunc *circumfunditur* illac. *longe suauissime!* Ita *fusus* in herba, *Latinis frequens dictio, nobis certe insolens poëtica.* vid. libr. doctiss. über die neuere deutsche Litteratur, 1. Sammlung. p. 51.

CIRCVMPLAVDI Triſt. 4, 2, 49. Quaque ibis, manibus *circumplaudere* tuorum; vndique iactato flore tegente vias. *in pulchra illa triumphi imagine, quam sibi mente poëta fingit. Inprimis pulchri sunt versus* 53. *et seqq.* Ipse sono plausuque simul fremituque canentum Quadrijugos cernes saepe resistere equos. *Imitationem esse illius* Propertiani 3, 3, 14. Qua videam spoliis onerato Caesaris

axe

axe Ad vulgi plausus saepe resistere equos; *iam notauerat Burmannus; sed mihi videtur imitator longe praecellere archetypon.*

CIRCVMSONARE Trist. 3, 14, 47. Threicio Scythioque fere *circumsonor* ore: Et videor Geticis scribere posse modis. *Adde* Trist. 4, 10, 111. *et* Trist. 5, 3, 11.

CIRCVMSONVS Met. 4, 722. more ferocis Versat (se) apri quem turba canum *circumsona* terret.

CIRCVMSPECTVS verba circumspecta i. *cauta, prudentia.* Fast. 5, 539. Verba mouent iras non *circumspecta* Deorum.

CIRCVMSPICERE lucum; i. *in luco.* Met. 5, 265. Siluarum lucos *circumspicit* antiquarum. *Bene exit versus in duplicem spondeum; nam Pallas prouide circumspectat omnes lucos. atqui animaduertere licet, in tali re fere semper eundem pedem occurrere apud optimos poëtas. Cum singulari pingendi virtute adhibitum h. vocab.* Met. 5, 72. conf. ipsum locum.

CIRCVMVELARE Met. 14, 263. Sublimis solio; pallamque induta nitentem Insuper aurato *circumuelatur* amictu.

CIRCVIRE Met. 6, 101. *Circuit* extremas oleis pacalibus oras. *Adpingit in margine, quae circumibat omnem illam picturam. poëtice* circuit, *quasi pingentem ostendit Mineruam. vers.* 82. *dixerat*: operi victoria finis, *vbi intell. praecipua imago, cui iam in angulis addit alias, et in margine pacales oliuas. Videtur hunc Ouidii locum in mente habuisse et imitandum sibi proposuisse* Claudianus de Raptu Proserp. 1. *Vbi Proserpinam similiter varias rerum figuras in velum intexentem fecit, addit cantum pro more textricum: materia non protrita, nec ignobilis, quatuor elementa, quinque zonae, infernae sedes, seu Ditis regia. Coloribus propriis omnia distinguit.* Ipsa domum tenera mulcens Proserpina cantu etc. *vid. etiam voc.* Pacalis.

CITRA, *ante* Met. 8, 365. Forsitan et Pylius *citra* Troiana perisset Tempora. *Sic* citra *etiam* Met. 10, 84. *Citra*que iuuentam Aetatis breue ver, et primos carpere flores. *Regius haec ad priorem Ouidii locum*: „*Tempora* namque infelicia calamitosaque fere accipiuntur„: *et Burm. addit*: „*recte et erudite*„; *laudatque* Manut. ad Cicer. Epist. 46. *et* Graeu. ad orat. pro Archia 6. *Sed* tempora *per se non* infelicia tempora *notant*, *verum* statum eo tempore *quemcunque*, *die Umstände*, *die Situation*; *hinc fit*, *vt si res sint infelices*, tempora *infelicia necessario sint intelligenda*, *si res speratae*, *optatae*, tempora *etiam felicia accipienda*. *Nec desunt plurima apud Ciceronem et poëtas eius generis exempla*.

CIVICVS arma ciuica; *de orationibus forensibus*. Fast. 1, 22. Quae sit enim culti facundia sensimus oris, *Ciuica* pro trepidis cum tulit arma reis. *De Germanico loquitur poëta*, *quem causas orasse etiam* Suetonius, *et* Dio *testantur*.

CIVILITER Trist. 3, 8, 41. At quoniam semel est odio *ciuiliter* vsus (*Augustus*) Mutato leuiter sit fuga nostra loco. *Sic vsus odio*, *vt quasi ciuem erga ciuem decet*. *Sic accip. etiam* Met. 12, 583. Exercet memores plus quam *ciuiliter* iras.

CLAMARE Ov. Met. 2, 443. (Diana) Aspicit hanc visamque vocat: *Clamata* refugit. i. *saepius et magna voce vocata*; *de vocab.* clamare *hac signif. nubem exemplorum dedit* Burm. *ad h. l.* * Fast. 5, 189. Circus in hunc exit, *clamat*aque palma theatris. *de* festis Floralibus, *quae* incipiebant Aprili, transiebant in tempora Maji. *Plures Romae circos fuisse*, *notum est*: *sed et vnus Florae dictus*, *in regione VI. Sextus Rufus in eadem*: Circus Florae, templum Florae, templum Salutis &c. *Erant isti ludi venatorii et mansuetorum animalium*, *vocantur* ludi iocos

cosi vers. 183. *quippe in quibus magna lasciuia, ita vt praeter verborum licentiam vestibus etiam exuerentur meretrices, mimorum fungentes officio* cf. Valer. Max. 2, 5. *vnde* clamata palma *theatris intellig. nempe de actis in scena, quod plausum excipiebat. Plura de hoc festo tradit ipse noster* poëta loc. cit. quem conf. *et adde, si vis,* Alex. ab Alex. Genial. Dier. libr. 7, c. 8.

CLARIOR. Pont. 3, 1, 128 Qua nihil in terris, ad finem solis ab ortu *clarius, illustrius,* excepto Caesare, mundus habet.

CLARVS, clarus ictus. i. *qui sonum dat grauem.* Ov. Met. 2, 625. Tempora discussit *Claro* caua malleus *ictu.*

CLAVDERE animam; *se ipsum interimere, sed eleg.* (*quia laqueo proprio clauditur anima*), in Met. 7, 606: Pars animam laqueo *claudunt,* martisque timorem Morte fugant, vltroque volant venientia fata. *Nescio an clades pestilentiae maiori efficacia pingi et morbi cruciatus possint; summum profecto in imagine horrenda fingendum est, vbi homines ipsi tanto premuntur malo, vt vitam sibi ipsi adimere, quam illud malum pati, malunt.*

CLAVIGER *proles clauigera Vulcani* Met. 8, 437. *est Peripheta latro, qui iuxta Epidaurum, cum hospites interimeret claua quadam; quae coryna vocabatur;* Corynetus *fuit cognominatus. is a Theseo tandem interfectus est. Vide plura in Meurs.* Thes. c. 5. *quem locum iam laudauit Burm. ad h. l.* * est vero *etiam* clauiger *epithet. Iani, quia* clauem gerit. *vide* Fast. 1, 228.

CLAVSTRVM, vrbis, *porta* Met. 4, 86. Cumque domo exierint vrbis quoque *claustra* relinquant. *Sic enim legendum est cum nonnullis codd. alii habent:* tecta *pro* claustra, *quae glossa illius paullo rarioris hac significatione verbi* (claustra) *videtur. Ceterum videri*

deri possint primo intuitu hi versus nimis loquaces et lenti, fallere custodes *et* foribus excedere, et tum, cum domo exierint, vrbis *quoque* claustra relinquere; *possit aliquis postulare, vt vno versu ad summum haec dicerentur, quae extensa per tres fere integros versus; sed caue damnes Apellis Venerem: est enim hic, si vnquam, grata copia verborum; namque ponuntur sic quasi ante oculos amantes* iuuenes, *seduli in minutis rebus et diligentes, et per rimam singula quaeque consilii sui mira adolescentiae ingenuitate et simplicitate secum communicantes.* Sie beschliessen in der schweigenden Nacht den Hütern zu entgehen, zu den Thüren hinaus zu schleichen, und wenn sie zum Hause heraus seyn würden, auch gleich die Stadtthore zu verlassen. Und damit sie nicht einander irre giengen &c. *Sentisne adolescentiam loquentem?*

CLIVOSVS Olympus; *nisi me omnia fallunt, dicitur ad imitationem Homerici illius frequentis* πολυδειρᾶδος Ὄλυμπε. Fast. 3, 415. Sextus vbi Oceano *clinosum* scandit Olympum Phoebus, et alatis aethera carpit equis.

CLYPEATVS Seges *clypeata* virorum. i. *clypeatorum virorum.* Met. 3, 110. Crescit *seges clypeata* virorum. *de hominibus e dentibus serpentis a Cadmo humum iactis existentibus. Addisonus hoc epitheton superfluum ducit et damnat, quia* seges virorum *iam per se satis fuisset, et illa vox* clypeata *ideam nimis vastam, imaginemque iusto ampliorem efficiat.* Sed Breitingerus in Poët. art. T. II. p. 279. sq. *eum recte refutat. Seges enim* virorum *saepe pro ingenti multitudine ponitur a poëtis, cum vero hic mirabilis esset illa seges, et clypeos vere esse visos cum viris, iam ex antecedentibus colligitur, iustum est et ele-*

elegans profecto epitheton, iuuatque, ad rem lectori praesentem efficiendam, mirum in modum.

COAGVLVM *de lacte densato* Fast. 4, 545. Mox epulas ponunt, liquefacta *coagula* lacte Pomaque et in teneris aurea mella fauis *cf. cum tota illa de* Cerere *errante narratione* Met. 7, 220. sqq. *vbi eadem narrantur.*

COARCTARE Fast. 5, 546. Sed quid et Orion et cetera sidera mundo Cedere festinant, noxque coarctat iter. *Fictio poëtica longe excellens qua adulatur facete Nasō Augusto. Cito immerguntur Orion, et cetera sidera, vt dies illa illucescat, qua Caesar Octauianus in foro, a se exstructo, templum Martis vltoris consecrauit.*

COEPTVM expugnare coepta Met. 9, 620. Non coepisse fuit, *coeptum* expugnare secundum est, *vide* Expugnare.

COERCERE, verba numeris. Pont. 4, 8, 72. Nam modo bella geris, numeris modo verba *coerces.* Quodque aliis opus est, hoc tibi ludus erit. *Habent nonnulli libri* bella *pro* verba: *quod mihi maxime placet*; bella coercere numeris *eleganter dicitur qui res gestas canit; et Ouidianum est* repetere verba; *Sentire mihi videor ipse poëtam ita scripsisse:* Nam modo bella geris, numeris modo bella coerces. *bene etiam* coercere bella! * *retinere* Met. 11, 78. Lenta tenet radix, *exsultantemque coercet. vide* Exsultare.

COGERE, *cum militare vocabulum sit*, vid. Cic. Epist. Attic. 15, 13. *eleganter Lucifer dicitur a poëta* agmen stellarum cogere, *quia vltimus claudit agmen, quod est cogere.* Met. 11, 98. Et iam stellarum sublime *coëgerat* agmen Lucifer vndecimus. *Imitatus est, more suo, nostrum poëtam* Pseudo-Senec. Hercul. Fur. 128. *Cogit* nitidum Phosphorus agmen. *Noster vero poëta plane ita:* Met. 2, 114. quarum (*stellarum*) agmina

na cogit Lucifer et coeli ſtatione nouiſſimus exit. *belle* ſtatio coeli; *itemque*, nouiſſimus exit! * Triſt. 4, 10, 35. Curia reſtabat, claui menſura *coacta* eſt: maius erat noſtris viribus illud onus. *Sola dignitas Senatoria reliqua fuit mihi; ſed ego tunicam lati claui nolui gerere*; anguſti claui *tunicam ſumſi*; *haec eſt* menſura claui, *purpura tunicae attexta, coarctata, anguſtior facta eſt. Plura diſputare non eſt huius loci. cf. Maſſoni vitam Ouidii ad annum* XV. et XVI.

COGNOSCERE Ov. Met. 2, 183. Iam *cognoſſe* genus piget. *Sed lege cum melioribus:* Iamque agnoſſe, *Suadet hoc etiam notio voc. agnoſcere.*

COHORS *ſeptum, quo varia animalium genera coercentur* Faſt. 4, 704. Is capit extremi vulpem ſub valle ſalicti: Abſtulerat multas illa *cohortis* aues; *gallinas. Eſt* cohors *Graecorum* χορτος, *ſiue* περιβολος. *cf.* Varron. de R. R. libr. 3. c. 3. Ille gradus antiquus maiorum noſtrorum erat, in quo eſſent auiaria duo duntaxat: in plano *cohors*, in qua paſcebantur gallinae; et earum fructus erant oua et pulli &c.

COIRE Triſt. 2, 402. noctes cui *coiere* duae. *i. coniunctae ſunt. innuit* Amphitryonem, Tragoediam Attii. *Notus amor Alcmenae et Iouis, qui vnam noctem ſpatium durare duarum iuſſit, dum vacabat Alcmenae. Burmannus etiam reſpicere poëtam putat forte ad Amphitryonem Aeſchyli, quam fabulam Meurſius in Bibliotheca graeca nominat. Exſtabant plures fabulae hoc nomine, vt* Euripidis, Ionis Chii, Aſtydamantis. *Si locus pateretur et conſilium huius libelli, reliqua etiam verba ita explicaremus, in toto illo loco Ouidii, quo Tragoedias et fabulas notas ſui temporis refert, aut notat; Sed talia nimirum non capit hic liber.* * Met. 4, 60. Taedae quoque iure

iure *coissent. Sensus apertus: matrimonium iniissent; sed audacia tamen non vulgaris in phrasi*: taedae coissent, *Si* taedas *intelligis eas, quae solent praeferri nubentibus, vt alii et ipse Gesnerus. Quare ego* taedas *h. l. pro ipso amore accipio. Notum est, taedas proprie esse faces, et faces accensas, de amore dici recte posse. hinc sensus: amor eorum se coniunxisset, coisset iure, idem fere quidem, sed poëtae longe maior venustas est et diligentia! Fauet etiam vers. sq.* Ex aequo captis *ardebant* mentibus ambo.

COLLIGERE sitim. Met. 6, 341. Sidereo siccata sitim *collegit* ab aestu.

COLLOCARE, *chlamydem*, i. *bene componere vt apte cadat.* Ov. Met. 2, 733. Permulcetque comas, *chlamydemque*, vt pendeat apte, *Collocat.*

COLLVERE *de bibente; noue dict. Ouid.* Met. 5, 447. Oraque nulli *colluerant* fontes. *Sunt qui legant* polluerant, *ridicule! Ex nullo biberat fonte.*

COMMILITIVM, *bene* Pont. 2, 5, 72. Iure igitur studio confinia carmina vestro Et *commilitii* sacra tuenda putas. *Iure putas tuenda carmina, studio vestro, id est oratorio, confinia, et sacra commilitii tuenda putas, quibus sacris quasi commilitones diti ambo sumus.*

COMMISSVS: moenia fidibus *commissa*; *aedificata, quasi vndique missa cantu in vnum locum.* Met. 6, 178. fidibus mei *commissa* mariti *Moenia* cum populis a meque viroque reguntur. *de Amphione Niobes marito, de quo fabula notissima est, qua cantu fidium aedificasse moenia Theharum fertur. Qui amat malam sedulitatem in colligendis locis, vbi res nota narratur, desiderium explebit, et animum, in Nota Burmanni ad vers.* 146. *huius libri; inuenietque XXI. laudatos fabulae auctores, quibus tamen ipse forte addere alios viginti*

pote-

poterit. Ne tamen et ego indoctus videar, laudo Natal. Com. libr. 6. c. 13. et Hygin. Fab. 9.

COMMISTVS, Met. 4, 578. *Commistaque* in vnum paullatim tereti tenuantur acumine crura. *Quae si vera lectio*; Commista crura in vnum, *sunt* confusa, *quae* tenuantur *i. tenuia ac subtilia efficiuntur; sed de dracone*, tenuia crura *quis dicat? et illud* commista in vnum, *non redolet elegantiam Ouidii, quae inprimis conspicua est in describendis transmutationibus; videbis me vera dicere, si animum aduerteris ad ea loca, vbi describit mutata corpora. Summa semper varietas, in eadem re, nitidissima verborum et phrasium elegantia, et lepos quidam naturalis elucet. Lego itaque, vt breuiter dicam, cum Burmanno, siue potius Heinsio*: commissaque in vnum (*bene h. l.* committere) paullatim tereti *sinuantur* acumine crura. *Sinuare de anguibus frequentissimum vocab. loca in Ouidio et Virgilio abunde inuenies, nec ego non culpandus essem, si eiusmodi huc afferrem, quae vbique occurrunt, vbi de serpentibus describitur. vide* committere.

COMMITTERE *cum infinit.* Met. 9, 633. infelix *committit* saepe repelli; *committit saepius, vt repellatur.* * Met. 11, 513. Vbi se ventis *commiserat* vnda coortis, *plane quocunque a ventis ferebatur. Nec tamen minus elegans lectio est, quam tenent plurimi et optimae notae codd.* admiserat. *Nil tamen mutauerim. vide* coortus. * praelia *commissa sunt, quibus initium factum belli et proeliorum, vt vel docet Flor.* 2, 15, *ex* Liuio 21, 40. Primo *commissum* bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est. *Sic etiam intellig. Ouid.* Met. 12, 68. *Commissaque* proelia magno Stant Danais, fortisque animae nece cognitus Hector, conf. vers. 66.

66. et seq. *Sed certa est Heinsii emendatio*: fortisque animae nece C. H. *vt referatur ad Hectorem.* * commissa: *sic enim leg. cum Burmann. pro* demissa, *quod nihili est: de puella Salmaci amplectente tam arcte Hermaphroditum, vt* circumfunderetur *quasi omni parte corporis.* Met. 4, 369. *Commissa*que corpore toto Sicut inhaerebat. *Eadem elegantia* cod. libr. 379. *commissa*que in vnum paullatim tereti sinuantur acumine caura. *Simili fere sensu, vt notet* coniungere *habes etiam* Met. 12, 315. graue, respiciens, inter duo lumina ferrum Qua naris fronti *committitur*, accipis, imae. *Adde* libr. 12, 315. * sermonem Met. 6, 448. dextera dextrae lungitur: infausto *committitur* omine *sermo. Sed iure haec lectio a Burmanno repudiata est; qui haec:* „*Quale id omen fuerit, aut vnde captum, non addit noster. Nec verosimile, Terea initio sermonis male ominata verba protulisse, sed blandissima: quod et dextrarum coniunctio, quae optimi ominis erat, designat.*„ *quare cum multis scriptis legendum:* vt primum Soceri data copia, dextera dextrae lungitur et fausto committitur omine sermo. *Crediderunt Correctores, quia Ouidius mala in nuptiis omina nominauerat, hic etiam debuisse infausta repeti. Sed male: non enim adhuc aliquid sceleris Tereus meditabatur, sed simpliciter vxoris mandatis perfungebatur, postea demum, visa Philomela, eius amore incensa est.* * *belle* Met. 9, 600. Nec me *committere* cerae Debueram. *loquitur Byblis; nec ego me, meum amorem, omnem fortunam, tradere cerae, tabellis perscriptis debui.*

COMMVNE, *ad graecum* τὸ κοινὸν, *pro eo quod dicunt latini* corpus, *tota societas alicuius gentis, collegii &c.* Met. 12, 7. Coniurataeque se-

quuntur Mille rates gentisque simul *commune Pelasgae.* Communis Graecia *noster dicit.* Met. 13, 199. *vide* Munker. ad Lactant. Argument. libr. 13, fab. 1. *et sic saepius* commune *apud Ouidium.*

COMPESCERE, ignes, Ouid. Met. 2, 313. Expulit, et saeuis *compescuit* ignibus *ignes. Similis fere phrasis est.* Epist. 16, 229.

COMPONERE, *vide h. voc. in I. Part. Clav.* Met. 14, 753. Vix bene *compositum* lecto prospexerat Iphin. * amorem, i. *libros de amore* Trist. 2, 362. *Composito* poenas solus *amore* dedi. *conf. vers. praeced.* * componere *venuste de puella comi, se ornante, vestes scite in ordinem redigente &c.* Met. 4, 318. *(de Salmaci.)* Nec tamen ante adiit *(Hermaphroditum)* etsi properabat adire *(adeoque festinando)*, Quam se *composuit*, quam circumspexit amictus, Et finxit vultum, et meruit formosa videri. *Imago placendi studiosae puellae et delicatae ridens! composuit — circumspexit — (spectat per singula quaeque)* et finxit vultum *(blandum, amori aptum)*, et meruit, *(quam eleganter!)* formosa videri; *namque* componere *de decenti ornatu frequentissime vsurpatur. vide* in Part. I. h. Clav. *illam vocem: et adde:* Fast. 5, 30. Considere simul Pudor et Metus: omne videres Numen ad hanc cultus *composuisse* suos. *de cura vero illa circa amictum componendum* cf. Ouid. nostri Epist. Pont. 2, 5, 51. seq. * *interficere, tollere, insolita profecto locutione, et plane noua.* Met. 7, 444. Tutus ad Alcathoen Lelegeïa moenia, limes *Composito* Scirone patet. *Regius ita explic.* „*componere* interdum finire significat, qui autem necantur, finiuntur.„ *Quod audirem, si attulisset loca, vbi* componere *vsurpatum est pro* finire. *Proprior esset vero interpretatio, si ex solita significatio-*

ficatione duceretur, qua solemniter mortui componi *dicuntur, et vox notat* sepelire. *Esset tum h. l.* componere, i. sepelire, *pro* interimere *positum. Burmannus legendum putat* depositio; *nempe facilis intellectu tum foret locus, et* deponere *sic occurrit* Lucan. 1, 288. *et* Stat. Silu. 1, 4, 91. *Sed si vnquam, hoc loco dubito, emendandum sit, an potius explicandum. Non omnia noua, maxime in poëtis, mutanda sunt, qui scriptores solent frequenter noua vocabula facere, et nouos significatus subiicere. Nec sapit glossam aut correctorem illud* componere. *Quare ego certissime retinendum esse duco; licet paullo insolentior sit sensus h. v. Nam quot noua alia in Ouidio iam notauimus et in posterum adhuc notabimus? Mihi vero h. l. Ouidius in hac voc.* Componere *elegantiam quandam quaesisse videtur. Quodsi proprie vocabulum intelligas* componere hostem *dicetur, ad sensus accommodata re, qui ferum, pugnantem redigit in ordinem, quasi vere componit. Nec hoc tamen opus, namque aut* componere i. sepelire *positum, vt diximus, pro* interficere; *vti et* Fast. 3, 547, *et* 5, 426. *et h. l. non vulgari sensu, sed exquisitiori, dum enim Theseus Scironem deturbat de saxo in mare, ibi eum simul sepelit, licet non nactum sepulturam; aut cum* componere *saepe sit* pacare, *nec haec significatio ab nostro loco plane aliena est, quanquam priorem habeo potiorem. Noli itaque emendare. Forte etiam similem quandam significationem h. verbo inesse dicat aliquis apud* Hor. Serm. 1, 9, 28. *vbi nugator:* Haud mihi quisquam Omnes composui: *et subiicit Horatius:* Perfice namque instat fatum mihi triste Sabellae &c. *Vnde colligatur, vocab.* componere *ab Horatio ita acceptam esse, quasi* interi-

mere *significaret; quia dicit:* persice, *id et in me, quod in aliis feciſti, quos* compoſuiſti, *et me interfice. Denique miror in Theſ. Geſneri de hoc loco et omnino vocab. tali ſignif. non eſſe factam mentionem. adſcribi poterit itaque hic locus. Ceterum de* Scirone, *latrone, cogente omnes aduenas, vt lauarent ſibi pedes, adeoque eos in mare deiicientе, poſt et ipſo a Theſeo deturbato in mare, vide* Pauſan. libr. 1. c. vltim. et Euripid. Hippolyt. 979. * *frequenti et ſolita ſignif. de mortuis toro expoſitis, et ornatu funebri decoratis ad exequias* Met. 9. 505. toroque Mortua *componar poſitaeque; (compoſitae, repetitione Ouidio ſolemni),* det oſcula frater. * *noue item dictum eſt* Faſt. 1, 708. Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum Circa luturnae *compoſuere* lucos. *ſcilicet, coniuncti poſuere.*

COMPOSITOR Triſt. 2, 356. Magnaque pars operum mendax et ficta meorum Plus ſibi permiſit *compoſitore* ſuo.

CONCAVARE *bene et eleg. vox ab Ouidio facta* Met. 2, 195. Eſt locus, in geminos vbi brachia *concauat* arcus Scorpius. et cauda flexisque vtrimque lacertis Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.

CONCAVVS; concaua aera, *tintinnabula recte explic.* Geſnerus in Theſ. Met. 4, 30. Impulſaque tympana palmis *concauaque* aera ſonant. *Sed obſerua pingentes voces* impulſa tympana palmis; *habes iteratam literam p et ſonum rem notantem; ita et* concauaque aera *audies.*

CONCILIVM Ov. Met. 1, 710. Hoc mihi *concilium* tecum manebit. *Sic enim pro* conſilium, *cum optimis libris legendum. Hoc me tibi conciliabit, ſic ſemper tua familiaritate, et vſu fruar, dum fiſtula ea canam, eamque ore tangam, in quam tu es mutata.* Virg. Aen. 2, 88. Dum ſtabat regno incolumis regumque vigebat Conciliis,

tiliis, i. *foedere et amicitia regum vicinorum. Plura Heinſ. ad h. l. Ouidii dedit.*

CONCIPERE; *vox frequentiſſima Ouidio et varie vſurpata* Met. 1, 177. mente aethera *concipere*, Met. 2, 64. Met. 7, 9. *Concipit* interea validus Aeetias ignes. ibid. verſ. 17. Excute virgineo *conceptas* pectore flammas. ibid. verſ. 22. Vreris et thalamos alieni *concipis* orbis (*alii plurimi* concupis. *Peſſime!*) Adde Met. 10, 249. Faſt. 2, 261. Pont. 3, 7, 29. &c.

CONCITVS *celer* Faſt. 4, 461. Sic Dea: nec retinet gemitus, et *concita* curſu Fertur, et e campis incipit, Henna, tuis. *Adde* Faſt. 6, 520.

CONCOLOR *eleg.* Faſt. 1, 80. Veſtibus intactis Tarpeios itur in arces Et populus feſto *concolor* ipſe ſuo eſt. *Kal. nimirum Ianuar. quibus noui Conſules magiſtratum inibant, populus* veſtibus intactis *h. e. candidis ibat, vtpote quae candido, h. e. felici diei conuenirent.*

CONCORDITER Met. 7, 752. Hoc mihi confeſſo, laeſum prius vlta pudorem, Redditur, et dulces *concorditer* exigit annos.

CONCRETVS, dolor, *quo ita obſtupeſcimus, vt nec gemitum edere, nec lacrymas emittere queamus, tanquam horrore nimio congelati et concreti.* Pont. 2, 11, 10. grande voco lacrymas meritum, quibus ora rigabas Cum mea *concreto* ſicca dolore forent.

CONCVRRERE, *cum aliquo pugnare, de certamine ſingulari.* Met. 13, 88. Hunc (Hectora) ego poſcentem, *cum quo concurreret*, vnus Sustinui. *vide* Suſtinere.

CONCVTERE, freta, *commouere mare, vt ſaeuiat, fluctus edat, turbulentum fiat.* Met. 7, 200. *concuſſa*que ſiſto, ſtantia *(quieta) concutio* cantu freta.

CONFESSVS, manus confeſſae, *longe elegantiſſime de eo qui ſupplex, confitens peccatum, orat.* Met. 8, 215. *Confeſſas*que manus, obliquaque brachia

brachia tendens vincis, ait, Perseu. *Mirum, hic de emendatione modo cogitare viros, qui appellentur docti, potuisse, nec inuenies non exiguum numerum emendationum apud* Burm. ad h. l. *Ita fit!*

CONFITERI, se, *sich zu erkennen geben* Ov. Met. 3, 2. Iamque Deus posita fallacis imagine tauri *Se confessus erat.* Id. Met. 12, 26. *Confessam* amplectitur Deus. Virg. Aen. 2, 591. Alma Venus *confessa* Deam, gnatisque videri coelicolis &c.

CONFVNDERE *longe eleganter de Iunone* Met. 4, 471. Imperium promissa preces *confundit* in vnum. *Vox ista* confundere *pingit suauissime iratam mulierem, et mulierem Iunonem, superbam, saeuam, excandescentem; non simul* petit, et imperat *postea et minatur, sed et preces, et minae, et promissa* confunduntur, *et* confunduntur in vnum. *Omnia simul erumpunt. In tota illa descriptione Iunonis descendentis ad Furias se ipse superasse videtur Ouidius; lege perpendente animo* vers. 432-478. *Nimium quantum placebit poëta. non capit libellus noster, vt singulas pulchritudines et virtutes exponamus.*

CONFVSVS vultus i. *tristis.* Trist. 3, 5, 11. Vidi ego *confusos* vultus, vissque notaui. *Burm. malit legere,* versosque notaui, *scil. ex laeto, quo me antea aspicere solebas. Sed id profecto non iuuaret poëtam, eademque esset inconcinnitas, quam in vera lectione doleo reperiri. At talia, non satis accurata, elaborata, similia coniuncta plura in his libris reperies; namque vere sunt* Tristes. *vox* confusum *vero eodem sensu accipio* Pont. 1, 3, 3. Reddita *confusae* nuper solatia menti Auxilium nostris spemque tulere malis.

CONGERERE corpus, *de deuorato* Met. 15, 89. Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi, *Congestaque* auidum pin-

pingueſcere corpora corpus. *vides Ouidianum morem, ludendi verbis.*

CONIICERE cultrum: *vox ſolita de ſacrificantibus, hoſtiam caedentibus.* Met. 15, 735. Iſtaque *coniectos* incalſacit hoſtia cultros. *Nihil mutandum. Plura de hoc* verbo Gronou. obſeruatt. 1, c. 13. * Met. 14, 240. coëunt: et ſaxa trabesque *Coniiciunt. Sed vide* Continuare.

CONIVGALIS, feſta coniugalia Met. 5, 3. *Sed ſunt etiam qui legant* coniugialia, *pro qua lectione pugnat* Turneb. Aduerſ. 13. c. 22. *commemorans ſimilem illum locum* Met. 6, 536. Nec mea virginitas, nec *coniugialia* iura. *Sed et ibi variant libri. Denique non videtur de vna litera pugnandum. Per me quidem, quodcunque vis, liceat.*

CONSCIVS Met. 13, 15. Sua narret Vlyſſes (*facta*), Quae ſine teſte gerit, quorum nox *conſcia* ſola eſt. *reſpicit ereptum ab Vlyſſe et Diomede, nocturno tempore, Palladium. apud* Pſeudo-Senec, Troad. 754. *inde nocturnus* miles *dictus* eſt, *vt iam notauerat Burm.*

CONSEQVI, *proprie de iaculo, nam illud* conſequi *dicitur, vbi ferit ſcopum.* Met. 7, 685. Vſum Maiorem ſpecie mirabere, dixit in iſta; *Conſequitur* quodcunque petit.

CONSILIVM Ov. Met. 1, 710. Hoc mihi *conſilium* tecum manebit. *vid. concilium.*

CONSIMILIS Pont. 2, 7, 3. Taedia *conſimili* fieri de carmine vobis Quidque petam, cunctos edidiciſſe reor. *Neque profecto valde errat poëta. Namque perlegenti Triſtia et Ponticos libros vno tenore, non poteſt non ſuboriri indignatio, eadem vel millies repetita legenti.*

CONSISTERE *cum proprie dicatur de eo, qui a curſu aut itinere quieſcit* (vt Met. 5, 255. Hor. Serm. 1, 9, 63.) *elegantiſſime de quiete mentis a timore et perturbatione* Met. 2, 280.

Consistite, dicit Pyreneus, ad fugientes et territas Musas; manete confidentes. * consistere exitus *dicitur pro, euenire* Met. 12, 297. Te quoque, saeue Drya, circum caput igne rotato Insequitur: sed non in se quoque *constitit* idem Exitus. *bene h. l. praesertim delectum verbum!*

CONSONARE, *resonare.* Met. 7, 451. *Consonat* adsensu populi precibusque fauentum Regia.

CONSORS, *soror.* Pont. 3, 2, 48. *Consortem* Phoebi gens colit illa Deam. * Ibid. vers. 81. *et pro* ciue *posit.* audito patriae pia nomine virgo *consortes* vrbis comperit esse suae. * *frater* Met. 11, 348. Quaedam Lucifero genitus miracula narrat de *consorte* suo. * *vxor.* Met. 6, 94. Pingit et Antigonen, ausam contendere quondam Cum magni *consorte* Iouis, quam regia Iuno In volucrem vertit. (*ciconiam*) *Antigone namque Laomedontis filia, ob spretam Iunonis formam, mutabatur in Ciconiam.* * *sanguine consors. i. fraternus* Met. 8, 445. Caede te calsecit *consorti* sanguine telum.

CONSPECTIOR, *pulchrior* Met. 4, 295. Nec in tota (Meduſa) *conspectior* vlla capillis Pars fuit. *Sic etiam* Met. 13, 794. Nobilior pomis, platano *conspectior* alta.

CONSPICERE Met. 4, 19. tibi enim (*Bacche*) inconsumta iuuentus; Tu puer aeternus, tu formosissimus alto *Conspiceris* coelo. *Bene* conspiceris, *nam* conspiciuntur *proprie, qui sunt insignes, praestant aliis, vt* conspectus chlamydi et pictis in armis. Virg. Aen. 8, 588. *Omisit hanc significationem* τῷ conspicere, *siue hanc virtutem verbi* Gesnerus in *Thesaur. Ceterum noto obiter, laudes Bacchi loco Ouidii commemorato, suo loco stare: namque narrat poëta Thyadas celebrantes festum Bacchi; et quasi has laudes dicentes proponit Bacchas: quod vero orationem*

tionem mutat, et in sua quasi persona dicit, habet id venustatem; repetere quasi voces Bacharum Deum celebrantium videtur. Eadem significationi, vt sit, elucere, praestantem esse Trist. 1, 6, 34. Prima locum sanatas heroidas inter haberes: Prima bonis animi *conspicerere* tui; *aliorum oculos ad te conuertes Adde* Met. 4, 19.

CONSPICIENDVS Trist. 2, 114. Domus — clara nec vllius nobilitate minor: Et nec diuitiis, nec paupertate notanda: vnde fit in neutrum *conspiciendus* eques. *Puto h. l. Ouidium alluisse ad ordinis equestris classes. Erant enim qui ob generis antiquitatem dicebantur* conspicui, Illustres, *non omnes equites hoc titulo ornati. Fuit autem eques* illustris Ouidius, *vt docet* Massonus in vita Ouidii pag. 34. Tom. IV. ed. Burm. *Hinc dicit h. l. poëta, se non fuisse* diuitiis illustrem equitem (*licet generis nobilitate*) *nec paupertate tamen illustrem, notatum aliis propter res familiares exiguas. Est, hoc Ouidianum, ludere verbis. cf. vers.* 115. *ad ea quae dixi.*

CONSTERNATVS Fast. 5, 310. Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen, cum *consternatis* diripereris equis, de *re ipsa vide* Pseudo-Senecae Hippolyt. Act. 5. *et Euripidis eandem notam fabulam.*

CONSVMERE, preces, *frustra, quascunque potes, effundere.* Met. 8, 106. *Consumtis* precibus violentam transit in iram.

CONTEMTOR, *longe suauissime* Met. 9, 240. *contemtoremque* petebat flamma suum. *Herculem summa et maiori quam humana fortitudine ferentem flammas; quasi contemnentem. Habet h. voc. plus venustatis, quam si poëta plurimos versus de Herculis constantia scripsisset.*

CONTINGERE, *tangere* Met. 2, 151. manibusque datas *contingere* habenas gaudet; *pinxit*

poëta impatientiam Phaëtontis affectantis currus solaris regimen. Met. 1, 339. vt ora Dei madida rorantia barba *contigit*, (*buccina.*) *Adde* Met. 5, 533. It. 14, 606.

CONTINVARE *elegantissimo sensu* Met. 14, 240. coëunt: et saxa trabesque *Continuant*; Ita *enim cum* Burm. *secuto Cod. legendum est pro vulgari, Coniiciunt, quam quis non videt esse glossam verbi interioris Latinitatis* continuare? *quod h. l. signif. sine intermissione, continuo iactare, Sic* continuare dapes Hor. Sat. 2, 6, *qui locus est addendus* Parti I. Clav. Poët. *loco suo. Plurima similia loca ex* Lucano, 4, 158. et Statio, Thebaid. 9, 291. it. 12, 745. *laudauit Heinsius ad loc. laud. Ouidii.*

CONTINVVS Metam. 15, 289. Leucada *continuam* (*solidam regionem*) veteres habuere coloni. Nunc freta circueunt. * humus continua, Met. 8, 589. *Continuam* diduxit humum partesque resoluit. *vide* Diducere.

CONTRA, vicissim Met. 4, 80. partique (*parietis, vbi erat ima*) dedere Oscula quisque suae non peruenientia *contra. de signif. voc. consule, si vis, Burm. ad Vellej. Paterc. 2, 76. de summa amoris tenerrimi descripti venustate, autem, si mollis es, pectus tuum, et gustum.*

CONTRAHERE, *de mari aestu vehementissimo exsiccato,* Met. 2, 262. Et mare *contrahitur siccaeque* est campus arenae. ibid. v. 273. *Contracti* fontes. * *consociare* Fast. 4, 811. *Contrahere* agrestes, et moenia ponere vtrique Conuenit. *Sic et* eod. libr. vers. 97. Illa rudes animos hominum contraxit in vnum.

CONTVMVLARE Trist. 3, 3, 32. vt saltem patria *contumularer* humo.

CONVALERE, *de igne vires accipiente et* ardente Met. 8, 477. postquam pestifera ignis *Conualuit.*

CONVEXVS Met. 13, 911. Ante fretum est ingens api-

apicem collectus in vnum Longa sine arboribus *conuexus* ad aethera vertex; *inclinatus. locum describit praecipitio accommodatum. Sic* iter conuexum *de reditu Aeneae ab inferis, erat enim in ascensu et arduo*, Met. 14, 154. Talibus *conuexum* per iter memorante Sibylla. *est etiam epith.* terrae Fast. 6, 275. *quae paullo ante* v. 269. pilae similis *dicitur, quippe* conuexum *Festo est*, ex omni parte declinatum.

CONVICIVM, *de eo qui iactat conuicia* Met. 5, 676. per brachia mota leuatae (*Pierides*) Aere pendebant, nemorum *conuicia*, (*garrientes et maledicentes per silvas*) picae.

COORTVS, ventus, *Saepius de tempestate, sed ambigitur, an recte dicatur* Met. 11, 513. Sic vbi se ventis commiserat vnda *coortis*, ibat in arma ratis; multoque erat altior istis. *Dubitat Burmannus, an h. l. recte conueniant* venti coorti; *quod iam dudum venti* coorti *essent; et iam valida tempestas. Bene, adeoque recte mihi videtur probare lectionem duorum codd. qui habent*: coactis, *eleganter! ingruit procella, et vt in turbine fieri solet, coëunt venti et ab omni parte impugnant nauem.* cf. Valer. Flacc. 4, 686. *Ceterum haec verba confundi saepius solent, quo verisimilior fit lectio. De ipsa vero longa, et vere poëtica tempestatis descriptione non locus patitur et consilium, vt plura dicam, nec refutem ineptientem Scaligerum* poët. libr. 5. pag. m. 713. *constituo vero alio libro fusius de his rebus et hac ipsa narratione iudicium ferre.*

COPVLA *significatu vni Ouidio proprio, funiculus, quo venatores in ducendis ad venationem canibus vtuntur* Met. 7, 771. *Copula* detrahitur canibus quos illa frequentes Effugit et coetum non segnior alite ludit. *Edit. Burm. leg.* c. d. e. quas illa sequentes effu-

git,

git, et volucri non segnius alite ludit; *quod probo.* *Quam hic* copulam *dixit*, libr. Met. 8, 332. *vocauit* vincula. *Eodem sensu* copula Trist. 5, 9, 27. vtque canem pauidae nactum vestigia ceruae Latrantem frustra *copula* dura tenet.

CORNIGER *epithet. Hammonis ab arietis forma, qua colebatur a Libycis gentibus.* Met. 5, 17. *Pertinet huc locus Lucani*, 9, 512. Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum Inculti Garamantes habent: stat *corniger* illis Iupiter, vt memorant, sed non vt fulmina vibrans Aut similis nostro, sed fortis *cornibus* Hammon. *Veram originem huius epitheti, et rem, vnde orta, vide* Met. 327. seq. * *epithet. cerui* Met. 7, 701. cornigeris tendentem retia ceruis *&c.*

CORNA: siluestria *corna* Hor. Serm. 2, 2. rubicunda dicit cf. Id. Ep. 1, 16. Corna *et cerasa eadem esse vult Seruius* Georg. 11, 18. *vid. autem Cassub. ad Athen. Lib. II. c.* 11. de cerasis, cornis, *et* moris, *erudite disputantem, si vis*, ad Ov. Met. 1, 105. *legebant* cornaque et in duris haerentia *mora* rubetis.

CORNV, cornua, *sunt extremae partes librorum extra volumen eminentes* Trist. 1, 1, 8. Candida nec nigra *cornua* fronte geras. *Adscribamus, quae h. l. bene explicat notam Paull.* Manut. ad Cic. Epist. 3, 7. „Extremae „partes, quod extra vo„lumen eminentes, cor„nuum similitudinem „prae se ferrent; cornua vocabantur, quibus ornamentum aliquod addi solitum ostendit Ouidius, cum librum suum Eleg. 1. Trist. sic alloquitur: *Candida nec nigra cornua fronte geras; nec* geras candida cornua, quae fortunae sunt indicia laetioris; cum sit atrata frons, qualem in calamitate nostra decet esse. Est enim *frons libri* exterior voluminis pars. Itaque dixit Ouidius idem vers. 11. nec fragili geminae

minae poliantur pumice frontes.„ * cornum *antique pro* cornu Met. 2, 874. litusque ablata relictum Respicit: et dextra *cornum* tenet; altera dorso Imposita est. *Nonnulli quidem Codd. habent*, cornu, *sed aperta est emendatio; cum alii bonae notae teneant* cornum, *et* Priscianus *Ouidium nominet, qui dixerit* cornum (libr. 6. pag. 685.) *adferens alium etiam locum* Met. 5, 383. Oppositoque genu curuauit flexile cornum; *vbi alii, emendati libri quoque*, leg. cornu. *Alios auctores, vsurpantes* cornum *pro* cornu, *collegit* Heinsius *ad not. loc. Ouidii.*

CORPVS *quodcunque integrum* Ov. Met. 1, 18. *Corpore* in vno *frigida pugnabant calidis, in vna massa, vt ipse alibi ait.* * corpora *de cadauere.* Ov. Met. 2, 325. trifida fumantia flamma *Corpora* dant tumulo * corpus *elegantissime de arena* Trist. 1, 5, 48. tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent, *paruaque* quot siccus *corpora* puluis habet. * *pari venustate* Trist. 1, 1, 120. His mando dicas, inter mutata *referri* Fortunae vultum *corpora* posse meae. *vultus fortunae transformatus bene inter transmutata collocatur.*

CORRIPERE, *culpare, inuehere dictis* Pont. 2, 6, 5. *Corripis*, vt debes, stulti peccata sodalis. Et mala me meritis ferre minora doces.

CORTINA, *lebes, tribus altis pedibus impositus, quo conscendens et numine afflata Pythias vaticinari solebat, siue dicta sit* cortina *a corte, vt quibusdam placet, quod in cortibus villaticis earum vsus esset ad aquas calefaciendas, et vina decoquenda, siue etiam aliunde dicta.* cf. Plin. libr. 34. c. 9. Ouid. Met. 15, 635. Et locus et laurus, et quas habet illa (*Pythia vt Apollinis sacerdos*) pharetrae, Intremuere simul: *cortina*que reddidit imo Hanc adyto vocem: pauefactaque pectora mouit.

Adde

Adde Virg. Aen. 3, 90. et 6, 347. neque te Phoebi *cortina* fefellit dux Anchiſiade. Pſeudo-Senec. Oedip. 33. Lucan. 5, 13.

CORVSCARE linguas *de Tiſiphone* Met. 4, 493. morae ſonnere colubrae - pars circum tempora laptae Sibila dont, ſaniemque vomunt, linguasque *coruſcant.*

CRATER, *hiatus terrae, fauces* Met. 5, 424. Icta viam tellus in tartara fecit, Et pronos currus medio *cratere* recepit. * Met. 8, 67. Omnia fictilibus (*ſc. vaſis afferuntur*) poſt haec caelatus eodem Siſtitur argento *crater*, fabricataque fago Pocula. *Heinſius emendat:* poſt haec caelatus eadem ſiſtitur *argilla* crater. *Et ita edidit Burmannus, quae quidem lectio primo intuitu adeo facilis et docta videtur, vt vix ambigi poſſit. At ſi rem accuratiori mentis lance perpendis, ſententiam forte mutabis. Primum omnes codd. habent*: eodem Siſtitur argento. *Vnus palatinus* eodem argillo; *ſed eſſe gloſſam inde colligitur, quod in plurimis codd. lectioni* argento *adſcriptum eſt, argilla i. terra. Praeterea* caelatus *argilla crater, quae locutio eſt? Nec placuit adeo Heinſio, qui ineptam eſſe hanc metaphoram ipſe vidit; quid ergo? emendat* illatus *pro* caelatus, *et probat fuſe, quid? quid aliud, niſi?* inferre craterem dici latine poſſe. *At quis, Heinſi, dubitauit? Ouidium vero hoc loco* dixiſſe, *non dicere ſolum* potuiſſe, *hoc opus erat, hic labor. Quae cum non ſint probata, retineo lectionem vulgatam, ſed eo ſenſu, quo docte et eleganter expoſuit, laudatus a Burmanno* Rigaltius ad Tertull. de cultib. femin. libr. 1. c. 2. *vt ſit* Caelatus eodem argento crater, *Crater nullo argento caelatus, aeque non argenteus, ac reliqua, quae praeceſſerant. Suauiter dicit itaque poëta:* Omnia vaſa erant fictilia, et crater eodem argento

(*ſcil.*

(*scil. argilla*) caelatus. *Neque est, vt putat Burmannus, iocus, sed potius elegantia, qua paupertas Philemonis et Baucidis, breuiter et luculenter notatur* * cum sit, *vt sciunt omnes, vas vinarium maius in quo vinum miscere aqua, vnguentis &c. atque, vnde haurire poculis vina solebant; eleg. dicitur* Fast. 4, 779. Tum licet, adposita, veluti *cratere*, camella, Lac niuenm potes purpureamque sapam. *In Palilibus pastores solent lac, in camella, loco crateris posita, instar vini adponere, et haustum inde potare.* Camella *erat vas ligneum, vbi haec potio infundenda;* vid. Turneb. Aduers. 26, 7. *Potio illa ipsa dicebatur* burrhanica, *a colore burrho.* Festus: Burrhanica potio, lac commistum sapa, a rufo colore, quem burrhum vocant. *vide voc.* Sapa. * Fast. 3, 418. Cratera ponere *Vestae* focis; *est vas afferre vino repletum, vnde vinum libari focis possit. Crateres in sacris adhiberi, mos fuit notus.* * Fast. 3, 537. Ducunt *posito* duras *cratere* choreas, Multaque diffusis saltat amica comis. i. e. *remotis crateribus, finito conuiuio*, saltant; *at venuste!* duras choreas ducunt; *incompositas, nullam artem prae se ferentes. opp.* molles choreae.

CREPITANS rostrum; *eleg. de ciconia* Met. 6, 97. sumtis quia candida pennis Ipsa sibi *plaudat crepitante* ciconia rostro. *Qui velit de ciconia plura scire, inueniet apud* Plin. H. N. libr. 10, c. 23.

CRESCERE in caput Met. 5, 847. Inque caput cresci longosque reflectitur vngues. *Alii legunt:* iamque caput cet. *perperam! Imitatus est* Quintilian. Instit. Libr. 4, c. 1. Vitanda immodica prooemii longitudo, ne *in caput excreuisse* videatur. *De ipsa mutatione Ascalaphi in bubonem* cf. Isidor. libr. 12. c. 7. *qui et h. l. ouid. adtulit.*

CRETOSVS, rura cretosa Cimoli Met. 7, 463. *dicta, quia in illa terra effoditur* creta, *quae cimolia dicitur, purgandis vestibus apta.*

CRIMEN *de eo quod vituperium magis mereat quam laudem, vitiosa virtus* Met. 5, 584. Quaque aliae gaudere solent, ego rustica dote Corporis erubui; *crimenque* placere putaui, *et placere putaui, quod me dedeceret plane. At totus iste locus a vers.* 580. *habet ingenuam illam narrandi simplicitatem, quae in ore puellae summam creet venustatem.* * *eleganter vestes pictae, quibus intexta adulteria Deorum, dicuntur* coelestia crimina. Met. 6, 131. Rupit pictas, coelestia crimina vestes, *(cf. praeced. vers.) Nihil hic ne cogitandum quidem de mutanda lectione. Plane sic* crimen *apud* Propert. 2, eleg. 5. *et in eadem tabula, quam Chaerea* Terentius suspectabat in Eunuch. 3, 5, 36. *vt iam notauerat* Burmannus.

CRINALE, *ornamentum crinium, fascia, quae capiti circumdatur crinibus cohibendis.* Met. 5, 53. Ornabant aurata monilia collum. Et madidos myrrha cuuum *crinale* capillos. *Burmannus tamen dubitat, an vera sit lectio.* „Illud crinale, inquit, ita absolute ponere nescio, an soleant veteres. *Crinales dentes* Claudian. Bell. Gild. 138. Crinalem murum in Eutrop. 284. dixit, ad quae loca alia adduxit Barthius. *crinales vittae.* nostro libr. 4, 6. Met. crinale, corpus habent 30. „*Fauet igitur vir doctus lectioni, quam in tribus aliis codd. se recepisse dicit:* et madidos myrrha cohibebat mitra capillos.„ Namque mithra, addit, Orientem incolentium cultus, et praecipue mollium virorum erat. Vnde et Baccho ex India redeunti fere datur vt apud Valer. Flacc. 2, 271. sic et Hercules apud nostrum, Ep. 9, 63. auctus erat mitra redimire capillos; et Senec. Hip-

Hippol. 756. de Baccho: At mitra cohibens cornigerum caput; ita et Fast, 3, 669. leui mitra canos redimita capillos. „ *Ego vero ausim eo magis hanc lectionem* crinale &c. *tueri, quo magis noua est, et infrequentior. Solent plerumque vt semel moneam, critici in eo frustra laborare, vt, si quam lectionem statuant, multis exemplis et locis aliis, quae idem vocabulum, eandem locutionem habeant, eam sustentent; quod saepe nihil prodest. Non enim ex sexcentis aliis locis recte sequitur coniectura, esse et h. l. ita constituendum. Ibi tantum valere mihi videtur, vbi apertum sit, alterum auctorem alterum imitatum esse, aut vbi ex eodem auctore, de eadem re, idem affertur: nec tamen tum semper certa res est; nam potest rem variare. Praeterea conferunt similes loci ad tuendam aliquam lectionem, vbi de vocabulo ipso, aut phrasi quaeritur, vtrum sit latina, probata bonis scriptoribus, an secus. Loca itaque* Burmanni *laudata, vbi* mitra *occurrit, non probant, nisi stare* posse *h. l. hanc vocem. Quod vero* mitra *est vsitata incolis Orientis, illud non impedit quo minus* et crinale *positum h. l. sit, nam eadem res est. Denique tres illos codices, non profecto inter Ouidianos optimos habitos, probabile est, tenere potius glossam, quam veritatem. Non enim veri est simile illum versum:* cohibebat mitra capillos, *esse ita a glossatore explicatum,* Et madidos myrrha *curuum crinale* capillos. *Elegantior esset interpres, et magis poëticus ipso poeta. Tandem, sicut omnes vere magni poëtae, ita et Ouidius solet saepius verba innouare, aut noua iunctura vti, id quod poëtarum critici accuratiori mente saepius cogitare debebant. Hinc et h. l.* crinale *noue dictum esse bene potest. Accedit, vt sit mi-*

nor audacia, cum crinalis vitta, *frequens sit, et apud nostrum ipsum auctorem*, vt Met. 4, 6. crinales vittas fouere; *et, quod longe maximum est, occurrit eadem vox eodem sensu iterum apud eundem poëtam* Pont. 3, 3, 15. Nec torquem collo, nec habens *crinale* capillis, Nec bene dispositas, comtus vt ante, comas. *Hinc, ni fallor, causa dirimitur; quis enim ambo loca emendet, praesertim nullo codice refragante in loc. laud.* Pont. Epist. *certe* Burm. *illo loco ipse nihil notandum duxit.*

CRINIS simplex. Met. 8, 320. *Crinis* erat *simplex*, nodum collectus in vnum. *vide* Simplex.

CRISTATVS ales, *poët. gallus gallinaceus.* Fast. 1, 455. Nocte Deae Nocti *cristatus* caeditur ales; *et addit causam*, quod tepidum vigili pronocat ore diem. *quam venuste, quam facete! dicitur* etiam ales cristati oris Met. 11, 598. Non vigil *ales* ibi *cristati* cantibus *oris* Euocat auroram. *in nobili et poëtica descriptione sedis Dei somni, quam cum voluptate animi maxima, attento iudicio leges.* * cristatus: *est et draconis* epithet. Met. 4, 598.

CRVDVS, *crudelis* Met. 4, 240. defodit alta *crudus* humo. *vid.* Part. I. Clav. h. v.

CVLTVS: thalami culti *ebore et testudine; referendum ad laquearia* Met. 2, 737. Pars secreta domus ebore et testudine *cultos* Tres habuit *thalamos; ornatos.*

CVNEATVS Met. 13, 778. Prominet in pontum *cuneatus* acumine longo: (*in modum cunei formatus*) Collis, vtrumque latus circumfluit aequoris vnda.

CVNEI, *ligna quaedam crassiora, quae affiguntur nauibus, quo minus, si in saxa incurrant, atterantur, rimasque contrahant. Graecis* χελεσματα Met. 11, 515. Iamque labant *cunei*, spoliataque tegmine cerae, Rima patet. *vide de cuneis* Scheffer. libr. I. de

de Militia Nauali. c. 6. *vnde sumta nostra explicatio.*

CVRA, *de sollicito amore, vt saepe* Met. 8, 81. Talia dicenti *curarum* maxima nutrix Nox interuenit, tenebrisque audacia creuit. *vere et elegantissime, nox fingitur*, curarum maxima nutrix *h. l. autem etiam propter euentum necessaria fere.*

CVRRVS, *habilis*, Ov. Met. 2, 531. *habili* Saturnia *curru* Ingreditur liquidum pauonibus aëre pictis i. l. *agili* l. *leui*, vt ibid. v. 150, et Met. 10, 717.

CVRSVS, timidus Met. 1, 525. Plura locuturum *timido* Penea cursu Fugit. * Fast. 6, 362. Spes erat in *cursu. longius ire, progredi, et quasi procurrere posse videbatur.*

CVSTOS telorum, *elegantissime*, pharetra. Met. 8, 321. Ex humero pendens resonabat eburnea laeuo *Telorum* custos. *Bene* resonabat; cf. Hom. Iliad. α. 45. et 46.

CYATHVS Fast. 3, 532. Sole tamen vinoque calent: annosque precantur Quot sumant *cyathos*; ad numerumque bibunt. *Sensus facilis: vide voc.* Cyathus *in Parte I. Clauis.*

D.

DAMNVM *elegantissime, id quod amisimus cum damno* Met. 13, 16. Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summa, Quas simul et matrem circum sua *damna* volantem Corripuit serpens; *volantem circa pullos suos iam perituros. Sic* Phaedr. 1, 28. *damnum* sanguinis *in simili re* * *de morbis*, damna. Pont. 1, 10, 29. Non haec immodico contraxi *damna* Lyceo: scis mihi quam solae pene bibantur aquae. cf. vers. praeced.

DAPES *antiqua significatione, de qua ita Festus* „Daps apud antiquos dicebatur res diuina, quae fiebat aut hyberna semente aut verna.„ Fast. 4, 745. Adde dapes mulctramque suas:

(*ita lego cum Heinsio et Burm.*) *dapibus*que resectis Siluicolam tepido lacte praecare Palen. *Mihi maxime arridet lectio:* dapibusque paratis i. *peractis. de lacte* conf. Tibull. 1, 1, 114.

DARI *pro* narrari *apud alios scriptores passim, sed ita etiam ex auctoritate Codd. legend.* Fast. 6, 434. Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Vlysses Seu pius Aeneas eripuisse *datur. Alii leg.* ferunt. *nec tamen ratio latinitatis patitur.*

DE Met. 1, 127. *de* duro est vltima ferro. *sc. aetas hominum. Ita* de *etiam apud Virg.* Aeneid. IV. *de* marmore templum coniugis antiquum. * *propter* Met. 4, 49. Eurydicen vocant vmbras erat illa recentes Inter; et incessit passu *de* vulnere tarda. *Gradiebatur Eurydice inter nouas aduenas vmbras, et lento passu, propter vulnus acceptum, scil. a vipera, cuius ictu enecata modo fuerat. Sed non audeo dicere, qua laude poëta vmbram e vulnere adhuc dolentem finxerit. Quidquid pro eius caussa adferatur, non placet illa imago; longe alia est ratio, si* Dido stat vt marpesia cautes, nec *aspicit Aeneam* libr. 6. *quem locum sine dubio imitari voluit Ouidius; namque hoc erat vulnus animi, sed morsus viperae profecto non locum habet in mente, et vmbra exsangui. Est sine dubio etiam iste locus ex iis, quos emendasset Ouidius, si retractare opus licuisset. Etenim et mira est structura verborum, anxie et quasi a tirone conscribilata, non ab Ouidio, conspicuo facilitate et amoenitate poëta. Vox* inter *postposita omnibus est; superfluum etiam τὸ* illa, nec *nisi versum explet* * *de pro* propter *etiam* Met. 14, 477. antiquo memores *de* vulnere poenas Exigit alma Venus. * *pro* ex, Met. 2, 555. &c.

DECENS Fast. 5, 23. placido *decens* Reuerentia cultu, *longe suauissima imagine ficta est, lectum-*

Etumque verbum decens, *quod quidem pulchritudinem notat sed* comem, *sed* placidam, *qualis pulchritudo conuenit huic Deae; at totus locus ridet eadem comitate, qua hoc versu renidet* Reuerentia Dea. * *Pari elegantia, vt simul respiciatur ad pulchritudinem, quae conueniat* apta sit *personae* Fast. 5, 356. Cur tamen vt dantur vestes cerealibus albae Sic est haec cultu versicolore *decens. vide* Versicolor.

DECERE, *ornare, pulchritudinem addere* Met. 4, 230. Ipse timor *decuit.* sic et Met. 4, 330, et Fast. 2, 105. *vt* decens *pro* pulcher. *vid. p. 1. clav. sub h. voc. et* Met. 1, 450.

DECIDERE Met. 10, 18. oppositi sub terra numina mundi, In quem *decidimus*, quidquid mortale creamur. *sed tu cito lege* recidimus *pro* decidimus et *veriori sententia suadente et plerisque codd. bonis iubentibus: malim illud* decidere *ex h. l. ponere* versu 10, *vbi nostra Editio* occidit, *et meliores libri*, Decidit, *quod etiam elegantius.*

DECIMVS. decimae vndae, *maximae et vastissimae haberi solitae* Met. 11, 531. Vastius insurgens *decimae* ruit impetus vndae cf. Trist. 1, 2. Qui venit hinc fluctus, fluctus supereminet omnes Posterior nono est, vndecimoque prior. *Inde* decimum *et* decumanum *pro maximo, amplissimo positum.* cf. Sil. Ital. 14, 121. *cum Ouidii loco.*

DECIPERE diem *eleg. vt alibi* fallere *dicitur, qui consumere, transigere studet diem, vt ne sentiat eius laborem, molestias &c.* Trist. 4, 10, 114. Tristia quo possum carmine fata leuo. Quod quamuis nemo est, cuius referatur ad aures, Sic tamen absumo, *decipioque* diem. *Sic eodem sensu* Trist. 4, 1, 14.

DECOLOR India Met. 4, 21. *Decolor* (*fusca et flaua*) extremum qua cingitur India Gange. *Ita et* decolor Indus Trist. 5, 3, 24. Et quoscunque bibit *decolor* Indus aquas. *In superiori loco pro* cingitur,

gitur, *legunt alii* tinguitur. *Probe: namque non cingitur proprie Gange Inaia, et habent quinque optimi codd.* tinguitur.

DEDOLERE *morte dolorem deponere* Fast. 3, 480. Quid me desertis perituram Liber, arenis Servabas, potui *dedoluisse* semel.

DEDVCERE, vestem, *de nudando pectore* Met. 3, 480. Dumque dolet, summam vestem *deduxit* ab Ora Nudaque marmoreis percussit pectora palmis. *Sic enim leg. perperam alii*, diduxit; *deducebant enim tunicam ab summa ora.* Hinc Iuuenal. Sat. 13, 133. nemo dolorem Fingit in hoc casu, *vestem deducere summam*, Contentus. Ouid. Met. 13, 764. Vestemque manu *deduxit*, et haec sunt pectora ait, *vti recte cum Heinsio legitur, cum alias inueniatur* diduxit. *deducta nempe veste interiore cicatrices in pectore ostentabat Vlysses. Vid. plura apud Heins. ad Ov. Amor.* 1, 7, 48, *praeterea in hoc loco nostro* Met. 3, 480. *aduerte pingens metrum et imitantem numerum sonum percutientis.* Nudaque marmoreis *percussit* pectora palmis: *litera* p. *iterata et ipsa mutatio dactyli cum spondeo venusti quid prae se, ad rem ipsam, fert * proprie de lanificio pro intexere* Met. 6, 69. Et vetus in tela *deducitur* Argumentum. *Fuere qui legerent* inscribitur, *alii* infingitur, *omnia sunt mala, praeter τὸ* deducere. *Adeo de* textis *solemne verbum, est* deducere, *vt et hinc ad corpora referatur quae plectro* deducuntur, *de quo adi Burm.* ad Ov. Amor 1, 14, 7. * deducere marito, *ad maritum* Fast. 4, 153. Cum primum cupido Venus est *deducta* marito Hoc bibit. ex illo tempore nupta fuit. *Solemne in hac re verbum. vide* Ernesti Clav. Cic. *in hac voce.*

DEFECTVS deficiens, minutus Met. 9, 154. praetulit (*omnibus aliis consiliis*)

filiis) imbutam Neſſeo ſanguine Veſtem Mittere, quae vires *defecto* reddat amori cf. verſ. 132. ſq. defectus poples; *eleg. vbi labat; et deorſum verſus, ſecum trahens corpus* Met. 13, 477. Illa ſuper terram *defecto* poplite labens, Pertulit intrepidos ad fata nouiſſima vultus. *Tota narratio de Polyxena incomparabilis. vox* defectus *vero plane ita vſurp.* Met. 9, 154.

DEFICERE Met. 2, 382. *de ſole*; qualis cum *deficit orbem* Eſſe ſolet, i. *cum occidit, vt alii, aut, cum Eclipſi laborat, vt alii explicant. poſterius praeferam. Burm. legit deficit orbe, ſed* non *opus.* Sil: Ital. X. 192. non haſta *viros, non deficit enſis. cf.* Ov. *Amor.* 1. *Eleg.* 8, 93.

DEFLVERE, *bene et poëtice de moribundo concidente equo.* Met. 6, 229. In latos a dextro paullatim *defluit* armos. *Nonnulli gloſſam* decidit *receperunt, ſiniſtra mente.* Met. 6, 141. Poſtea diſcedens ſuccis Hecateidos herbae Spargit. et extemplo triſti medicamine tactae *Defluxere* comae. *eleg. cito omnes* decidere; *id enim notat* h. l. defluere.

DEGENERARE ſuauiſſime Met. 7, 545. Acer Equus quondam magnae in pulueere famae (*ſaepius in certaminibus celeritate victor.*) *Degenerat* palmae veterumque oblitus honorum Ad praeſepe gemit morbo moriturus inerti. *Heinſius legit:* Degenerat palmam; *vt actiue vſurpetur, cuius quidem exempla non deſunt, appoſita ab ipſo docto viro* ad Ouid. Pont. Epiſt. 3, 1, 45. Hanc caue degeneres. *in quo quidem loco ita legendum putauerim, quia plurima pars codd. ſuadet: ſenſus eſt facilis: caue ne diſſimilis ei ſis. Sed in loco priori Metam. dubito. Non enim, quia Ouidius altero loco* degenerare aliquid, *dixit, in altero bene accipitur, reclamantibus praeſertim bonis libris. Et habet praeterea equi e peſtilentia aegri deſcriptio*

maiorem efficaciam, et misericordiae expectationem, si legamus: Acer equus quondam magnaeque in puluere famae *Degenerat, (iam plane genus suum relinquit, negat, fessus iacet et iners;)* palmae veterumque oblitus honorum; *nonne sentis miseram conditionem equi nobilis, qui quasi oblitus iacet* omnium honorum et palmae. *Denique Heinsii lectio pessime disiungit, quae coniungenda sunt;* palmae et honorum oblitus, *praeclarum efficit et natura coniunctum sensum;* degenerare palmas: *dure dictum, et quae sequuntur:* Veterumque oblitus honorum ad praesepe gemit, *si coniungenda sunt vt vult lectio Heinsii, ridiculi potius quid sistent, nisi absurdi,* oblitus honorum equus, ad praesepe gemit? *Quasi gemere non debebat aeger equus; certe praue opponitur* gemens equus *et* honores prius capti, *bene vero, vt quisquis videt,* degenerat, *non amplius ostendit genus suum, et* oblitus palmae: *namque genere suo pristino palmam nactus erat, laudem: longe grauissime poëta dicit,* leto moriturus *inerti; quasi se indigno &c.*

DEGRANDINAT. Fast. 4, 755. Da veniam culpae, nec, dum *degrandinat,* obsit, Agresti fano supposuisse pecus. *Burm.* dum *pro* donec *accipiens* degrandinet, *inuitis Codd. legit; et intelligit,* donec grandinare desinit; *male! etiamsi* Gesnerus *in Thesauro secutus sit Burmannum.* Degrandinat *verbum insolens est, sed plura sunt eiusmodi verba, vbi adiecta praepositio nihil mutat significationem, in qua causa mihi* Gesnerus *ipse interdum errasse videtur, vt nonnulla talia verba probant in Thes. explicata. Est itaque h. l.* Degrandinat *idem ac simplex verbum, vt* Deproeliari, *quod vide* in I. Parte Clauis. *et alia. Facilior praeterea est sensus loci, si meam interpretationem sequeris; et quod*

quod maximum est, non potest degrandinat *notare*, desinere grandinare, h. l. *nisi legas* degrandinet, *vt et fecit* Burm. et Gesnerus, *sed hoc vetant omnes bonae notae Codd. Cur itaque nolumus sequi veritatem?*

DEIECTVS, *pronus lapsus fluuii*; *ein* Abfall. Met. 1, 571. Peneus-spumosis voluitur vndis, *deiectuque* graui tenues agitantia fumos Nubila conducit, summasque aspergine siluas Impluit: *de fluuio deorsum rapido impetu labente, at bone Deus! quam amoena descriptio! quam viuida!*

DEIICERE *cum saepius vsurpetur de iis*, qui *prostrati, victi iacent, venuste Ouidius hoc verbo ludit* Trist, 5, 8, 1. Non adeo cecidi, quamuis *deiectus*, vt infra Te quoque sim, inferius, quo nihil esse potest. *Quamuis prostratum quasi fulmine, non tamen se deiectum adeo, abiectum esse dicit, vt cum eo possit comparari.*

DELAMENTARI: *vox Ouidio propria ab eo nata, neque tamen emphasin habet, vt volunt interpretes nonulli, sed idem est, quod* lamentari Met. 11, 331. natam *delamentatur* ademtam.

DELIQVESCERE Met. 4, 253. Protinus imbutum coelesti nectare corpus *delicuit*, terramque suo madefecit odore.

DEMERGERE Fast. 3, 517. *de occiduo sole*: Sex vbi sustulerit, totidem *demerserit* orbes Purpureum rapido qui vexit axe diem. *vide* Emergere. * Met. 15, 105. Victibus inuidit, quisquis fuit ille virorum Corporeasque dapes Auidam *demersit* in aluum. *eleg. ad rem delecta verba.*

DEMITTERE Met. 4, 369. *Demissaque* corpore toto Sicut inhaerebat. *sed legendum* commissa, *vide* Committere.

DEMVGITVS, *mugitu impletus, noue et singulariter* Met. 11, 376. sanguine litus Vndaque prima rubent *demugitaeque* paludes.

DENSVS; vsus, *frequens consuetudo; noue* Pont. 4, 3, 15. Ille, ego con-

uictor, *densoque* domesticus vsu. * *idem fere ac vehemens* Fast. 4, 87. Ver aperit tunc omnia, *aensa*que cedit Frigoris *asperitas*.

DEPASCERE *de hominibus, qui in saltibus pecora pascunt.* Fast. 5, 283. Venerat in morem populi *depascere* saltus: Idque diu licuit nullaque poena fuit.

DEPEXVS Fast. 3, 465. Interea Liber *depexus* crinibus Indos Vincit et Eoo diues ab orbe redit. *Burmannus vim in praepositione quaerit, vt sit* pexus, *diligenter et ornate pexus. Sed non est. Similiter multi falli solent.* Pexus *vltro notat, diligenter ornatum, et compositum crinibus. Adde* Fast. 6, 229.

DEPONERE *pro* componere, *sepelire*: *noue* Trist. 3, 3, 40. Nec mea consueto languescent corpora lecto (*Bene languescere*) *Depositum* nec me qui fleat vllus erit.

DEPOPVLARI, *elegant.* Fast. 1, 684. Neue graues cultis Cerealia dona sauete Agmine laesure *depopulentur* aues.

DEPRENDERE Met. 4, 458. Tibi, Tantale, nullae *deprenduntur* aquae: *bene quasi dicas, erhaschen: namque* Tantalus a labris sitiens fugientia *captat* flumina. * *pari fere significatione* deprensa adultera, *est* Fast. 2, 809. *Adde ibid.* vers. 799.

DESIGNARE *pingere, sed resp. ad picturam, rem vere, bene exprimentem* Met. 6, 103. Maeonis elusam *designat* imagine tauri Europen, Verum taurum, freta vera putares.

DESPECTARE, *proprie, ex alto deorsum spectare, cum vi pinguendi* Met. 4, 623. fertur et ex alto seductas aethere longe *Despectat* terras.

DESPICERE *proprie exalto spectare, quod infra est* Met. 2, 710. Munychiosque volans agros, gratamque Mineruae *Despiciebat* humum cultique arbusta Lycei. *Burmann. leg.* despectabat *h. c. a. l. Adde* Fast. 4, 569.

DE-

DESTRINGERE corpus *dicitur telum, vbi cutem laedit, leuiter percutit, vt fiat vibex. resp. Homerico* Ἐπεγρᾰφειν Iliad. β. 139. *Gellius dicit* conscribilare. Met. 12, 101. Nec tertia cuspis apertum (*nudatum clypeo*) Et se praebentem valuit *destringere* Cygnum.

DETERIOR pars vitae, *senectus* Trist. 4, 8, 34. Iamque decem lustris omni sine labe peractis, *parte* premor vitae *deteriore* meae.

DETINERE Met. 1, 683. Euntem multa loquendo *Detinuit* sermone diem; *diem praecipitantem confabulando quasi longiorem reddidit Argo*, vt ne *sentiret ille, fere iam praeterire diem et occidere, ita* extendere sermone noctem, *et similia eius generis plura inueniuntur. Burmannus tamen hoc verbum alienum ab hoc loco putat, quoniam breuiorem facere diem Mercurius voluisset, vt Argum deceptum occideret, et detinere sit contrarium, sed nisi sibi, tamen Argo, non animaduertenti diem vergentem, diem longiorem fecit; vid.* Gebhard. L. 1. crepund. 9. *Non opus itaque legere cum Burmanno, aut*: diminuit sermone diem, *remuentibus coditibus, aut*: detinuit sermone ducem, *sc. Argum* Id. Epist. ex Pont. 4, 10. 67. *detinui* tempus, curasque fefelli. *Ita enim Heinsius restituit, pro, detinui* curas, tempusque fefelli, *quae bona profecto et vera videtur lectio; est enim* detinere curas, *cohibere, arcere. Burm. tamen et h. l.* diminui *leg. pro* detinui. *perperam! si lectio recepta vera*, detinere corpus, *est terere, consumere, sed cur sauciemus Ouidium sanum?*

DEVELARE Met. 6, 614. Oraque *deuelat* miseri pudibunda sorori.

DEXTER Met. 2, 674. vtque vagi crines per colla iacebant, In *dextras* abiere *iubas. forte hic signif.* decentes iubas, *nam haec vox exprimit laudem cuiusque decentiae.* Virg.

Virg. Aen. 4, 294. Qui rebus *dexter* modus. *sed nec hoc mihi satis placet. Quid? si legas: in* pexas *abiere iubas. sed nihil confirmo. Locus mihi saltim suspectus est, et miror tamen omnes ante me siluisse de eo.*

DIDVCERE *eleg. et proprie, vt trahere et rapere in varias partes notet* Met. 8, 589. *Continuam diduxit* humum, partesque resoluit In totidem, mediis quod cernis Echinadas vndis, *continuam terram esse, quam nos dicimus, das feste Land opp.* Insulis, *notum est; bene igitur in* partes *resoluit, scil. Insulas &c.*

DIFFAMARE *vocab. ab Ouidio vt videtur cusum, in aliis posterioribus scriptoribus modo occurrens* Met. 4, 236. Vulgat adulterium, *diffamatum*que parenti indicat.

DIFFICILIS ianua Met. 8, 173. Ianua *difficilis* filo est inuenta relecto; *de Theseo. fabula notissima, sed eleg.* difficilis ianua *dicitur, quae inueniri nequit. Ita fere* Fast. 2, 727. difficilis Ardea, *quae difficulter expugnatur.*

DIFFVNDERE vultus, *exhilarare* Met. 14, 272. *Diffudit* vultus et reddidit omnia votis. *sed nescio cur non dudum, nec ab ipso Burm. recepta sit lectio, quam tenent plurimi codd.* reddidit *omina* votis? *certe mihi elegantissima videtur. Adde huic loco* Pont. 4, 4, 9. Qua tamen inueni vultum *diffundere* causam Possem, Fortunae nec meminisse meae. * diffusus nectare Met. 3, 318. Forte Iouem memorant *diffusum* nectare, curas Sepositse graues.

DIGERERE: *eleganter* Met. 12, 21. Nouem volucres in belli *digerit* annos. *Dicuntur res* digeri, *in Fastis, vbi per annos ordinantur: hinc Vates dicitur, digerere nouem volucres in nouem annos, cum dicit nouem illos aues* (passeres cf. Homer. Iliad. ϱ. β. 299. seq.) *notare nouem annos,*

annos, quos Graeci consumturi essent in bello Troiano.

DIGITVS Met. 3, 471. spectat — et dignos Baccho *digitos* et Apolline crines. *stulte sic legitur, quum satis sit probata vel auctoritatibus, nisi et res ipsa moneret, lectio Heinsiana*, et *dignos* Baccho, *dignos* et Apollini crines. *Notum ex multis locis veterum auctorum, pulcherrimis crinibus et Bacchum et Apollinem ornatos esse habitos. In priori hoc versu apud Burm. est*; spectat humi positus geminum *sua* lumina sidus: *non ita bene, vt illa altera lectio habet*, spectat — geminum, *ceu* lumina sidus. *forte verissime cum Heinsio legemus:* — geminum, *duo* lumina, sidus.

DIMITTERE. *dimitto eleg. ex omni parte mitto longe lateque. elegant.* Ov. Met. 1, 267. Ex omni nimbos *demittere* coelo. * *Dimittere aciem, in partes* omnes *mittere, poëtice et eleganter dicitur de iis, qui auide aliquid aspiciunt, totumque peruident, quod obiectum oculis est, oculis quasi pererrant, et diligentissime perspiciunt.* Met. 3, 381. *de puero Narcisso Echuntem audiente, et omnia circumspiciente loca:* Aciem partes *dimisit* in omnes. * animum in artes dimittere *pro appellere an. ad. art. discendas.* Met. 8, 188. non possidet aera Minos. Dixit: et ignotas animum *dimittit* in artes. * Fast. 6, 705. Inuentam (*tibiam*) Satyrus primum miratur: at vsum Nescit, et inflatam sentit habere sonum. Et modo *dimittit* digitis, modo concipit auras. *Eleg.* dimittere digitis auras, *dicitur, qui sublatis digitis ab foraminibus tibiae*, auram *quasi emittit late, h. e. dimittere. Neque ego nego coniecturam Burmanni h. l. mihi vehementer placere, qua legit*: comprimit *pro* concipit. *Videtur ipse sensus tale quid postulare. Modo emittit Satyrus auras, modo continet,* com-

comprimit, arcet: non video satis commodam explicationem verbi: concipit: in his contextis.

DIRIGERE *lapidescere, in lapidem mutari* Met. 5, 186. *velim notatam hanc significationem fuisse in* Thesaur. Gesneri, *sic et* Met. 5, 233. *et alibi.*

DISCERNERE Met. 1, 69. Vix ea limitibus *discreuerat* omnia certis, *Heins. leg.* descripserat, *Burm.* dissepserat *recepit, multisque firmat rationibus, neque mihi non arridet.*

DISCIDIVM, diuortium Met. 5, 580. Tanta cupido *sc.* tibi *discidii* vid. Part. I. clav. h. voc.

DISCORS foetus, *monstrum* Met. 8, 133. Quae toruum ligno decepit adultera taurum, *Discordem*que inter foetum tulit; *Minotaurum. Fabula nota Pasiphaës, de qua haec omnia. Heinsius emendauit* Dissortem *pro* Discordem, *quod probarem si vel vnus codex annueret, sed etiam* foetus discors *bene de monstro duplici generis dicitur; si respicis ad notionem vocab. Discors* * Met. 1, 9. Non bene iunctarum *discordia semina* rerum. *Heins. leg.* dissortia, *sed Ouidius poëta suauis non pati videtur.*

DISCREPARE Fast. 6, 572. Hoc constat enim, sed causa latendi *Discrepat. dubia est.*

DISCRIMEN medium; *dimidium* Fast. 1, 459. Postera lux hyemem medio *discrimine* signat; Aequaque praeteritae, quae superabit, erit.

DISSIMILIS: *varius, versicolor*, Fast. 4, 430. Tot fuerant illic, quot habet natura colores: Pictaque *dissimili* flore nitebat humus.

DISPOSITVS Ouid. Met. 3, 32. sic vbi *dispositam* &c. *certum ordinem, ornatum et elegantiam notat h. v. vnde Graecis κοσμος*, Latinis mundus. vid. Burm. ad h. l.

DISSIMVLARE Ov. Met. 2, 374. canaeque capillos *dissimulant* plumae: *audaci tropo, quamquam suauiter; quasi fallunt Cycnum, qui dum capillos*

pillos tangere putat, plumas prehendit.

DISTARE *de diuersitate colorum* Met. 6, 67. vsque adeo quod tangit, idem est; tamen vltima *distant. Et vere et* plane *adeo is, qui alii colori coniungitur, color similis ei est, vt idem videatur, quum tamen distet et differat, si omnia inter se, vltima cum primis connexa vides.* * dissans numerus *in ludo tesserarum, qui sit quaeritur ad Trist.* 2, 476. Tessera quot numeros habeat; *distante* vocato Mittere quo deceat, quo dare missa modo. *Locus profecto obscurior, nec mihi ipsi satis planus. Ignoratur enim ratio certa antiqua ludendi. Micyllus integram disputatiunculam ad h. l. adiecit, meris coniecturis constantem, quas ipse subinde refutat, et finit.* Proinde ego plane fateor, me hunc locum non intelligere. *Atqui etiam non adeo magni momenti tota res est, vt male nos habeat ignorantia. Adiiciam notam Burmanni, quae in hac obscuritate mihi quidem non displicuit prorsus:* „Locus difficilis, sed suspicor hic aliquid latere de turricula vel pyrgo (*vid. hoc votab. I. parte clauis*) in quem mittebantur tesserae; forte: *pyrgoque rotato mittere. (haec lectio nihili est, sed tamen de pyrgo coniectura valere potest.)* vt sit sensus, docuisse quosdam, quo modo deceat rotato fritillo ita mittere tesseras, vt felix iactus eueniat, et cum tu miseris, quo modo tesseras illas dare colluſori debeas, vt ille infelicem faciat iactum; Nam et hoc fraudulenter aleatores hodie callent. „ *Versus apud Ouidium sequentes non minori difficultate laborant.* Discolor vt recto grassetur limite miles (*allegoria fictitia ad lusum ducta*) cum medius gemino calculus hoste perit. *Falsò hic verba de eo ludo explicantur, qui nostra aetate* ludus Schachiae, *et, veterum imitatione, latrun-*

latrunculorum vocatur. Sequor et hic, quia fateor me nihil melius scire, Micyllum, qui haec: is ludus, de quo hoc loco Ouidius agit, totus alius atque diuersus ab eo est, quam nostra aetate *Schachiam* vocant Graeceque πλινθιον, latine vt puto *laterculus* appellatur, cuius rationem Pollux libr. 9. describit his verbis: ἡ δε διὰ πολλῶν ψηφων παιδια πλινθιον εςὶ, χωρας εν γραμμαις ἐχον διακειμενας· καὶ το μεν πλινθιον πολις καλειται, των δε ψηφων ἑκαςη κυων· διηρημενων δε εἰς δυω των ψηφων κατα τας χροας, ἡ τεχνη της παιδιας εςὶ περιληψις των δυω ψηφων ὁμοχροων την ἑτεροχρȣν ἀναιρειν. *Vides, hanc descriptionem Pollucis cum versibus Ouidii per omnia fere conuenire, nisi quod Ouidius eius, quae* πολις *dicitur, mentionem nullam facit, et quos Pollux canes vocat, ipse latrones et milites appellat.*

DISTINCTVS: herbae floribus *distinctae* Met. 5, 266. *bene: vario colore quasi pictae. sic et Horat.* Od. 2, 5, 11. *Vid.* in Part. I. Clav. Distinguere.

DISTINCTVS *eleg. dicitur latine pro* varius, variegatus (*vid.* Distinguere in I. Part. Clav.) Met. 6, 86. Quattuor in partes certamina quattuor addit Clara colore suo, breuibus *distincta* sigillis, *picta figuris variis paruis.* Met. 11, 168. *Distinctam*que lyram gemmis et dentibus Indis Sustinet a laeua, tenuit manus altera plectrum. *Variant libri mirum in modum; Alii, vt nos posuimus ex nostra editione; alii:* instructamque lyram; *alii* Instructamque fidem; *quam lectionem accepit* Heinsius, *edidit* Burmannus. Iam *quae lectio vera sit, si quaeratur, primum dicam, omnes habere, quo se tueantur; et videbit lector, nullam plane esse ineptam. sed elegantissima nonne est illa?* Distinctamque lyram gemmis &c. *certe multo*

multo magis pedester sermo est; instructa gemmis lyra. *Quare, quum faueant praeterea codd. lego ita, vt habet nostra editio; nec alias rationes plures adferre laboro, cum forte non sit opus. Vide locum Met.* 6, 86. *modo ante hunc laudatum, et adde* Trist. 6, 483. ex MSS. Comiferos hedera *distincte* capillos. *Ceterum non plane in vtile forte erit adscribere notam Glareani:* Ex hoc loco manifeste percipitur, quid sit lyra, quid plectrum. Lyra omnis vel trichordos est, vel tetrachordos, vel hexachordos: ipsae fides certis interstitiis, filo signatis, tanguntur, a sinistrae manus digitis. Porro chordae plectro, id est, arcu, quem dextra tenet manus, percutiuntur, *aut* verruntur potius: *ea* itaque interstitia faciunt, vt tota disdiapason consonantia etiam trichordo haberi queat.

DISTRINGERE *suauiter de auibus volantibus super aqua, eamque quasi radentibus, alis; sed legendum est*, destringere, *non vt male exprimitur fere vbique* distringere Met. 4, 561. Pars volucres factae, quae nunc quoque gurgite in illo Aequora *destringunt* summis Cadmeïdes alis. *Burman. legit*: sumtis Ismenides alis; *male*; cur enim sumtis alis? *nisi scripsisset poëta* nunc quoque gurgite in illo; *de ipsa mutatione intelligi posset; sed nunc legendum est* summis alis: *siue tu vero legas* Ismenides *siue* Cadmeïdes, *nihil mea intererit. Ridiculum est vero, huius lectionis (*sumtis alis) *veritatem stabilire locis his duobus*; Met. 1, 671: Alas pedibus virgamque potenti somniferam sumsisse manu; et Trist. 3, 8, 5: Nunc ego iactandas optarem sumere pennas * *vniuerse pro* laedere Trist. 2, 466. Inuenies eadem blandi praecepta Properti, *Districtus* minima nec tamen ille nota est.

DIVERSVS, *distans, longinquus* Met. 15, 22. Patrias age desere sedes,

Et pete *diuersi* lapidosas Aesaris vndas.

DIVIDVVS: luna diuidua *eleg.* Met. 3, 682. falcata nouissima cauda est, Qualia *diuiduae* sinuantur cornua lunae. *Ita enim cum* Gronouio obseruatt. 46,15 legendum; *alii legunt secuti libros* dimidiae. *Sed hoc nec dici quidem latine solet. Pulchre etiam eo loco Ouidii* sinuantur *cornua lunae diuiduae*, cornibus diuiduae lunae *oppon*, iunctae cornua lunae. Met. 7, 530. Dumque quater iunctis impleuit cornibus orbem Luna. *Plura loca vbi occurrit* diuidua luna, *cum dimidium orbis sui impleuit, attulit ad l. c.* Heinsius. * aqua diuidua *est, quae insulam circumdat* Fast. 1, 292. Accepit Phoebo Nymphaque Coronide natum Insula, *Diuidua* quam premit amnis aqua. *pulchre, quia flumen finditur in duas partes, ob insulae impedimentum.* cf. Met. 15, 739.

DIVTVRNVS *de eo qui diuturnam vitam agit.* Fast. 5, 488. Nec viduae taedis eadem, nec virginis apta Tempora. quae nupsit, non *diuturna* fuit.

DOMARE *interimere, ad graec. Homericum* δαμάω. Met. 1, 309. Quibus vnda pepercit Illos longa *domant* inopi ieiunia victu. * *coquere* Met. 8, 653. seruatoque diu resecat de tergore (*fumo siccatae*) partem Exiguam, sectamque *domat* feruendibus vndis. *Eleganter* domat feruentibus vndis; *vide* Vnda. resecat — sectamque: *solida Ouidio repetitio; neque non* exigua pars *sine delectu; quippe pauper Philemon.*

DOMESTICVS: ira domestica, *bene fuisse dicitur Boreae vento* Met. 6, 685. Ast vbi blanditiis agitur nihil, humidus ira, Quae solita est illi, nimiumque *domestica*, vento. *Burmannus ad h. l. duabus his vocibus* solita *et* domestica *putat Ouidium expressisse graecam vocem* οἰκειος, *de cuius vi pluribus* Victor. ad Cic. 1. Attic. 10.

DOMVS:

DOMVS: Met. 1, 121. tum primum subiere *domus*, (*domus antra fuerunt*) Et densi frutices et vinctae cortice virgae. *Locum subobscurum sic vt nos distingue, vt verba*, domus antra fuerunt; *in parenthesi ponas, et omnia erunt expedita: nempe agitur, de primis conaminibus (hominum) quibus cratibus atque virgultis tuguria, vtcunque struere tentabant qui antea in* antris *vitam egerant.*

DRACONIGENA *epithet. Thebarum: ratio vel ex* Metam. *Ouidii et libris mythologicis vulgo constat; sed vox ab Ouidio, ni fallor, nata est.* Fast. 3, 865. Inque *draconigenam* nimbis comitantibus vrbem Desilit: et natos eripit inde suos.

DVBITABILIS *vox ab Ouidio forte nata* Met. 1, 223. Nec erit *dubitabile* verum Met. 13, 21. Atque ego si virtus in me *dubitabilis*, esset, Nobilitate potens essem, Telamone creatus. *de quo multa Pindarus Isthmic. Od. 6. et Nem. Od. 4, cf. etiam vers. 23.*

DVBITARE Met. 2, 461: *Dubitanti* vestis ademta est. i. *quum dubia an vestes poneret cum aliis nymphis cunctatur; ita suaue hoc verbum, vt ne videretur, quare tandem, vt non satis efficax, aut conueniens pugnanti puellae a Burmanno respueretur, reponente* luctanti; *quod profecto non valde h. l. efficax imo frigens! verbum autem* dubitare *eadem significatione, qua vsurpatur hoc loco, et alibi saepe occurrere, notum est. piget exempla ponere.* * *dubitor, pro in dubium vocor, raro vsu* Met. 6, 208. An Dea sim *dubitor!* Dubitare *accusatiuo iunctum inuenies apud optimos scriptores.*

DVBIVS: nox dubia, *elegantissime de crepusculis; sed totus locus longe excellens descriptio est* Met. 4, 399. Iamque dies exactus erat, temptusque subibat, Quod tu nec *tenebras, nec* possis dicere *lucem, mire! (sic*

Dantes, poëta notus Italicus, deliquium mentis describit statum vbi tu nec viuas nec moreris) sed cum luce tamen dubiae confinia noctis — *bene* confinia: et dubiae confinia noctis, *ponunt rem quasi ante oculos. Laudibus iustis h. l. exornauit et commendauit* Bodmerus in libro: Betrachtungen über die poëtischen Gemälde sect. 7. p. m. 173. * pennae dubiae *eleg. de dubitante inter volandum, quorsum vergatur* Met. 8, 12. Inter vtrumque volant *dubiis* victoria pennis. *plane sic de apibus* Fast. 3, 556, amisso *dubiae* rege vagantur apes.

DVCERE lanam Met. 4, 34. Aut *ducunt* lanas, aut stamine pollice versant. *Quam iucunde rem exprimens pictura si leges conseq. versus.* in Epist. 9, 79. dixerat: digitis dum torques stamina duris. * rimam Met. 4, 65. Fissus erat tenui rima quam *duxerat* olim, Quum fieret paries domui communis vtrique. * brachia: vide Brachium.

* frigus, *de captante frigidiorem auram in aestu* Met. 10, 129. arborea *ducebat* frigus ab vmbra * vbera Trist. 1, 8, 42. Quaeque tibi quondam tenero *ducenda* palato Plena dedit nutrix *vbera* tigris erat. * notam Fast. 6, 649. *vide* I. Part. Clauis. * ducere toros, *de praeficis in pompa funebri. res est nota ex Antiquitt.* Fast. 6, 668. Quaeritur in scena caua tibia; quaeritur aris: Ducit supremos naenia nulla toros. *Recte retenta illa lectio est a* Burmanno, *cum erant multi Codd. qui suaderent legere*, choros. tori *sunt*, *vt constat*, lecti, *in quibus mortui efferebantur*, *siue potius* feretra.

DVLCE *absolute posit. potio ex aqua et melle et polenta* Met. 5, 450. Lymphamque roganti (*aquam*) *Dulce* dedit testa quod coxerat ante polenta. *sed legendum esse* tosta *pro* testa, *iam viri docti plurimi docuerunt.* tosta polenta, *i. e. tosta polenta coxerat dulce illud,*

lud, potionem illam. iam omnia facillima, nec tamen noluerunt illustrare h. l. viri plurimi docti, effuderuntque tam immanem eruditionem, vt miretur aliquis vnde haec omnia huc confluxerint. Dulce est κυκεων siue cinnus, *quem vocat Cicero, paratur e polenta tosta et aliis dulcibus rebus.* Vid. Turneb. Aduersar. Libr. 12. c. 8. Qui etiam *quendam locum ex* Odyss. Hom. *χ. huc refert. Quod vero sit intelligendus cinnus, probat vers.* 455. non adhuc epota parte loquentem, Cum *liquido mixto* perfudit Dicta *polenta.*

DVRARE *indurescere, lapidescere* Met. 7, 446. quae iactata diu fertur *durasse* vetustas in scopulos. *Sic etiam* Met. 10, 494.

DVRVS *de iis rebus quae duros decent, aut duram vitam ornant; inde venatus durus in pulcherrimo illo loco* Met. 4, 807. saepe suas illi fama est dixisse sorores; Salmaci vel iaculum vel pictas sume pharetras Et tua cum *duris* venatibus otia misce; Nec iaculum sumsit, nec pictas illa pharetras, Nec sua cum duris venatibus otia miscet. *sentisne suauitatem repetitionis? finge tibi haec ad stamina coli sedentem puellam narrare, hanc enim hac ratione mire facit poëta loquentem* * dura puella, *inexorabilis* Fast. 4, 111. Eloquiumque fuit duram exorare puellam. *Adde* Fast. 6, 120. * Fast. 3, 537. Et ducunt posito duras cratere choreas, Multaque diffusis saltat amica comis. *vide voc.* Crater.

E.

EBIBERE Nestoris annos, Fast. 3, 533. Inuenies illic, qui Nestoris ebibat annos. *tot cyathos bibat, quot Nestor annos vixisse fertur; namque tot annos precantur, quot sumant cyathos;* ad numerumque bibunt. vers. 532.

EBRIVS: verba ebria Fast. 6, 408. Saepe suburbanas rediens conuiua per vndas Cantat et ad nautas *ebria* verba iacit. * *vide* ebrii *elegantem descriptionem* Fast. 6, 677. sq. Nec mora: conuiuae valido titubantia vino Membra mouent: dubii stantque labantque pedes &c.

EBVR: ebore culti thalami Met. 2, 737. Pars secreta domus *ebore* et testudine cultos Tres habuit thalamos. *referendum ad laquearia. Similem locum ex* Apulej. Met. 5. *iam attulit* Heinsius: Summa laquearia citro et ebore curiose canata subeunt aureae columnae, *qui locus nostrum explicat.* * ebur curule Fast. 5, 51. Ille datos fasces commendat, (*consules*) eburque curule, (*omnem magistratum maiorem*) Illa coronatis alta triumphat equis. *vide voc.* Ebur in *I. Parte Clauis.*

ECCE *de re improuisa et subita, cum poëtica virtute* Met. 441. &c.

EDERE opem, *suauiter de oraculis Apollineis, quae* edant, *qua ratione opem ferre homines possint miseriis &c.* Fast. 3, 856. Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet Quam sterili terrae Delphicus edat opem. * edere animam *pro* amittere Met. 14, 777. arcisque via Tarpeia recluſa Digna animam poena congestis exuit armis. *Ita enim ego legendum existimo. vide Exuere. Plane sic etiam* Fast. 6, 745. *Ediderat*que animam, multum indignante Diana.

EDITVM: *mandatum significare saepius, notum esse puto; nec tamen putauit Barthius, et inde* ad Stat. Theb. 10, 131. *spurium iudicauit versum* Met. 11, 648. Cunctisque e fratribus vnum Morphea qui peragat Thaumantidos *edita* somnus Eligit. *Neque opus erat, vt cum Burmannus exercitu locorum repelleret. Vnus sufficit in tanta turba, quae vbiuis occurrit* Curt. 10, 8. edere mandata *et alii.*

EFFLVERE; Met. 3, 39. Effluere vndae manibus. *Ego*

Ego autem lego cum Burm. effluere vrnae man. *namque antea dictum, de aqua asportanda, vrnae hic itaque locum suum habent; et notum, has duas voces saepissime permutatas fuisse, praeterea τὸ* effluere *ad lapsum proniores librarios fecit. occurrit h. V. rarissime sic pro: elabi, nisi apud Ouid. ipsum huc pertinet* Amor. 3, 11, 14. Deque meis manibus lora remissa *fluent.*

EIACVLARI, *de aqua prorumpente* Met. 4, 374. Fistula — — tenues stridente foramine longe *Eiaculatur aquas. Adde* Fast. 1, 270. *vbi de eadem re.*

ELEMENTA Met. 2, 29. Densior hic tellus elementaque *grandia* traxit. *alluuies materialis, quae hyle Graecis dicitur, in qua fex est elementorum omnium, id est ignis sordidior, aër, aqua et terra, grandior materia fecosa, quae vndique ad imam tellurem grauemque defluxerat. Imitatus est poëta sine dubio Lucretium, cuius hi sunt versus:* omnis mundi quasi limus in imum Confluxit grauis et subsedit funditus vt fex.

ELIDERE: elisus nubibus ignis, *fulgor, elegant.* Met. 6, 696. Exiliuntque cauis *elisi* nubibus ignes. *Belle,* exiliunt. Met. 8, 340. Fertur vt excussus *elisis* nubibus ignis. *Ita nonnulli vetusti etiam, nec timendum est de Syllaba vs, quippe posita in caesura; vt saepius. Non igitur necesse est emendare cum Heinsio;* vt excussis elisi nubibus ignes, *quamuis lectionem et ipsam vetustiores probare dicit; namque non bene* aper excitus fertur, *vt* ignes *plurimi; Certe elegantius vt fulgor. Imitatus hunc vers. est* Statius 10, 472. * elidere herbas, *est* pistillo *conterere; quod fiebat in sacris Cybeles a Gallis.* Fast. 4, 371. Candidus *elisae* miscetur Caseus *herbae.* Cognoscat priscos vt dea prisca cibos. Varro. de Re R. 1, 47. Ea summa integenda binis tabellis dextra

dextra et siniſtra deligatis, herbaeque *elidendae, et dum tenerae ſint, vellendae.*

ELIMARE Met. 4, 178. graciles ex aere catenas Retiaque et laqueos, quae lumina fallere poſſint, *Elimat. bene de Vulcano; nec ſollicitanda lectio. Ipſe Burm. retinuit eam, licet* ad Amor. 1, 14, 7. *ſuſpicatus fuiſſet,* Eliquat.

ELOQVIVM *facundia* Faſt. 4, 111. *Eloquium* fuit exorare puellam: *omnis ars oratoria. Sic pro facundia apud Ouidium ſaepius.* Pont. 2, 2, 51. Pont. 2, 5, 40. Met. 13, 327, et 13, 63. cet.

ELVDERE, *ſpem alicuius fallere.* Metam. 1, 692. Non ſemel et Satyros *eluſerat* illa ſequentes. * *pro decipere, de virgine* Met. 11, 117. Ille etiam liquidis palmas vbi lauerat vndis Vnda fluens palmis Danaen *eludere* poſſet. *Sermo de Mida, ex pollicito Bacchi, quodcunque tangeret, mutante in aurum; adeoque etiam aquam, qua ſe lauit; ſed reſpicit poëta facete ad fabulam notam illam, qua Iupiter dicitur in pluuium aurum mutatus veniſſe in gremium Danaes cf. in Part. I. Clav. voc.* Aheneus. *vocem* Eludere *vero de eadem re vſurpauit poëta.* Met. 6, 103. *Eluſa* imagine Tauri Europe.

EMATVRESCERE *nouum vocabulum Ouidii.* Triſt. 2, 124. Crimine lapſa domus, Atque ea ſic lapſa eſt, vt ſurgere, ſi modo laeſi *Ematuruerit* Caeſaris ira, queat. *Elegánter! fructus arbores mitiores fiunt ſi maturi facti; hinc de mitigata Caeſaris ira;* Ematuruerit.

EMERGERE Faſt. 3, 367. *eleg.* Dum loquitur totum iam ſol emerſerat orbem. *q.ſ. merſum protulerat. Sic ibid.* verſ. 399. Tertia nox *emerſa* ſuos vbi mouerat ignes. *Ita enim, auctoribus optimis libris cum Burmanno legendum.*

EMERITVS, *ſingulari notione pro perfectus, conſummatus.* Faſt. 3, 43.

Quo

Quo minus *emeritis* exiret cursibus annus Restabant nitido iam duo signa Deo.

EMICARE *de sanguine prosiliente, belle*; Met. 4, 121. Vt iacuit resupinus humi; cruor *emicat* alte; (*posit. h. l. cruor pro sanguine recens profluenti vt saepe*) Non aliter quam cum vitiato fistula plumbo Scinditur et tenues stridente foramine longe *Eiaculatur* aquas, atque ictibus aëra rumpit. *Quae comparatio! et noua! et vera! et illustrans rem mirifice!* * *pulchre, de telo cito emisso ex arcu* Met. 5, 67. Dixerat, *emicuit* nervo penetrabile telum. * *de sanguine trepidante, seu trepide prosiliente e vulnere* Met. 6, 260. seque eiaculatus in altum *emicuit*; *bene* eiaculatus: *Solet omnino Ouidius hoc verbo* emicare *quam frequentissime vti.*

ENCAVSTICAE *picturae genus, quo colores inusti vide descriptum* Fast. 3, 831. Quinque moues coelum tabulamque coloribus vris &c. *et* Fast. 4, 275. sq. *Bene ad h. l. iam laudauerat* Neapolis Plin. libr. 35. 2. Tertium genus accessit, resolutis igni ceris, penicillo vtendi: quae pictura in nauibus nec sole, nec sale, nec ventis corrumpitur.„ *Conf.* Schefferum de Milit. Naual. libr. 2, cap. 6, et 3, c. 1.

ENIM: *quid enim? deliberantis vox et se quasi corrigentis* Met. 3, 263. tum linguam ad iurgia soluit. Effeci *quid enim* toties per iurgia? dixit *Aber — vvas habe ich nun mit allem meinen Zancken ausgerichtet?* * enim *pro* etiam Met. 4, 609. neque *enim* Iouis esse putabat Persea. „*Est fabulae ad fabulam connexio. Hoc loco Abantiades, Abantis filius, Acrisius dicitur, cum paullo post Perseus* Abantiades *dicatur sed non* Abantis filius, *vt Acrisius dictus est, verum Abantis pronepos, vnde et libro sequenti 7to* Acrisioniades *dicitur Perseus*„ Glareanus.

ENSIFER *epithet. Orionis.* Fast. 4, 388. *Ensifer*

Orion aequore merſus erit.

EPOTVS Met. 15, 273. Sic vbi terreno Lycus eſt *epotus* hiatu, Exſiſtit procul hinc, alioque renaſcitur ore.

EPVLARI *cum quarto caſu* Met. 15, 110. ſed quam danda neci, non tam *epulanda* (*deuoranda*) fuerunt.

EQVIRIA altera Faſt. 3, 519. Altera gramineo ſpectabis Equiria campo. *quia duo Feſta ita dicta celebrata Romae.* et die XXVII. Febr. conf. Faſt. 3, 857. et d. XIV. Mart. cf. Faſt. 519. *Agebantur in* campo Martio, *vt ipſe locus laudatus ſupra, docet.* Mars *in iis* curribus iunctos equos vrguebat. Faſt. 2, 858. *ſcil. equi curribus iuncti exercebantur: ita quidem, vt ſingulis miſſibus quattuor, aut plures quadrigae, laxato repagulo, ad palmam, certatim ſe funderent. Romulum Marti haec feſta inſtituiſſe, auctor* Feſtus.

ERGO *elegant. in ore indignantis, orationem interrumptam loquentis.* Met. 7, 173. *ergo* ego cuiquam Poſſe tuae videar ſpatium tranſcribere vitae. *reſp. graeco* ἔτω vel καὶδὲ, *quod ſaepius ita apud Homerum eſt, et cuius elegantiam, in tali oratione, qualem noſtra h. l. vides, docet* Pſeudo-Demetrius Phaler. περὶ ἑρμηνείας §. 55. et 56.

ERRARE Met. 4, 634. Mille greges illi, totidemque armenta per herbas *Errabant. errabant illi, ſolida elegantia et poëtica; ihm vveideten Tauſend Heerden. Notum eſt, greges de ouibus paruisque, armenta, de maioribus pecoribus dici.* * *fluctuare animo; belle* Met. 8, 474, Theſtias haud aliter dubiis adfectibus *errat. vide* Adfectus * Faſt. 1, 468. Propoſitoque faue, ne tuus *erret* honos. *incerto falſoque ſermone a me proferatur.*

ERRATICVS: Delos erratica; *quam errare, inſtabilem eſſe, idcirco poëtae finxerunt, quia crebro terrae motu vexabatur,*

batur, donec ex oraculo Apollinis desierunt illic cadauera sepelire. Met. 6, 333. Vix *erratica* Delos Orantem accepit tum cum leuis insula nabat, i. e. *fluitabat. Malim legi* Errantem *pro* Orantem, *vt habet etiam Editio* Pontani *et aliae quaedam*; *Ouidianum enim illud*, erratica Delos, *Errantem* accepit.

ERRATVS *pro* error: *noue primus Ouidius dixit* Met. 4, 566. longisque *erratibus* actus Contigit Illyricos profuga cum coniuge fines; *namque ita cum optimis membranis legendum est. Stulte in nostra Editione legitur* erroribus *pro* erratibus. Idem vocab. enim consentientibus Mss. occurrit Met. 15, 771. *vbi tiro idem reposuit* erroribus. Quae videam natum longis *erratibus* actum Iactarique freto &c. *De similibus vocibus nebulam quandam excitatam aspice a Burmanno* ad Met. 4, 566. *vbi etiam videbis, quam amice conspirent codd. vetustissimi fere omnes ad stabiliendam nostram lectionem. Adscribendus igitur fortassis locus Ouidii Thes. Gesneri, qui solum Theodulph. carm. citat in hac voce.*

ERROR, *Amor* Trist. 1, 2, 99. Immo ita vos scitis, si me malus abstulit *error. Et alibi haec vox in Amorr. libr. ita occurrit. nec in Tristibus libris et Ponticis alio fere vtitur vocabulo, vbi peccati sui meminit.* * eleg. Fast. 3, 382. Plura iubet fieri simili caelata figura: Error vt ante oculos insidiantis eat. *Numa Pompilius iubet plura ancilia fieri, simili figura, vt, qui insidiaretur, et vellet ancile auferre quocum erat coniunctum fatum vrbis, erraret oculis, nec ex sex clypeis verum ancile dignosceret. belle!* Error ante oculos eat. *Res ipsa de anciliis de coelo delapsis nota est ex Liuio et Antiquitt.*

ESTOTE *leuiter, et cum quadam poetae negligentia positum* Met. 4, 154. Hoc tamen amborum verbis *estote* rogati. *Verba*

ba Thisbes lugentis mortem Pyrami et suam, quam iam meditatur. At non placet illud: estote rogati; *et totus versus*, Hoc tamen amborum verbis &c. *Codex Heinsii legit* lacrymis *pro* verbis, *bene: si* Scaliger *essem, alium versum Ouidio commodarem.*

EVANESCERE Trist. 1, 2, 107. Fallor? an incipiunt grauidae *euanescere* nubes. *sed legend. cum optimis* vanescere.

EVANIDVS, *euanescens, resolutus* Met. 5, 435. Pectora in tenues abeunt *euanida* riuos.

EVENIRE: *De oraculis aut praedictis futuris, vbi quae praedicta fuerunt, fiunt.* Met. 3, 524. *Euenient* neque enim dignabere numen honore. vid. Burm. ad Ouid. Fast. 4, 775. et Trist. 1, 8.

EVERBERARE Met. 14, 577. Praepes subuolat, et cineres plausis *euerberat* alis. cf. Gell. 5, 6. *et* Virg. Aen. 17, 866.

EVIGILARE libros; *noue et belle!* Trist. 1, 1, 108. Aspicies illic positos ex ordine fratres Quos studium cunctos *euigilauit* idem.

EVITABILIS Met. 6, 235. Frena tamen dantem non *euitabile* telum consequitur. *sed tu cito rescribe*: Frena dabat: dantem non euitabile &c. *vt versum genio Ouidiano reddidit* Heinsius. *Quis ferat versum talem, qualem dat nostra editio?*

EX AEQVO: *similiter* Met. 4, 62. *Ex aequo* captis ardebant mentibus ambo. *simili ardore amoris simili eademque torrente flamma correpti. Sic et Met.* 5, 565.

EXASPERARE Met. 5, 6. Saeua quietum Ventorum rabies motis *exasperat* vndis: *suauiter* exasperat.

EXCOECARE *eleganter de venis pro* siccare. Pont. 4, 2, 17. Scilicet vt limus venas *excoecat* in vndis, Salsaque suppresso fonte resistit aqua: Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum: Et carmen vena pauperiore fluit.

EXCOQVERE Met. 14, 712. Durior et ferro quod

Noricus *excoquit* ignis; *Apud Noricos optima ferri vena et temperatura* Plin. libr. 34. c. 14. Fast. 4, 786. Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis *Excoquit.*

EXCREARE: *amatorium Symbolum, exspuere cum vi quadam et motu quodam tussis.* Trist. 2, 460. Scit cui latretur, cum solus obambulet illi, cur toties clausas *excreet* ante fores.

EXCVSABILIS. Pont. 1, 7, 41. Quod nisi delicti pars *excusabilis esset,* Parua religari poena futura fuit. *sic de eadem re* Pont. 4, 1, 1. crimen *excusabile.*

EXCVTERE Met. 4, 491. Nexaque vipereis distendens brachia nodis Caesariem *excussit; mouit: in horrenda illa imagine, qua pingit poëta Erinnyn.* * Fast. 5, 215. foliis *excussa* pruina est. *(radis solis amota)*

EXEMPLVM; *factum, quod ex imitatione alicuius editur.* Fast. 3, 272. Regna tenent fortesque manu, pedibusque fugaces Et perit *exemplo* post-modo quisque suo. *exemplo *pro* tanquam, velut; *noue ni fallor, Ouidius dixit.* Metam. 4, 621. *exemplo* nubis aquosae Fertur et ex alto seductas (*secretas*) aethere longo Despectat terras, totumque superuolat orbem.

EXERCERE, *de terra, aratrum, atque rastra, omnino culturam sustinente.* Met. 7, 287. — adunci vulnera aratri Rastrorumque fero, totoque *exerceor* anno.

EXIGERE. *quasi in trutina exagitare.* Met. 1, 118. Spatiis *exegit* quattuor annum. vid. Interp. Persii ad Sat. 16 et Burm. ad Ouid Ep. 17, 177. * *eximere* Met. 7, 338. Officium praestate patri, telisque senectam *Exigite.*

EXIGVVS: exiguum opus, *de Elegis* Fast 2, 4. *Sic etiam* modi exigui intellig. Fast. 6, 22. *vide hoc* voc. in I. Part. clauis. * exigui fumi Met. 15, 351.

EXILIS via, *breuis,* Trist. 1, 2, 86. *Exilem* facio per mea vota viam. *breuiorem*

uiorem quasi reddo. Omnia plana. Heinsius vero et Burm. coniecturis locum obscurare conati sunt, quibus ne hic quidem locum dare possum.

EXPALLESCERE Met. 4, 106. Serius egressus vestigia vidit in alto Puluere certa ferae, totoque *expalluit* ore. *Adde* Met. 6, 602. et 10, 185.

EXPERIENS, *epith. Vlyssis* Met. 14, 159. Neritius Macareus Comes *experientis* Vlyssis. *Putant interpretes exprimere h. vocem* πολυμητιν Οδυσσηα. *Sed ego potius credam esse ad mala et labores referendum quos passus Vlysses; vt respiciat ad Odysseam, eumque* ὃς μαλα πολλα πλαγχθη ἐπει τροιης ἱερον πτολιεθρον ἐπερσε. Πολλων δ' ἀνθρωπων ἰδεν ἀστεα και νοον ἐγνω.

EXPERIRI aues, *consulere* Fast. 4, 814. Magna fides auium est: *experiamur* aues. *omina ab eis petamus.*

EXPERIENTIA; *de facto quo periculum facimus, aliquid verum sit an secus.* Met. 1, 225. haec illi placet *experientia* veri.

EXPILARE: *vehementis signific. vocab. decipere ferociter* Met. 13, 562. Inuolat et digitos in perfida lumina condit, *Expilatque* genas oculis: facit ira valentem. *Variant libri vehementer*, expellit *legunt nonnulli; alii* exspoliat; *vt edidit* Heins. et Burm. *Sed nihil opus ea lectione videtur.* expilare *maiorem h. l. vim habet, et plurimis sustentatur Codd. auctoritatibus.*

EXPOSITVS Met. 13, 46. Non comes hic Phrygias Vnquam vexisset ad arces Hortator scelerum non te Polantia proles, *expositum* Lemnos, nostro cum crimine haberet. *verba Aiacis; quo inuidiam facere conatus Vlysi, qui praecipuus auctor fuerat, vt in Insula Lemno relinqueretur Philoctetes. In versibus seqq. habes descriptionem miseriarum Philoctetae, quae omnia tendunt, mirifica arte fingen-*

fingendi tributa Aiaci, ad odium concitandum Vlyſſi. Pleni ſunt libri commemorationibus et deſcriptionibus luctus et *miſeriarum Philoctetis.* vide Triſt. 5, 2. *Ciceronem pluribus locis.* Cf. Erneſti Clav. Cic. *Hiſtor. in* Philoctetes. *de gemitu et iis quae continent apud Ouid.* verſ. 47. *ſeqq.* cf. Leſſingii Laocoont. Part. I.

EXPVGNARE coepta, *noue et ſine exemplo, ni fallor dictum, pro* perficere coepta Met. 9, 620. Non coepiſſe fuit, coepta *expugnare* ſecundum eſt.

EXSEQVIALIS: *funebris, vocab. ab Ouidio natum* Met. 14, 430. Carmina iam moriens canit *exſequialia* cygnus.

EXSVLTARE, *de feruente aqua, belle* Met. 7, 263. Interea validum poſito medicamen aëno Feruet et *exſultat*, ſpumisque ſumentibus albet. * de *eo qui conatur proſilire, ſe tollit vinctus e. g. bene, de mulieribus Thraciae, in arbores paullatim mutatis* Met. 11, 78. at illam Lenta tenet radix, *exſultantemque* coercet, *retinet.*

EXTENDERE: extentum latus curſu, *eleg. Met.* 12, 477. lactanti talia Caeneus Extentum curſu miſſa latus eruit haſta; Qua vir equo commiſſus erat.

EXTREMVS: *extrema* luna apud Ouid. Met. 2, 117. Cornua *extrema* velut euaneſcere luna — *ſuauiſſime, namque, aurora aduentante, luna longius recedere videtur, et oculos effugere velle, hinc extremo quaſi loco tandem conſpicitur. ſimili fere ratione apud* Ouid. Met. 17, 53. *extrema* tonitrua, *quae e longinquo audiuntur, tenuiora.* Vid. Burm. ad Petron. c. 22. h. l. lucernae humore defectae tenue et *extremum* lumen ſpargunt.

EXVERE Met. 14, 777. Bella gerunt: arcisque via Tarpeia recluſa Digna animam poena congeſtis *exuit* armis. *Sed primum de lectione videndum. Plures quam viginti Codices legg.* edidit

dit *pro* exuit; *quae locutio, cum vltro sit rarior et elegantior, cur non recepta sit a Burmanno, miror. Certe ego non video, cur repudiandi et tot codd. et regula nota de accipienda infrequentiori, elegantiori lectione, praevulgari, sapiente glossam, aut emendationem. Quod vero rem ipsam attinet, cognita ea plerisque est: sic enim* Corn. Nepos: „Sabini ob raptas bellum aduersus Romanos sumpserunt, et, cum Romae appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti, quae causa aquae sacrorum gratia hauriendae desederat, et T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in capitolium perduxisset. Illa petiit, quod in sinistris illi manibus gerebant, videlicet annulos, armillas; quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit: vbi T. Tatius scutis eam obrui praecepit.„ *Conf. tamen* Liv. libr. 1. c. 11.

EXVSTVS *adustus* Fast. 4, 473. Antraque Cyclopum, positis *exusta* caminis. *Adscribi poterit ille locus* Thes. Gesneri, *qui explicuit ibi* exurere, *totum vrere et igne consumere; namque vir immortalis praepositionibus adiectis verbis saepius vim temere tribuere solitus est.*

F.

FABALIS stipula, *culmus de quo pendent siliquae fabales.* Fast. 4, 725. sq. certe ego de vitulo cinerem, stipulasque fabales, Saepe tuli plena, februa casta, manu. cf. vers. 734, *vbi inter* suffimina *referuntur* vitulique fauilla, et durae *culmen inane* fabae.

FABRA *pro* fabrilis Fast. 3, 383. Mamurius morum *fabraene* exactior artis, Difficile est, illud, dicere, clausit opus.

FABRILIS dextra, *bene de Vulcano* Met. 4, 175.

FACERE aliquid fieri *poët. efficere vt* fieri possit Met. 13, 374. Iam labor in fine est. obstantia fata remoui Altaque, posse capi *faciendo*, Pergama cepi. * annos, Met. 4, 292.

292. Is tria cum primum *fecit* quinquennia. *Occurrit et ita alibi; exempla nonnulla exhibet Burman.* ad Petron. c. 9. * inuenire. *Sic Ouidius* Met. 5, 264. *factas* pedis ictibus vndas *appellat Hippocrenen, fontem ictu vngulae Pegasi repertum.* * facere exsequias Pont. 1, 9, 53. Ille tibi *exsequias*, et magni funus honoris *Fecit.* * murmura Met. 15, 605. Scelus Met. 8, 340. Notitiam Met. 4, 59. notitiam primosque gradus vicinia *fecit.* v. Gradus.

FALCIFER Senex i. Saturnus. Fast. 5, 627. Falcifero libata seni duo corpora, gentes, Mittite. *Sic etiam* Falcifer Deus *dicitur* Fast. 1, 234. *et in* Ibid. 218. *rursus* falcifer senex. *cur ita vero appellatus* Saturnus, *certant Grammatici.* Heinsius *ad primum locum duas causas affert; vel quod huic Deo insertiones surculorum, pomorumque educationes tributae, et omnium eiusmodi fertilium disciplinae, vel quia κρονος* et *τρονος idem sit, et falx ideo assignetur, quod tempus metat omnia, et incidat. vide* Macrob. Saturnal. libr. 1. c. 7, et 8. *Certe in numis antiquis Saturni imagini videbis* Falcem subiectam.

FALLERE depositum; *fallere eum, qui deposuit, nec reddere depositum; poëtica quadam audacia.* Met. 5, 480. Aruaque iussit *fallere* depositum; *non segetes reddere. Solemnem vero in hac re huius voc. vsum probat* Horat. od. 1, 3. Fundusque mendax arbore nunc aquas &c. * laborem Met. 6, 60. studio *fallente* laborem *de Minerua et Arachne, de arte lanas texendi decertantibus. alii* minuente *pro* fallente. *sed male! eadem diuersitas in Met.* 4, 295. *Occurrit eadem locutio rursus* Met. 14, 121. *Imitatus videtur noster poëta* Horat. (Serm. 2, 2, 12. cf. *voc.* Fallere in Part. I. Clav.) *et nostrum* Statius 12, 230. * fallere *dicitur, quod cumque ita fit, crescit, nascitur,*

tur, vt non facile et certo animaduertatur. Met. 10, 519. *de puero crescente suauissime!* Labitur occulte, *fallitque volatilis* aetas; *infantia.* Et nihil est annis velocius.

FASTI picti Fast. 1, 11. Sacra recognoscis annalibus eruta priscis; Et quo sit merito quaeque notata dies. Inuenies illic et festa domestica vobis; (*i. festa publica ob vestra merita in rempublicam, victorias &c. quae itaque domestica vobis festa sunt.*) Saepe tibi pater est, saepe legendus auus, (*Tiberius et Augustus, quia solebant nomina apponi fastis et Annalibus eorum, qui praemia tulerant hoc vel illo die*) Quaeque ferunt illi *pictos* signantia *fastos* Tu quoque cum Druso praemia fratre feres. *vide* Pictus. *Sed adscribenda est nota* Neapol. *ad h. l. et docta, et huc pertinens.*„ Bene miscet Naso annales Pontificios cum Fastis: in illis enim libris, in his visebatur etiam exaratum: nam qua die quicquid euenisset, fasta seu nefasta, recensendum erat in Annalibus. Sed praeter hos duae erant apud Veteres tabulae, quibus Fastorum nomen erat inditum; vna, in qua varia Deorum iura incisa, solemnia Deorum sacra, ludi, et feriae in eorumdem honorem, res et victoriae aliquot insignes. Huius generis fastos vulgauit primus Cn. Flauius; notat Valerius libr. 2. c. 5. *Ius ciuile per multa secula inter sacra, caerimoniasque Deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus notum.* Cn. Flauius, libertino *patre genitus, et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Aedilis curulis, vulgauit*, et fastos *paene toto foro exposuit.* cf. Liv. libr. 9. c. 46. Et haec de prima tabula. Alia erat, in qua nomina fere omnium Magistratuum continebantur: frequens huius apud scriptores mentio. *Vide* Liv. 4, c. 3. Tacit. Annal. 3, c. 17.„ * fastus dies; *per quem*

quem lege licebat agi Fast. 1, 48. *vide Liv.* 1, c. 19. *et cf. infra voc.* Nefastus.

FASTVS: capere fastus Pont. 4, 9, 16. Illa, confiteor, sic essem luce superbus, Vt *caperet* fastus vix domus vlla meos * Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam Fast. 1, 419.

FATALIS Met. 15, 54. Inuenit Aesarei *fatalia* fluminis ora. *i. fatis destinata, vbi sedes ponendae erant.* * gleba, *a fatis mota, et vita donata.* Met. 15, 555. *Fatalem glebam* mediis aspexit in aruis Sponte sua primum, nullaque agitante, moueri; sumere mox hominis, terraeque amittere formam. * crinis, *a quo pendet fatum vrbis* Met. 8, 85. *fatali* nata parentem *Crine* suum spoliat. cf. eiusd. libr. vers. 8. sqq. *Sic* Met. 8, 454. *Staminaque* impresso *fatalia* pollice nentis; *eleg.* impresso digito; *rem pingit.* * fatale aurum Met. 9, 412. *est monile perniciosum illud, quo Eriphyle prodiderat Amphiaraum, et quod iam ab Alcmaeone petit Calirrhoe. Fabula longioris argumenti est, quam quae hic exponi possit. vide* Pausan. 8, 24. Apollodor. 3, 7. * Fatalis lex *pro* fato. Met. 10, 203. Atque vtinam pro te vitam, tecumue liceret Reddere sed quoniam fatali lege vetamur (*siue potius* tenemur. *vide* Teneri) Semper eris mecum, memorique haerebis in ore. *Luget Apollo mortuum Hyacinthum; et cupiens mori, se mori non posse dolet; namque fatum, fatalis lex, cui subiecti sunt omnes dii, ipse Iupiter, vetat mori.* * fatalia verba *sunt vaticinia, quibus fatum praedicitur* Fast. 4, 257. Carminis Euboici *fatalia* verba Sacerdos Inspicit. *Curae id scilicet fuit per hoc tempus Decemuiris.*

FATALITER *ex decreto fati.* Met. 12, 67. Hectorea primus *fataliter* hasta Protesilaë cadis.

FATICANVS, *nouum et proprium Ouidii verbum pro* fatidico. Met. 9, 419.

9, 419. Haec vbi *faticano* venturi praescia dixit Ore Themis. *Nihil mutandum. Nonnulli legg.* vaticino, *Sed nouum vocab. poëticum vere, et librario nullo dignum, eiici non debet. Ego etiam* Met. 15, 436. *ita legendum existimo:* Sic dicere vates *Faticanas*que ferunt sortes. *Vulg. habet:* Faticinasque &c.

FATICINVS. *vox Ouidii noua.* Met. 15, 436. sic dicere vates *Faticinas*que ferunt sortes. *Sed vid.* Faticanus.

FATIFER *pro* letifero. Met. 251. Intima *fatifero* rumpit praecordia *ferro.*

FATIGARE *eleg.* Met. 5, 485. Iolium tribulique *fatigant* Triticeas messes, et inexpugnabile gramen. Trist. 5, 1, 62. Hoc erat, in gelido quare Paeantius antro Voce *fati*garet Lemnia saxa sua.

FATVM, *de homine, de quo pendet fatum, aut qui exigit fatum, noue.* Fast. 5, 390. stare simul casu Troiae duo *fata* (*homines*) videres: Hinc puer Aeacides, hinc Ioue natus erat.

FAVERE Fast. 1, 71. Prospera lux oritur: linguis animisque *fauete.* Nunc dicenda bono sunt bona verba die. *vid.* voc. fauere *in I. Parte Clauis. Kalendae Ianuariae; dies totius anni celebrior nouo magistratu, nouis munusculis, multis superstitionibus.*

FAX *fustis incisus, et lignum quodcunque minutum, non enim semper* fax *est cera et oleo inuncta teda* Fast. 5, 508. Ipse genu posito flammas excusitat aura Et promit quassas, comminuitque *faces. ligna minora. Nihil hic de lectione mutanda cogitandum. at qualis, elegans, nitida, descriptio tota est!* cf. Met. 3, 508. *Singularis Ouidii virtus in eius generis, cuius haec est, imaginibus conspicitur.*

FEBRVA Romani dixere piamina patres Fast. 2, 19. Denique quodcunque est, quo pectora nostra piamur, Hoc apud intonsos nomen habebat auos. *origo a Graecis repetenda* cf. vers. 37.

FELIX

FELIX arbor, *fertilis, vt saepius* Pont. 3, 1, 19. Rara, neque haec *felix*, in apertis eminet aruis Arbor; et in terra est altera forma maris. *Bene* eminet de arbore *surgente in aruis. Sic et* Fast. 5, 197. &c. * poma *felicia, optima.* Met. 9, 92. totumque tulit praediuite cornu (cornucopiae) Autumnum, et mensas, *felicia poma*, secundas.

FERALIS papilio. Met. 15, 374. *ferali* mutant cum *papilione* figuram *vid. voc.* papilio. * dies ferales *apud Rom. IX. Kalend. Mart. acti ita dicti, quia inferiae mortuis offerebantur, et placabantur sepulchris. vid.* Fast. 2, 34. *et ibid.* 569. et 570. cf. Alex. ab Alex. Genial. dier. libr. 5. c. 26. *et lege* Fast. 2, 543. - 546. et - 564.

FERIRE Solem cacumina, Ouidius Met. 9, 93. et *saepius dicit, vbi primum ortum solis, montis cacumina colluſtrantis, narrat; quae locutio nescio an ab alio poëta vsurpata sit, propriaque Ouidio.*

FERVERE. vulnus *feruens; vere et eleganter!* Met. 4, 170. nec mora, *feruenti* moriens e *vulnere* traxit. (*ferrum.*)

FESTINARE aliquid, *properando efficere* Met. 11, 576. et iam quas induat ille *Festinat* vestes; *propere fecit, fingit, aut parat.*

FESTINVS *pro* festinans, *vocem ab Ouidio primo vsurpatam puto.* Met. 11, 348. cursu *festinus* anhelo Aduolat armenti custos Phoceus Aneton.

FETVS triticeus *pro* tritico Fast. 1, 693. Triticeos fetus, passuraque farra bis ignem, Hordeaque ingenti foenore reddat ager.

FIBVLA *cingulum, aut proprie, cinguli annexa fibula est* Met. 8, 318. Rasilis huic summam mordebat fibula vestem; *Aut vestem dicit fibulis a summo connexam, ac* Dorida *appellatam; qua cum olim vterentur Athenienses mulieres, vnum, qui a pugna cum Aeginetis superfuit so-*

lus, fibulis totum perforantes intermerunt; vnde postea statutum vt eae Iadibus vestibus, *quae lineae sine fibula erant, in posterum vterentur; aut vestem post humeros fibula collectam intelligit, vt esset expeditior ad venandum; qualem Meleagro* Balbus *assignat* libr. 1, 433. At tibi collectas soluit iam *fibula* vestes. *Fibularum autem inuentum Vulcano dabimus, si Homerum sequemur, qui* Iliad. 18. *scribit, eum Deum apud Eurynomen et Thetiden Oceani filias nouem annos fibulas, et monilia conflauisse. Versus autem proxime praecedens:* Venit Atalante Schoenei pulcherrima virgo; *certo expungendus est; omissus etiam in melioribus Edit. inde a Ciofanio, qui satis monstrauit, eum spurium esse; namque nec in vllo libro antiquo reperitur, nec eo opus, cum vers. praeced. eam iam nominauerat. (Tegaea vrbs est Arcadiae, patriae Atalantes) nec dignus est Ouidio: secunda Syllaba enim in* Atalante, *contra aliorum exempla producta; denique confusa est illa* Atalante *cum alia, filia Schoenei, cum tamen h. libro filia Iasii sistatur non Schoenei,* Arcadica, non Boeotica; *quod non hic ferendum, licet Statius eundem errorem errauerit* libr. 6. vers. 563. *qui de* Arcadica Atalanta *loquens, ea narrat, quae valeant de altera illa Boeotica. De* Atalanta quae occurrit libro 8. Met. *filia Iasii* cf. Callimach. Hymn. in Dian. 215. sq. et Aelian. var. Hist. 13. c. 1. et Porizon. Nott. *Ceterum videtur Ouidius voluisse* Atalanten *sistere quasi* Camillam *sui operis, sororem Virgilianae heroinae.*

FIDES polliciti; *si vera lectio est, pro* vero, *vere dato pollicito.* Met. 11, 107. Pollicitique fidem tangendo singula tentat; *promissum enim erat, quodcunque Midas tangeretur, in aurum mutatum iri.* Heinsius *vero emendat, secutus codicem:*

dicem: pollicitamque fidem t. ſ. t. *nec tamen opus eſſe videtur; nec fas, vni codici fidem habere, aliis renuentibus.*

FIERI Met. 9, 406. *fientque* pares in vulnera fratres. *Legerem, ſi liceret, vt habent plurimi libri:* fientque pares in vulnere fratres. *Nunquam autem conceſſerim Heinſio lectionem coniectura conſtitutam talem:* ibuntque pares in vulnera fratres. *Cui enim tandem perſuadebit, ex* fient, *natum eſſe* ibunt? *Sed ſaepius ſolet, more ſuo, hoc eſt, peſſimo, emendare locum, ſi geminus vnus et alter occurrerit, vbi aliud quoddam verbum. Mirarer Burmannum hanc lectionem recepiſſe, ſi eam primam malam lectionem inuenirem. Rem autem ipſam quod attinet, patet, eſſe* Eteoclen et Polynicen *pares in vulnere fratres, vt notum, cf. tamen, ſi placet,* Statii Thebaid. *in primis* libr. 8, 69. 11, 306 &c. *Initium Antigones Sophocles &c.*

FIGVRARE *mutare* Faſt. 6, 142. Naeniaque in volucres Marſa *figurat* anus. *de carminibus, incantationibus Sagarum. quoduis dictum priſcum ſaeculum dixit* naeniam. Neapol. *ad h. l.*

FINGERE Triſt. 2, 474. Quod valeant tali, quo poſſis plurima iactu *Fingere;* damnoſos effugiasque canes. *Eſt h. l.* Fingere *eleg. diuerſas talorum facies exhibere, quod vbi fit, iactus eſt feliciſſimus, et dicitur* Venus. *vide* Canis. * fingere manus manibus *eſt* premere Faſt. 5, 409. Saepe manus aegras manibus *fingebat* amicis. *Sequentem verſum:* Morum, quos fecit, praemia doctor habet: Heinſium *genuinum eſſe negat, putans, nihil eum ſpirare, praeter merum frigus, et Latinitatem ſemibarbaram a quo tamen equidem plane diſſentio. mihi neque verſus friget, neque* facere mores, *phraſis barbara, etſi inſolens videtur.* * *quia forma fingendo rebus inducitur, ſaltim*

expolitur; lingua fingere corpora *animantes dicuntur, quae catulos lingendo formam eorum pulchriorem facere videntur.* Fast. 2, 418.

FIRMAMEN, *pro* firmamentum, *fulcrum, Ouidianum nouum vocab.* Met. 10, 491. ruptosque obliqua per vngues Porrigitur radix longi *firmamine* trunci; *bene* porrigitur, *de radice se extendente subter terram.*

FIRMVS, *animosus, sed cum lusu quodam non culpando, eleganti potius.* Met. 7, 457. qui quanquam milite, quanquam classe valet; patria tamen est *firmissimus* ira. *respicit h. l.* τὸ firmissimus *ad* valere. *animo maiori potens, valens est, quam armis, licet illis valeat vt cum maxime.*

FLAGELLVM, *flagella de pedibus Polypodis, vrentibus, figentibus.* Met. 4, 366. Vtque sub aequoribus deprehensum polypus hostem Continet ex omni dimissis parte *flagellis. Locus classicus huc pertinens est apud* Plin. H. N. 9, 29. *vbi descripto polypode, dicit, luctari eum cum hominibus sub aqua,* complexu, et sorbere acetabulis, et numeroso suctu, et tenere homines supinos vt auelli non queant; *vnde comparatio Ouidiana mirabilis fit.*

FLAMMA, *de stipula et faeno, ex more in sacris* Palilibus *accensis* Fast. 4, 727. *belle poëta de se:* Certe ego transilui positas ter in ordine *flammas,* Virgaque roratas laurea misit aquas. *vt scil. eo magis Dea Pales fauere possit.* Tibull. Eleg. 2, 5. *de his festis:* Ille leuis stipulae solemnes potus acernos Accendet, flammas transilietque sacras. Propert. Eleg. 4, 1, Annuaque accenso celebrare Palilia faeno. cf. eiusd. libri Eleg. 4. *inde a verbis:* Vrbi festus erat: dixere Palilia patres. Hic primus coepit moenibus esse dies. Annua pastorum conuiuia &c. *Mos erat enim* transilire his festis stipulas ardentes.

Ipse

Ipse Ouid. Fast. 4, 781. Moxque per ardentes stipulae crepitantis acernos Traiicias celeri strenua membra pede.

FLAMMEVS, *ignitus* Fast. 6, 636. caput igne corusco Contigit, inque coma *flammeus* arsit apex. *vide* Apex.

FLATVS pro *vento* Fast. 2, 775. vt solet a magno fluctus languescere *flatu*: Sed tamen a vento, qui fuit, vnda tumet. Sic, quamuis aberat placitae praesentia formae, Quam dederat praesens forma, manebat amor. *Quam venusta comparatio!* * *pro* spiritu Fast. 1, 428. Ipsa sui flatus ne sonet aura, cauet.

FLAVERE: cera flauens. Met. 8, 673. Fabricataque fago Pocula, qua caua sunt *flauentibus* illita *ceris. elegant.* Met. 9, 638. Inerant lunaria fronti Cornua, cum spicis nitido *flauentibus* auro. *de Iside, quae cum cornibus picta, eadem cum Luna habebatur. Adde* Met. 13, 848.

FLAVESCERE *de eo qui plurima arena conspergitur.* Met. 9, 36. Inque vicem suluae tactu *flauescit* arenae. *vide* Tactus. *et Adde* Met. 5, 560.

FLECTERE arcus. Met. 4, 333. Nec venatibus apta, nec arcus *flectere* quae soleat; *Flectitur enim, dum intendis neruum, quo tela mittas.* * Pont. 1, 6, 44. lacrymis opus est; non sanguine, dixit: Saepe per has *flecti* principis ira solet. *Adde* Met. 1, 378. * *pro* formari, fingi. Met. 10, 285. vt Hymettia sole Cera remollescit, tractataque pollice multas *Flectitur* in facies, ipsoque fit vtilis vsu. * aes flexum Met. 1, 98. non aeris cornua flexi Non galeae, non ensis erat. *Intelligit lituos, qui instar cornuum incurui erant, vt contra* tubae *rectae. vide* Iuuenal. 14, 200.

FLEXIBILIS hedera. Met. 10, 99. Vos quoque *flexibiles* hederae venistis. *Sed prauа est lectio; nec cadit bene in hederam illud epitheton; vt facile videre quis potest, vide* Flexipes.

FLEXIPES *longe elegantissimum hederae epitheton, ab Ouidio natum.* Met. 10, 99. Vos quoque *flexipedes* hederae venistis. *Ita enim lectionem veram constituit* Turneb. Aduers. 1, 23. *In vulg. et nostra Editione male legitur* flexibiles. *Flexipes hedera est, quia flexuosis et errabundis flagellis, velut pedibus, serpit.*

FLEXVS, *ipse actus flectendi* Fast. 1, 143. Et mihi, ne *flexu* cruicis tempora perdam Cernere non moto corpore bina licet. *Ita Cicero* flexum aetatis *dixit. vide hanc vocem in* Claue Cic. Ernestin.

FLORIDVS *floribus abundans* Fast. 3, 739. * serta florida *sunt e floribus facta* Fast. 6, 312.

FLVITARE, *venuste de velis a vento inflatis circa malum volitantibus* Met. 11, 470. Vela spectat summo *fluitantia* malo.

FOCVS a flammis et quod *fouet* omnia dictus; Qui tamen in primis aedibus ante fuit. Fast. 6, 301.

FONTANVS *vocab. Ouidianum.* Met. 14, 328. illum *fontana* petebant *Numina* Naiades Pont. 1, 8, 46. Solebam ad sata *fontanas*, nec pudet, addere aquas. *Vtitur Ouidius saepius eo vocabulo, vt* Fast. 4, 269. Fast. 4, 654. &c.

FORDA, bos praegnans; *antique.* Fast. 4, 631. *Forda* ferens bos est foecundaque, dictaque ferendo. Hinc etiam fontus nomen habere putant.

FORMA *pro ipso homine, quatenus respicias ad corpus.* Met. 1, 1. In noua fert animus mutatas dicere *formas* corpora. *Canam homines mutatos in noua corpora. Sic vocab.* formam *occurrere ostendis* Burmannus ad h. l. laud. Quintil. declam. 152. *Sed ipse noster poëta ita eo verbo vsus.* Trist. 1, 7, 13. Carmina mutatas hominum dicentia formas. *vbi pro* hom nibus hominum formas *habes. Plura exempla dat* Drakenb. ad Sil. Ital 15, 86. *Immerito igitur Scaliger Ouidii*

dii hunc locum culpat Poët. libr. 6, pag. 862. *propter inusitatam dicendi rationem; immerito idem damnat vocab.* et illas. *Quid est, ait,* et illas? *et illas: et quid aliud? „Scilicet et te mutauerunt dii in Zoilum: qui carperes quae recte se haberent. Namque verba:* Nam vos mutastis et illas: *reddunt inuocationem ad Deos probabilem, quorum auxilium eo magis petat, quo magis ad eorum vim et secreta imperia pertineant, quae sit narraturus; Quodsi displicet vox* et, *poteris legere:* nam vos mutastis in illa (*sc. corpora, formas*) *sed neque hoc Ouidius profecto scripsit, neque opus*: et *h. l. pro* etiam *posit. non plane redundat: aspirate coeptis meis, o dii, nam vos* etiam *debetis, si felicem successum me habere liceat, quippe vos mutauistis has res, de quibus canam. At vero Scaliger ex diuitiis ingenii sui, pauperis scilicet, Ouidio impertiri benigne voluit, et tale initium Metamorph. constituit, loco Ouidiani:*

Quas mutata nouas *immotis* corpora *formis*
Inducrint facies: *se vt mirarentur in illis!*
Tecta fide veterum canimus miracula vatum
Dii quibus imperium *hoc*, verum variare figuras,
Et *fluxo reparare orbi sua semina*, coeptis
Aspirate meis.

Quale primordium? cur immotis formis? *addito scilicet*; facies nouas? *Cur?* se vt mirarentur in illis. *Vituperat Scaliger vnum vocabulum* et *abundanter positum; et ipse dimidium versus non abundans solum, verum etiam ridiculum vltro canit. Quid enim sibi id vult in propositione argumenti? an vult Ouidius canere admirationem horum mutatorum hominum? Et denique, quanta intolerabilis loquacitas poëtae in initio promittentis tam*

tam vasto hiatu! Attuli vberius hoc loco, quae veritas cogitare iubebat, vt inde tirones discerent se abstinere a culpandis poëtis summis, et diffidere criticis morosis et subtilioribus iusto.

FORMIDO *venatorum funiculus, quae* linea *dicitur* Fast. 5, 173. Dum noua lanugo, pauidos *formidine* ceruos Terret: et est illi praeda benigna lepus. *venationis enim voc. proprium est*, formido. *vide* Benignus.

FORS: *Si fors tulit, pro* fortasse; *ad* Homericum frequens illud ὡδε δε τις εἰπεσκεν. Met. 11, 752. Proximus aut idem, *si fors tulit &c.*

FORTIS: vulnera *fortia* Met. 13, 694. Illam, demisso per *fortia vulnera* telo, Pro populo ceciderisse suo. *Ita enim legend. Aliae omnes lectiones nihili sunt.* * *fortia* dicta; *aspera, saeua*, soribusque expellere tentat Cunctantem, et placidis miscentem *fortia* dictis. * exempla Fast. 4, 847. arma Fast. 5, 587.

FOVERE artus. *poët. de lauatione.* Met. 8, 657. Erat alueus illic Fagineus curua clauo suspensus ab ansa: Is tepidis impletur aquis; artusque *fouendos* Accipit.

FRAVS: *damnum* Fast. 6, 173. Piscis adhuc illi populo sine *fraude* natabat.

FREMERE Met. 6, 146. Lydia tota *fremit. Intelligunt omnes interpretes de indignatione et dolore popularium Arachnes; sed non video, quidni possit simpliciter accipi de fama peruagante terram. Tum sequentia fauent, tum dignior fama illa Mineruae facto, quam indignatio. denique plane similis est locus, et vox* fremere *sic vsurpata* Met. 13, 47.

FREQVENS *terra aliqua re, est vbi copia eius rei.* Met. 4, 619. Vnde *frequens* illa est, infestaque terra colubris; *vnde in illa terra frequentes angues. Sic et* Fast. 6, 528.

FRETVM Met. 6, 77. Stare Deum pelagi longoque ferire tridente Aspera saxa facit (*pingit Minerua*

nerua texens) medioque e vulnere saxi exiluisse *fretum*; quo pignore vindicet vrbem. *Lectio dubia et magis dubia a copia verborum Virorum doctorum ad h. l. reddita. Codd plurimi legg.* fretum; *nonnulli tamen etiam* ferum. *Quae lectio posterior facillima quidem, et, nisi egregie fallor, eadem vera. Videt omnis lector, h. l. agi de certamine Deorum in condenda vrbe Athenarum; de qua haec* Hyginus 164. Inter Neptunum et Mineruam cum esset certatio, qui primus oppidum in terra Attica conderet, Ionem iudicem sumserunt. Minerua, quod primum in ea terra oleam seruit, quae adhuc dicitur stare, secundum eam iudicatum est. At Neptunus iratus, in eam terram *mare* coepit irrigare, quod Mercurius, Iouis iussu, ne fieret, prohibuit. Itaque Minerua ex suo nomine oppidum condidit, quod oppidum in terris primum dicitur constitutum. *Hoc itaque et alio loco Varronis sustentant viri docti lectionem τὸ* fretum, *quum alia illa* ferum *designet equum in illa contentione procreatum a Neptuno, vt fabula notissima tradit. Locus* Varronis *hic:* Cecrope regnante, cum circa arcem Athenienſem olea arbor forte enata esset, et iuxta aquarum scaturigo emanaret; consultum super hoc, velut prodigio Apollinem respondisse, per oleam Mineruam, per aquam Neptunum indicari, eosque Deos inter se certare, vter vrbi nomen imponeret. Postea Neptunum iratum, quod Mineruae nomen inditum esset vrbi, magnam aquarum vim effudisse. *Huc respicere τὸ* fretum *dicunt* Interpretes. *Enimuero non videntur interpretes vidisse, vt sit, quidnam hic locus, et ingenium poëtae, et Minerua pingens flagitet. Si vera lectio est* fretum; *inundationem respicit poëta; eam igitur pinxit Minerua: at, vt nihil dicam,*

quae

quae ad artem pingendi pertineant, num dici poteſt fretum EXILVISSE E VVLNERE SAXI? *quaenam haec fuiſſet inundatio? Num porro dici hoc* fretum, *haec inundatio poteſt* pignus; quo pignore vindicet vrbem? *Deinde vero etiam haec ira Neptuni aquam tum demum effudit, auctoribus omnis hiſtoriae ſcriptoribus, cum iam iudicium factum eſſet Deorum, et vrbs condita; hic vero ipſi dii iudicantes pinguntur. Neceſſe eſt igitur adſtare, de quibus iudicandum eſſet; opera Neptuni et Mineruae, huius olea, equus illius; et olea adeſt cf. verſ.* 81. *aderit etiam, vt debet*, equus, *ſi legamus* verſu noſtro 77. exiluiſſe ferum; *et omnia tum clara, recta. vocem* ferum *de equo dici probat locus Virgilii* Georg. . . . *vbi illa ipſa fabula narratur. Quem vero Micyllus adhibet locum Herodoti* 8, 55. ἐςι δε ἐν τη ἀκροπολει ταυτη ἐρεχθηος τε γεγηνεος λεγομενε ειναι νηος, ἐν τῳ ἐλαιη τε και θαλασσα ἐνι, τα λογος παρ᾽ Ἀθηναιων, ποσειδωνα τε και Ἀθηναιην ἐρισαντες περι της χωρας, μαρτυρια θεσθαι. *ille ipſe locus huc nihil facit; namque ibi* olea *diſerte ſiſtitur ſignum Mineruae, et* mare *ſignum Neptuni. Apud Ouidium et Deus et Dea ipſi pinguntur. Quis iam dubitabit eſſe legendum?* Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente Aſpera ſaxa facit, medioque e vulnere ſaxi Exiluiſſe FERVM; quo pignore vindicent vrbem. * fretum *pro* mare. Met. 7, 1. Iamque *fretum* Minyae Pagaſaea puppe ſecabant, Perpetuaque trahens inopem ſub morte ſenectam viſus erat Phineus iuuenesque Aquilone creati Virgineas volucres miſero ſenis ore fugarant. *cf. verſ. penult. praeced. libri* 6. Minyae *ſunt* Argonautae, *quia magna eorum pars Theſſaliae populus, ita dictus ab Orchomeno fluuio huius regionis, qui prius*

prius Minyius *dictus est, vel a Minya filio* Orchomeni, *vide* Schol. Apollon. Rhod. ad libr. 1. verſ. 230. *Nauis appellatur* Pagaſea *a promontorio Theſſaliae, vbi fabricata eſt caeſis arboribus. Notiſſima illa nauigatio prima omnium habita; ſed qui velit voluptatem animi capere, et acuere cum mentis aciem, tum iudicii ſolertiam, conferat, nec pigebit,* Apollon. Rhod. libr. 1. et 4. Valer. Flacc. libr. 4. *et fere integr. alios nimis multos, eosque aut notiſſimos aut ad nos non pertinentes non placet nominare. Bene autem apud noſtrum* inops ſenecta *Phinei dicitur, coeci, miſeriarum omnibus generibus traditi. Non vero bene apud nos legitur:* Viſus erat Phineus. *Burm. edidit:* Phineus viſus erat. *Ego legendum exiſtimo:* Phineus vltus erat: *ſecutus duo MSS. quae lectio non facile haberi poterit, propter rariorem elegantiam, a librariis profecta; et noſter poëta voce* inultus *ſic plane vſus* Epiſt. 8, 120. *Denique illud:* Phineus viſus erat; *friget h. l. et, quae ſequuntur, etiam hanc lectionem quaſi explicant. vide etiam voc.* Virgineus. * Met. 10, 654. Poſſe putes illos ſicco *freta* radere paſſu. *de celeri curſu Atalantae et Hippomenis; pulcherrima comparatio et* Ouidio *propria, nam, quae ſequitur, altera* Et ſegetis canae ſtantes percurrere ariſtas *ex Virgilio deſumta videri poſſet, qui de Camilla:* nec curſu teneras laeſiſſet ariſtas; *quanquam et ſingulari ſuo modo expreſſit et laudabili noſter poëta.*

FRONDERE *pro* frondeſcere, *frondes emittere.* Met. 8, 721. Ante gradus ſacros cum ſtarent forte, locique Narrarent caſus; *frondere* Philemona Baucis Baucida conſpexit leuior *frondere* Philemon. *Poterit haec ſignificatio verbi adſcribi* Theſ. Geſneri, *vbi* frondere *tantum explicatur* frondes habere, viri-

des

des ramos. *Ceterum pro* narrarent *legunt* Heinſ. *et* Burm. Inciperent; *vt notet, dum* narrare incipiunt; *non male, cum ſeptem codd. auctoritatem faciant. Non tamen neceſſe habebat Burmannus, ingenti vi locorum probare vſum verbi* incipere eum, *quo notet* narrare incipere; *namque eſt frequentiſſimus. Verba autem ipſa ab Ouidio mira elegantia coniuncta ad rem pingendam, quae celeriter, et ita fit, vt ſimul ambo idem et videant, et experiantur. Bene hinc bis* frondere *et illud* Baucis, Baucida &c.

FRONTES, *frontes librorum primam paginam vel membranam, quae titulum habeat, mihi recte intelligere videtur Burmannus* ad Triſt. 1, 1, 11. Nec fragili geminae poliantur pumice frontes, Hirſutus paſſis vt videare comis. *Adſcribere lubet eius notam:* „*Frontes* librorum ego *primam* membranam intelligo, vt ex Triſt. 1, 1, 109. apparet: Cetera turba palam titulos oſtendit apertos Et ſua detecta nomina fronte geret. gemina erat illa frons, quia et in voluminis parte exteriore titulus obuoluto libro inſcribebatur; et deinde, cum euolueretur, in prima parte iterum index vel titulus libri legebatur et hinc *prima frons* ſaepe etiam de aliis rebus dicitur, vide ad Phaedr. 4, 1. Illae ergo frontes geminae poliebantur pumice, licet Voſſius (ad Catull. Carm. 1.) membranaceam tabellam adglutinatam velit, quae exterius habebat indicem, ſeu titulum, interius inſcriptionem vel dedicationem. Illae autem frontes geminae, id eſt, exterior et interior pars, pumice poliebatur, et aequabatur, ne *hirſuta* eſſet, vt noſter indicat.„

FRVGILEGVS *epithet. formicarum, pulchrum, ab Ouidio natum.* Met. 7, 626. Hic nos *frugilegas* adſpeximus agmine longo Grande onus exiguo formicas ore gerentes.

FV-

FVGAX pennis, *alatus; epithet. Pegasi* Met. 4, 784. Pennisque *fugacem* Pegasson et fratrem, matris de sanguine natos. *Respicit quippe fabulam, quae fertur* Pegasus, *equus alatus, et Chrysaor, ensem aureum in manu tenens ex collo Medusae, recisо capite, statim exsiliisse.* cf. Pindari Olymp. 13, 89. et Scholiast. ad Hesiod. Theogon. vers. 287. *Plura dat* Burmannus.

FVLVVS, virga fulua. Met. 10, 191. *vide* Virga.

FVMOSVS Trist. 2, 491. Talia *fumosi* luduntur mense Decembris. *Forte rectius* fumoso. *epithet. bene delectum, pro huius mensis* Saturnalibus.

FVNALE Met. 12, 247. primus ab aede Lampadibus densum rapuit *funale* coruscis. „Funalia, describente Isidoro libr. 20, c. 10. erant *candelabra, exstantes stimulos habentia, quibus funiculi cera, vel huiusmodi alimento luminis obliti figebantur.* Vnde coniicio fuisse hoc funale lychnuchum trabalem de formicato laquearі et camera caeli cauum referente pendentem, lampadibus, aut lucernis stellatum. Virg. Aen. 1, 730. *Dependent lychni laquearibus aureis Incensi et noctem flammis funalia vincunt.* Petron. c. 30. *lucerna bilychnis de camera pendebat,* Farnabius.

FVMVS, lacrimosus. Met. 10, 6. Fax quoque quam tenuit (*Hymeneus, qui solebat in nuptiis praeferre facem*) lacrimosa stridula fumo vsque fuit nullosque inuenit motibus ignes. *vide* lacrimosus.

FVNDAMEN Met. 15, 433. Mole sub ingenti rerum *fundamina* ponit. * 5, 361. Ambibat Siculae cautus *fundamina; quae scil. metuerat.* cf. vers. 356. ne lato solum retegatur hiatu, *cautus sedulo ambit terram Siculam, et videt, an fundamenta bene adhuc consistant.*

FVNEREVS, *fatalis, qui mortem dat, efficit.* Met. 8, 512. *funereum* torrem medias coniecit

in ignes. cf. vers. 451. sqq. * *mortem praesagus.* Met. 10, 453. ter omen *Funereus* tubo letali carmine fecit.

FVNESTVS: taxus funesta, *bene! quia maxime venenosa, et letifera, vnde* taxica *appellata notat Plinius.* Met. 4, 432. Est via decliuis *funesta* nubila *taxo*, Ducit ad infernas per muta silentia sedes. cf. Hercul. Fur. Pseudosenecae. 835.

FVRCA bicornis Met. 8, 650. *Furca* leuat ille *bicorni* sordida terga suis, nigro pendentia igni. *Carnarium describit, vbi carnes siccandae suspendebantur, aliaque, vsibus quotidianis necessaria; Erat autem foco proximum, et fumo proinde expositum. vide* Petron. cap. 135. *ibique* Burm. *et cf.* bicornis.

FVRIALIS: ausa furialia Met. 6, 83. vt tamen exemplis intelligat aemulo laudis Quod pretium speret pro tam *furialibus* ausis *arma furialia Met. 6, 591. *Furialia* accipit *arma.*

FVRIATVS, ignis, *de furente amore.* Fast. 2, 761. Interea iuuenis *furiatos* regius *ignes* Concipit, et coeco captus amore furit. *ignes concipit* furiatos *et* furit, *certe non placet; quare lectio Heinsiana accipienda videtur, quae habet* ruit *pro* furit. *etiamsi Burmannus in vllo neget se inuenisse codice.*

FVRIOSVS, tibia furiosa Fast. 4, 341. Exululant comites, *furiosa*que tibia flatur. (*i. ad cuius cautum furunt*) Et feriunt molles taurea terga manus. (*de Gallis Cybeles sacerdotibus.*)

FVRTIVVS: furtiua voluptas Met. 4, 327. Haec tibi siue aliqua (*femina*) est: mea sit *furtiua* voluptas. *namque* furtum *de amoribus illicitis saepius apud nostrum: vide* Furtum.

FVRTIVVS vir, *adulter* Pont. 3, 3, 56. An sit ab his omnis rigide submota libellis Quam lex *furtiuos* arcet habere *viros? vide* Furtum.

FVRTVM, *insidiae* Met. 13, 111. Nec clypeus vasti

vasti caelatus imagine mundi Conueniet timidae, nataeque ad *furta* siniſtrae. *Vlyſſis cuius doli et inſidiae notantur.* cf. voc. Caelatus. * *Saepius de clandeſtinis amoribus, adulteriis, apud* Ouid. occurrit Met. 1, 606. It. 4, 174. et. 9, 557 Faſtor. 2, 183. it. 3, 846. et 6, 433. &c. *nam* furtum *eſt, quidquid occulte fit.*

FVSILIS *pro* fuſus, effuſus; *Ouidian. Voc.* Met. 11, 126. Miſcuerat puris auctorem muneris vndis, *Fuſile* per rictus aurum fluitare videres. *vid.* Auctor.

FVSVS teres. Met. 6, 22. leui *teretem* verſabat pollice fuſum. *totus locus eſt vnus eorum, in quibus vires ingenii Ouidiani eluceant, quod paruis rebus decus adiicere ſummum poſſit, et ridentes imagines pingere ſuauiſſime.*

G.

GALLVS: *cur* Gallos, qui ſe excidere, vocamus, *vide apud* Ouid. Faſt. 4, 361. Inter viridem Cybelen, altasque Celaenas Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua. *Qui bibit inde furit.* procul hinc diſcedite queis eſt Cura bonae mentis. *Qui bibit inde, furit. nota eleg. Ouidianam in repetitione.* cf. verſ. 243.

GARRVLVS *elegantiſſ. epith. riui, et in noſtra lingua vſurpatum.* Faſt. 2, 316. Antra ſubit, tophis laqueataque pumice viuo. *Garrulus* in primo limine *riuus* erat.

GAVDERE aliquid Pont. 3, 4, 48. Et *gaudere* aliquid res mihi viſa noua eſt.

GEMELLIPARA *vocabulum Ouidio proprium, epithet. Latonae, quae vno partu ediderat Apollinem et Dianam* Met. 6, 315. Magna *gemelliparae* venerantur numina Diuae. Sic et Faſt. 5, 452.

GEMERE *eleg. de feneſtris concuſſis ictu, dum aperiuntur.* Pont. 3, 3, 10. Subito pennis agitatus inhorruit aer. Et *gemuit* paruo mota feneſtra, *fictio illa poëtica*

praecellit egregie; est digna molli et suaui Ouidio. Tota illa Epistola fere eadem ad finem voluptate condita; neque, nisi fallor, forte haec optima omnium ex Ponto missarum fuerit.

GEMINARE Met. 2, 200. Ardet in immensum *geminatis* ignibus Aetna, *quia iam ignem perpetuum Aetna alit, duplicatur ille ab aestu solis et omnis ardet. Burm. pro ignibus, legend. putat viribus. Non ego.*

GEMINVS: *Cecrops geminus* Met. 2, 555, *siue ob longitudinem Corporis, siue idcirco quod, cum esset Aegyptius vtrumque linguam sciebat, (et graecam et aegyptiam.) Ita ipse Hieronymus chronico Eusebiano ad annum CCCLX. vbi vid. Scalig. et cf. Meurs. Regn. Attic. 1, 6. seq.* * geminus *Chiron dicitur, quia gemina eius facies, Centauri est.* Met. 6, 126. Vt Saturnus equo *geminum* Chirona creauit, Vltima pars telae *(texti Arachnes)* tenui circumdata limbo, Nexilibus flores hederis habet intertextos. *Saturnus cum Philyra, Oceani filia concumbens, veritus ne Opis vxoris aduentu deprehenderetur, in equum se commutauit, sicque Centaurum genuit Chironem. vnde Virgilius Georg. 3, 92.* Talis et ipse iubam ceruice effudit equina Coniugis aduentu pernix Saturnus, et altum Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto. *Regius*, vid. Munker. ad Hygin. Fab. 138.

GEMMA: gemmas stellantes Ouid. Met. 1, 703. pennas *pauonis versicolores et splendidos vocat; quam suauiter! quam poëtice!*

GEMMANS: *gemmantia* sceptra s. *aut, quae sunt gemmis distincta, et ornata, aut quae in modum gemmarum lucent.* Met. 3, 264. Si me *gemmantia* dextra Sceptra tenere decet. *Loquitur Iuno, et, aduerte, oratione per omnia valde digna.*

GEMMEVS Fast. 2, 74 *eleg.* proximus hesperias Titan

tan abiturus in vndas *Gemmea* purpureis cum *iuga* demit equis.

GENEROSVS flos, *noue* Fast. 5, 211. Hunc meus impleuit *generoso* flore maritus. *Simili elegantia* Met. 15, 710. Surrentinos *generoso* palmite colles *dixit poëta.*

GENIALIS *noue et pulchre de vino, quum enim* geniale *esse constet, quodcunque pertineat ad genium curandum,* vt festum *geniale* Annae Perennae Fast. 3, 523 Vinum *geniale, pulcherrime appellatur* Met. 4, 14. *genialis* consitor vuae. *Gesneri Thesaurus locupletari hoc loco possit.* * *epithet. platani.* Met. 10, 95. platanus *genialis,* acerque coloribus impar. *Gesnerus in Thesauro ita dictam platanum putat, quod sub ea conuiuari veteribus mos fuisset. Qui mos, etsi non negandus est, tamen inde epitheton non ausim explicare. Neque conuiuari solum, verum etiam delectationem aëris quamcunque capere solebant sub hac amoena, opaca, eleganti arbore. Arbitror ideo* genialem *dictam, quia voluptuosa quasi arbor est, talia enim quaecunque genialia dici, aliunde abunde constat. Ceterum in illo loco Ouidii perpende miram poëtae, in adponendis arboribus epithetis, artem, et mirare eum, si placet, mecum.* * sertum *geniale* Met. 13, 929. Non data sunt capiti *genialia* serta: nec vnquam Falcifera secuere manus. *intactus cespes; nec sertum inde collectum vsquam, nec quidquam decerptum.*

GENITALIS: Corpora genitalia s. *elementa* Met. 15, 239. Quattuor aeternus *genitalia corpora* mundus Continet.

GENITIVVS: nomen genitiuum, *est* Gentis, *quod proprie* nomen, *differens a cognomine et agnomine* Pont. 3, 2, 273. Adiectique probent *genitiua* ad nomina Cottae, Si tu non esses interitura domus. *Nempe Cotta Messalinus,* M. *Valerii Messalae Coruini, oratoris illius, summi filius,*

iſte, ad quem ſcribit poëta, adoptione in Aureliam gentem tranſierat, vnde et Cottae cognomen adſciuit. * genitiua imago Met. 3, 331. percuſſis anguibus isdem Forma prior rediit, *genitiua*que rurſus imago *prima, quam habuerat, cum naſceretur. Sunt qui legant*, genitiui, *vt ad Apollinem γενητορα* referatur. *de quo conf.* Macrob. Saturn. 3, c 6. *ſed fruſtra ſollicitatur lectio.*

GENS, *natio, quae plures populos comprehendit*, Met. 2, 215. Cumque ſuis totas *populis* incendia *gentes* in cinerem vertunt.

GENTILIS, *qui eſt eiusdem gentis, vt notum; bene* Faſt. 2, 198. Vna domus vires et onus ſuſceperat Vrbis: Sumunt *gentiles* arma profeſſa manus. *de Fabiis trecentis.* cf. *verſſ. praecedd.*

GERERE ora Met. 4, 135. oraque buxo Pallidiora gerens, exhorruit aequoris inſtar, Quod fremit, exigua cum ſummum ſtringitur aura. *ſed profecto dubito, an ſit latinum*, gerere ora. ferre ora *quidem occurrit, vt apud Virg. Aen.* 3, 490. *Ouid. ipſum*, Met. 6, 27. et 13, 733. *quo magis abeſſe videtur a vero illa noſtra lectio* gerere ora. *Heinſius iam emendauit* rigens *pro* gerens, Pallidiora rigens, &c. *Graeciſmo, vt in hoc ipſo Met. 4. libr.* 376. Summa riget. *ſed notio* rigendi *mihi non ſatis bene h. l. placet, legerem ego* FREMENS; oraque buxo Pallidiora *fremens; nam ſequitur ſtatim*: exhorruit — tremit &c. *et talis conſtructio non infrequens apud optimos poëtas et noſtrum ipſum. Comparationem cum* buxo imitatur Nemeſianus Eclog. 2. pallidior *buxo*, violaeque ſimillimus erro. *Verba autem in loco Ouidiano ingenii ſummi teſtes*; exhorruit aequoris inſtar; Quod *tremit* — exigua — — ſummum — ſtringitur — aura. *Singula verba noua luce rem illuſtrant, et ponunt ſub oculos.* *

cor-

corpora gerere Fast. 2, 299. Sub Ioue durabant, et corpora nuda *gerebant*. *Sic* pectora nuda gerere Met. 2, 585. tempora religata foeno * Met. 5, 161. Applicat hic humeros ad magnae Saxa columnae, Tutaque *terga gerens* (*i. habens, praestans*) aduersaque in agmina versus sustinet instantes.

GERMEN *de infante nondum nato* Met. 9, 280.

GLOMERARE lanam Met. 6, 19. Siue rudem primos lanam *glomerabat* in orbes. * Met. 14, 212. videns electantemque cruentas Ore dapes et frusta mero *glomerata* vomentem. * *belle ad rem pingendam* Met. 15, 251. tellus glomerata cogitur vnda.

GRACILIS Catena, i. *tenuis* Met. 4, 176. cf. vers. 178. et 179. * stamen gracile, *pulchre!* Met. 6, 54. Et *gracili* geminas intendunt, stamine telas. * vmbra gracilis Trist. 4, 10, 86. Si *gratilis* structos effugit *vmbra* rogos. * limes Trist. 5, 6, 29. Quam multae *gracili* terrena sub horrea ferre *Limite* formicae grana reperta solent. * materia Pont. 2, 5, 26. Materiae *gracili* sufficit ingenium. * eleg. Met. 10, 140. *de Cupresso*. Siderum *gracili* spectare cacumine coelum *i. tenui*.

GRADVS amoris Met. 4, 59. Notitiam primosque gradus vicinia fecit. *Non est ἐν διὰ δυοιν vt putant alii;* sed *vocab.* Gradus *spectat ad vers. seq.* Tempore creuit amor. *adeoque primos gradus amoris intell. Sunt autem primi gradus amoris*, visus *et* colloquium *de quo* cf. Part. I. huius Clauis in voce *Linea* et *Addenda* pag. 396. * gradus suspensus Fast. 6, 338. Spem capit obscoenam, furtimque accedere tentat, Et fert *suspensos*, corde micante, *gradus. Venuste, ad pingendum, tacite et extremitate pedum tantum timide repentem.*

GRAIVS Met. 4, 537. spuma sui: *Graiumque* manet mihi nomen ab illa

sc. ἀφροδιτη. *Verba Veneris blandientis et precantis patruum Neptunum, summa cum arte hic tributa Veneri.*

GRAMINEVS campus, *de campo Martio* Fastor. 3, 519. Altera *gramineo* spectabis Equiria campo, Quem Tyberis curuis in latus vrget aquis. *Altera dicit Equiria, quia prima acta 3.* Kalend. Martias. *Pulchre:* Tybris curuis in latus vrguet aquis; *erat enim Martius campus positus prope Tyberim.*

GRANDIS: ingenium *grande* Met. 6, 574. *grande* dolori Ingenium est: miserisque venit solertia rebus. *Nonnulli legunt* Doloris, *sunt et alia discrimina codd.* h. l. *sed leues diuersitates quis a me exiget?*

GRANDIOR aetas Met. 6, 28. Non omnia *grandior* aetas Quae fugiamus habet, seris venit vsus ab annis. *Locus translatus ex* Euripide *Phoeniss.* 531. *Cuius haec sunt:* Ω τεκνον, ἐχ ἁπαντα τῳ γηρᾳ κακα, ἐτεοκλεες, προσεστιν, αλλ' ἡ ἐμπειρια ἐχει τι λεξαι των νεων σοφωτερον.

GRAVIS: *graue sidus, de tempestate* Met. 5, 281. *vide* Sidus. * grauis, *infelix.* Met. 10, 8. Exitus auspicio *grauior. vide* Auspicium. * graue est: *exquisita latinitate, pro,* non audeo, *dedecet, vel simile quid. Melius senties, quam dici potest, si legis Fast.* 5, 199. Quae fuerit mihi forma *graue* est narrare modestae, Sed generum matri repperit illa Deum: Ver erat; errabam: Zephyrus conspexit; abibam. Insequitur. fugio: fortior ille fuit. *At bone Deus! qualis pulchritudo, in incisis istis breuissimis; vix pulchrior* Flora *esse potuit, quam sunt hi versus.*

GVSTARE *pro* comedere Fast. 6, 169. Pinguia cur illis *gustentur* larda Kalendis.

GVTTA, *macula* Met. 5, aptumque colori Nomen habet: *variis* stellatus corpora *guttis. vid.* Stellatus. *Saepius autem guttae*

guttae pro maculis *ponuntur, tum apud Ouid. tum apud Plin.* vt libr. 37. c. 10. *vide, si lubet et vacat*, Salmas. ad Solin. p. 92.

H.

HABERE puerum, i. *ab eo amari.* Met. 4, 316. Cum puerum vidit, visumque optauit habere. *Notat celeritatem amoris exardescentis illud:* vidit visumque *optauit; Ouidiana repetitio.* * Met. 9, 495. Nil nisi frater eris, quod abest id habebimus vnum. *Hunc locum vnam ob causam attulimus, quo Heinsii somnium indicaremus et refutaremus duobus verbis; namque profecto hic vir doctus somniauit, quum talem notam adscriberet:* „Haec mendosa sunt aut adulterina, potest tamen reponi: *id habebimus vna.*„ *Atqui sunt ea adeo Ouidiana, vt mirer, Heinsium non meminisse solitae poëtae elegantiae quaesitae ex contrariis sibi relatis et paribus. Byblis amans fratrem dicit,* Nil nisi frater eris; *adeoque non amans,* quod obest, id habebimus vnum, *vnum hoc futile commodum habebis, namque quod obest, fratrem ego te habebo, pulcherrimum, et id ipsum, quod frater sis, obest. tu me amantem habebis sororem, sed obest quod sim soror, cum amem. cur autem perdo verba in re nota?*

HABILIS telis, i. *aptus* Fast. 2, 14. His *habilis* telis quilibet esse potest.

HABITVS locorum, *natura, genus* Met. 4, 765. Cultus *habitus*que locorum quaerit Abantiades. *Nonnulli etiam legunt* genus *pro* habitus; *accipientes glossam pro vera lectione. vid.* Quaerere. *In versum sequentem foeda lectio irrepsit.* Narrat Cyncides moresque habitusque virorum. *Aut legendum est superiori versu* 765. cultus habitusque virorum, *quod tamen sine vlla caussa fieret, aut h. vers. leg.* Narrat Lyncides

des mores habitusque locorum. *Malim tamen ego ita*: Narrat Lyncides, cultusque habitusque locorum, *e frequenti illa Ouidiana repetitione, quae iam in hoc libro (namque numerauí aliam ob causam) sedecim occurrit.*

HASTA recurua, i. *acus celibaris, diuersa ab acu comatoria, qua compago crinium sustinebatur et quae graecis* βελονης Fast. 2, 560. Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri, Comat virgineas *hasta recurua* comas. *Inter ritus nuptiarum erat, sponsae comam cuspide hastae, quae quidem in corpore gladiatoris abiecti occisique stetisset, dirimere, vel vt quemadmodum illa coniuncta fuisset cum corpore gladiatoris, sic sponsa esset cum viro, vel quod hasta Iunoni esset sacra, vel quod aliud quodcunque significaretur. Vide rationes alias huius moris, easque etiam nonnullas ridiculas apud* Plutarch. Quaest. Rom. cap. 87. Adde Brisson. de Ritu Nupt. pag. 41. *laudatum iam ab Burmanno ad h. l. Ouidii.*

HAVRIRE puluerem *est plurimum puluerem arreptum coniicere; signate.*, Met. 9, 35. Ille cauis *hausto* spargit me *puluere* palmis, Inque vicem fuluae tacta flauescit arenae. vid. vocc. Tactus *et* Flauescere. * latus; *confodere, poët. intelligam inde metaphoram ductam, quod exhauriatur quasi sanguis* Met. 9, 413. Cognatumque latus Phegeius *hauserit* ensis. cognatus *Alcmaeon Phegeo dicitur, quia affinitatem cum eo contraxerat, vide* Fatale aurum. * suspiria Met. 14, 129. Respicit hunc vates et suspiratibus *haustis* * Ibid. vers. 136. ego puluerís *hausti* ostendens cumulum; i. *arenae pugillum.* * nauis hausta *de oppressa, mersa fluctibus* Fast. 3, 600.

HAEREO Met. 1, 485. In patris blandis *haerens* ceruice, lacertis; *quae imago Daphnes amplexae collum patris!* *

ad

ad viuidam imaginem item efficiendam Met. 4, 27. Qui ſenex ferula titubantes ebrius artus ſuſtinet, et pondo non fortiter haeret aſello. *Omnia verba electa, venuſtiſſima*, ſenex ebrius *in comitatu Bacchi* ſuſtinet artus — titubantes — ferula et aſello — pondo — *haeret* — non fortiter. *ſingula verba ſingularem vim habent.* Haerere *vero in amoena ſcena ſummam lineam pingit*, vix enim ſedet ſenex. ebrius ſenex. ſic et 1. Art. *ipſe* 5, 43. vide etiam 1. partem huius clauis voc. haerere *et infra voc.* Pondus. * Met. 4, 184. In mediis ambo depreſſi amplexibus *haerent.* * *ſuauiter de oſculantibus* Met. 9, 367. Affuſique ſuae radicibus arboris *haerent.* * in ore *eleg. vſque in ore verſari, nominari etiam* Met. 10, 204. Semper eris mecum memorique *haerebis* in ore. * *ſemper ante oculos verſari* Triſt. 3, 8, 35. *Haeret* et ante oculos, veluti ſpectabile corpus Adſtat fortunae forma legenda meae. * Pont. 3, 1, 23. triſtia per oculos *haerent* abſinthia campos.

HEBERE Triſt. 4, 1, 48. Vtque ſoporiferae biberem, ſi pocula Lethes, Temporis aduerſi, ſic mihi ſenſus hebet. *Verum peſſime in nonullis legitur:* abeſt *pro* hebet.

HEBES *de Colore eleg. opp. claro, luculento, et eſt quaſi, quae oculorum aciem hebetat* Faſt. 5, 365. nec flos eſt *hebeti*, nec flamma colore; Atque oculos in ſe ſplendor vterque trahit.

HEBETARE *ſidera, dicitur dies, vbi tepidum eſt veſperae tempus, vacans aeſtu calentis ſolis. valde poët.* Met. 5, 4, 44. vt alma dies *hebetaret* ſidera, natam Solis ad occaſum ſolis quaerebat ab ortu: *ſic* hebetare *flammas Taurorum dicuntur carmina magica, quae efficiebant, vt ignes, quos euomere ſolebant et flammae nihil damni afferrent Iaſoni.* Met. 7, 210.

HERES, *et audacter et maxime laudabiliter, dicitur*

tur apud Ouidium Met. 9, 72. *caput geminum illud, quod ex vno exciſo Hydrae Lernaeae naſcebatur.* Nec vllum de centum numero caput eſt impune reciſum, Quum *gemino* ceruix *herede* valentior eſſet. *Duo illa capita noua nata ex exciſo vno, quaſi heredes duo ſunt ceruicis, quam cum vincere, poſſidere velit Hercules, illa duo capita quaſi heredes maius repugnant, et vsque, dum vnum depulit, duo noui heredes occupant, et valentior fit ceruix, quaſi arx oppugnanda. ſed neſcio tamen, an ſatis recte Hercules ſic inducatur talia loquens, cum eſſet potius pugnandum, et nimis fuſe deſcribit certamen cum hydra. Riſit quidem* (verſ. 66) *et illudens dicere talia poterat; cur tamen enumerat centum capita, et quaſi hiſtoricus narrat accurate omne certamen?* Vulneribus ſecunda ſuis illa erat; *quod et ipſum dedecet hoc loco Herculem. forte et hunc locum poëta emendaturus, ſi licuiſſet per fatum, erat. Dubito ſaltem de elegantia huius narrationis, et poëtam loqui non Herculem mihi videor; de eo autem non dubito ridiculum h. l. eſſe Heinſium, qui rationem quandam reddit capitum Hydrae, et ſedulo notat, quot capita illi* Diodorus Siculus, Suidas, Seruius, Vibius Sequeſter, Apoſtolius, Palaephatus, Virgilius, Alcaeus &c. &c. *tribuant; imo vero anxius laborat de numero, cum tantae ſint diuerſitates. talem ἀκριβειαν quis non miretur? Quodſi dubitas, iudicium meum de Ouidii frigore, ſit ne verum an ſecus, cf. voc.* Ramoſus.

HIATVS *de fontibus eleg.* Met. 3, 167. Margine gramineo *patulos* ſuccinctus *hiatus. Burm. leg.* incinctus.

HIRSVTVS pinus *hirſuta, eleg.* epithet. Met. 10, 103. ſuccincta comas, *hirſuta*que vertice pinus, *quia in vertice ſolum frondes emittit. Pergit* Oui-

Ouidius: Grata Deum matri; siquidem Cybeleius Attis exuit hac hominem; truncoque induruit illo. „*Rem Diodorus narrat: Cybelem Menois Phrygum regis, et Dindymenes filiam fuisse; a monte Cybelo in quo exposita fuisset appellatam: hanc cum aerate prouecta esset, adolescentem quendam eius regionis, Atym nomine, adamasse, ex eoque grauidam factam fuisse. Quod vt pater animaduertit, Atyn et nutrices interfici atque insepultos abiici iussisse, Cybelem autem cum Atyos amore, tum dolore nutricum perculsam, insanam effectam in publicum prodiisse, psallentemque cum tympano solam vniuersam patriam sparsis capillis peragrasse. Orta autem postea peste, Phryges, consulto oraculo, iussos, vt Atyn sepelirent, et Cybelen vt Deam venerarentur vid. Diodor. Sic. Libr. 4. Non possum, quin huc adscribam vetustissimam habitam de hac re eandemque venustissimam Inscriptionem, quae legitur apud Gruter.* pag. 655. Inscr. 3. Qui colitis Cybelen et qui Phryga plangitis Attin, Dum vacat et tacita Dyndima nocte silent. Flete meos cineres, non est alienus in illis Hector, et hoc tumulo Mygdonis vmbra tegor. Ille ego qui magni paruus, cognominis heres, corpore in exiguo res numerosa fui, Flectere doctos equos nitida certare palaestra, ferre iocos astu, fallere nosse fidem. At tibi dent superi, Quantum Domitilla mereris quae facis exigua ne iaceamus humo. * Trist. 1, 1, 12. *hirsutus* possis vt videare comis; *de libro non polito, vt mos erat nec aequato pumice. vide* Pumex. * Trist. 2, 259. sumserit Annales, nihil est hirsutius illis, i. *severius grauius, magis alienum a lusibus et iocis.*

HONORATVS *epithet.* Praetoris Fast. 1, 52. Simul exta Deo data sunt, licet omnia fari:

Verba-

Verbaque *honoratus* libera Praetor habet. *vide h. v. in Claue* Erneſt.

HORA *de tempore anni quadruplici vid.* h. voc. in I. Part. Clav. Faſt. 3, 241. Nunc fecundus ager: pecoris nunc *hora* creandi.

HORTATOR: animorum *hortator; bene de eo, qui excitat, animum addit, et vigorem clamando* Met. 3, 6118. Et qui requiemque modumque voce dabat remis *animorum hortator* Epopeus. *Obſerua h. l. hiatum*: animorum hortator, *qui ſonum pingit fere clamantis. Idem ſuaue obſeruatu eſt in ſimili loco* Virg. Aen. III, 178. Nauticus exoritur vario *hortamine* clamor. vid. Neue Bibl. der ſchoenen Wiſſenſch. T. IV. Part. I. p. 5.

HOSTICVS Triſt. 3, 10, 66. Quae nequeunt ſecum ferre aut abducere, perdunt, Et cremat inſontes *hoſtica* flamma caſas. Adde Faſt. 4, 893.

HVMANVS; onus humanum *pro* corpore mortali Faſt. 4, 554. *elegantiſſime.* Triptolemum gremio ſuſtulit illa (*Ceres*) ſuo. Terque manu permulſit eum: tria carmina dixit: Carmina mortali non referenda ſono. Inque foco pueri corpus viuente fauilla Obruit, *humanum* purget vt ignis onus. *Burm. coniicit* opus *pro* onus. „corpus enim, *addit*, humanum opus eſt, vt anima, coeleſte; *Facete, et lepide, et philoſophice; Quis eſt, quin Burmanno fidem habeat? Ego vero tamdiu* τὸ onus *tuebor, donec probauerit Philoſophus, falſum eſſe placitum de procreanda anima per traducem. vt vero ſerio remagam*, τὸ onus humanum *longe maximam habet elegantiam; notat enim pondus illud imers, quaſi limoſum, et craſſum, quod humanitatem ſiue mortalitatem hominis efficit.* * genus humanum *eſt* forma, ſpecies humana Faſt. 2, 503. *ſermo de Apotheoſi Romuli, ad quem locum* cf. Liu. libr. 1. c. 16.

I. IA-

I.

IACERE Met. 1, 273. deplorata coloni vota *iacent; irrita sunt, sed suauiter* iacent, *quia nimbi depresserant segetes, vota coloni.* * *elegant.* Met. 5, 482. *de sterili agro, vitiato per Cererem, antea fertili.* Fertilitas terrae, latum vulgata per orbem Sparsa *iacet. Iacet in terra, non progerminat; putrefit. Sed quid sibi velit illud* sparsa? *vix est quo possis referre; quodsi ad voc.* fertilitas, *revocas, quis redit bonus sensus? et quo alio referes? Atqui praestantiores codd. legunt*: falsa *pro* sparsa; *quod audio! Alii vero emendarunt* cassa. Fertilitas terrae latum vulgata per orbem Cassa iacet. *Dicitur etiam:* tellus cassa virorum; cassus incolarum cespes. cassa flamma *apud* Ouid. *ipsum* Remed. 447. *vbi vid.* Heinsius. *Quid vero si legamus* QVASSA? *quassa erat fertilitas terrae a Cerere,* cf. vers. 480. *et praesertim* vers. 485. *fatigant. et notum est doctis, quam facilis et vero etiam non infrequens fuerit librariorum lapsus in verbis:* cassus, quassus, sparsus &c. * *eleg. vt alias etiam, de puerpera.* Met. 8, 453. cum partus enixa *iaceret.* * Iacentes oculi, *de dormitante,* Met. 11, 619. tarda Deus grauitate *iacentes* vix *oculos* tollens. *bene* tarda grauitas; *ab effectu, vt solent poëtae.* * iacens crinis *pro* soluto Fast. 4, 318. * *de aegroto* Fast. 5, 411. Oscula saepe dedit; dixit quoque saepe *iacenti* Viue, precor; nec me, care, relinque, pater. * sub hasta iacere *est teneri, victum* est. Fast. 6, 310.

IACTARE carmina *eleg. dicitur, qui cantat, gloriam quaerens.* Met. 11, 153. Pan tibi dum teneris *iactat* sua carmina Nymphis Et leue cerata modulatur arundine carmen &c. *Plurimi libri* moderatur, *quod nec ipsum inficetum; sed frequentem esse harum vocum confusionem fuse*

fuse probarunt viri docti ad h. l. Nil mutandum; *nec accipienda lectio vnius codicis Leidensis:* iaculatur, *quam non inelegantem misere iudicat Burmannus*; *est enim aperta macula ducta ex praecedenti verbo* iactat carmina. vers. 152. Iactari Tyberi *pro* in Tyberim. Fast. 5, 659. Scirpea pro domino Tiberi *iactatur* imago. *Paullo aliter originem huius ritus persecutus est Macrobius* Saturnal. 1, 11. *Epicudus* refert Herculem occiso Gergone cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc *sublicius* dicitur, ad tempus instructo, hominum simulcra, pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluuium demisisse, vt aqua secunda in mare deuecta pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur. et inde vsum talia simulacra fingendi in sacris mansisse.

IACVLABILIS *vocab. ab Ouidio factum.* telum *iaculabile*; i. *iaculum.* cf. vers. 673. Met. et 680. Non formosius isto viderunt oculi *telum iaculabile* nostri.

ICTVS Phoebeus: *de caloribus bene!* Met. 5, 389. Silua coronat aquas, cingens latus omne; suisque Frondibus, vt velo, *Phoebeos* summouet *ictus. Pulchre*, vt velo; *poëtice*, Phoebeos ictus. *Nos etiam dicimus die Sonnenstiche. vid.* in Clav. Part. I. voc. Ictus, *vbi similem ridentem imaginem Horatii notatam inuenies.* * Ictus fulmineus. Met. 14, 618. Remulus maturior annis *fulmineo* periit, imitator fulminis, *ictu.*

ICTVS *partic.* malo ictus i. *afflictus* Fast. 2, 818. qui paret exsequias, quoue sit *icta* malo.

IEIVNIVM soluere, *edere.* Met. 5, 535. Ieiunia virgo soluerat. Met. 8, 820. pectus et ora Afflat; et in vacuis spargit *ieiunia* venis.

IGNARVS, *ignotus* Met. 7, 404. Iamque aderat Theseus proles *ignara* parenti: *Quare ignotus fuerit*

fuerit Aegeo Theseus, tradunt Mythologi, non noſtri conſilii eſt, docere. Vox ignarus *autem ſaepius pro* ignotus *ponitur, vt* Met. 7, 672. libr. 8, 188, *et alibi. vid.* Mureti Var. lect. libr. 11, cap. 2.

IGNAVVS; *qui reddit ignauos, feſſos, aegros homines, ab effectu, vt ſaepius epithetis vtuntur poëtae.* Met. 7, 531. Coelum — *ignauos* incluſit nubibus aeſtus. *Sed tota illa peſtilentiae deſcriptio longe pulcherrima eſt; vide, ſi placet,* Scalig. poët. libr. 5. critic. pag. m. 671. *vbi expoſitas Ouidianae venae virtutes, et comparatum in eadem cauſa* Lucretium, Silium, Ouidium, *et* Virgilium *leges.* * preces *ignauae, quae nihil agunt. Belle in ore amantis puellae* Met. 8, 73. ſibi quisque profecto Fit Deus. *ignauis* precibus fortuna repugnat. * ignauum letum *i. ſine ſanguine et virtute* Met. 8, 518. * ignauum frigus Met. 2, 763. Abdita, ſole ca-

rens, non vlli peruia vento; Triſtis, et *ignaui* pleniſſimo frigoris, *de domo* Inuidiae; *ſed totus locus ingenium ſummi poëtae* prodit. * ignaua fata *eleg. de inopia* Faſt. 6, 373. Nunc inopes victus, ignauaque fata timentes Monte ſuo clauſos barbara turba premit.

IGNIGENA, *epitheton Bacchi;* (*cauſam habes* Met. 3, 298.) *ſed cum efficacia in ore furentium Baccharum,* Met. 9, 11.

ILLIMIS: fons *illimis* i. *ſine limo, purus, lucidus* Ov. Met. 3, 407. fons erat *illimis* nitidis argenteus vndis.

IMAGO, *inanis rei repraeſentatio, Idee.* Ov. Met. 1, 754. es tumidus genitoris *imagine* falſi. * *Species quae praetexitur rei* Id. Met. 2, 37. falſa Clymene culpam ſub *imagine* celat. * Imago erroris. Pont. 2, 2, 57. Num tamen excuſes erroris *imagine* factum, An nihil expediat tale monere, vide. *Ex hoc mihi veritas criminis Ouidiani poſſe elici videtur. Multis*

tis enim ex locis, vbi eius rei mentionem fecit, collatis cum nostro apparere videtur, Ouidium non solum, vt Massonus ad Annum Ouidii 52. coniicit, Iuliae crimen vidisse, et commissum esse a comitibus *suis; verum etiam eum ipsum reum fuisse criminis. Suspicor propter verba:* erroris imago: *Ouidium forte nesciisse, forte dissimulasse, se nesciisse esse* Iuliam, *quam forte in quodam loco inhonesto inuentam ratus erat aliam longe feminam esse. Nec obest, quod dicit:* Cur aliquid vidi, cur noxia lumina feci; *namque non vero est abstimile, poëtam modo plane negasse rem, modo excusasse. Nec vero, nisi hoc statuimus, Caesaris in innoxium Ouidium immanitatem, distantem eam ab illius natura capere quis possit; licet non negandum* Artem suam *Nasoni vel ideo fuisse fatalem, quod eam forte praelegerit Iuliae, docuerat eam, et magister scelerum fuerat. Accedit ad ea, quae disputata, versus. Pont. 3, 3, 75. vbi Amor talia ad Ouidium:* Scis aliud (*ac Artem tuam*) quod te laeserit, esse magis. Quidquid id est (neque enim debet dolor ille referri) Non potes a culpa dicere abesse tua. *Vnde satis constat, tamen feciisse Ouidium, quo poenam mereretur: si modo cum comitibus fuisset apud Iuliam, vix ita loqueretur Amor.* Tu licet, *pergit Amor,* erroris sub *imagine* crimen obumbres. Non grauior merito vindicis ira fuit. *Haec quomodo dici poterant, si accipiamus Massoni coniecturam; at si vero Iulia potitus est, licet diceret, se eam non cognouisse, fuisse* imaginem erroris; *vere ira vindicis Augusti non grauior merito fuit.* * *Cum imagines cereae solitae fuerint poni in atrio, vt notum est, et maiores nobiles ostendere, singulari venustate de* Venere, *cui Mensis Aprilis dicatus, poëta dicit ad Caesarem*

Fast.

Fast. 4, 21. Hic ad te magna descendit *imagine* mensis, Et fit adoptiua nobilitate tuus. *Excellens adulatio! Constat fuisse creditum, Iulium Caesarem originem trahere ab Aenea adeoque Venere, cuius cum Augustus fuerit filius adoptiuus,* adoptiua nobilitas *est, qua Veneris est* progenies. *Hinc simul cum Venere ei Mensis dicatus. cf. versus sequentes.* Imago *saepius occurrit pro* origo. *Non vero h. l. cum nonnullis libris legend.* origine. *quae aperta glossa est pingentis illius vocabuli* imaginis. * Imago facti, *periphrasis poetica et elegans, praesertim hoc in loco* Met. 8, 96. Turbatusque noui rerespondit *imagine* facti, *visu, aspectu tanto facinore, talem formam facinoris &c.* * *forma, facies* Met. 14, 768. Qualis, vbi oppositas nitidissima solis *imago* Euicit nubes, nullaque obstante reluxit. *Ita enim* imago formae *de forma* Met. 3, 416. Fast. 1, 111. Tunc ego qui fueram globus, et sine imagine moles, i. *rudis et indigesta.* In faciem redii.

IMBELLIS: plectrum imbelle; *eleg. non aptum rebus bellicis.* Met. 5, 114. cui procul adstanti plectrumque imbelle tenenti Pettulus, i, ridens stygiis cane cetera! dixit; Manibus, et laeuo mucronem Tempore figit. *Habet ita vero ex opposito, et loci perpetuitate* imbelle plectrum *plurimam vemustatem.*

IMITAMEN Met. 4, 445. Pars aliquas (*lege cum optimis et multis libris vetustis* alias) artes antiquae *imitamina* vitae Exercent, aliam partem sua poena coercet. *Burmannus secutus Heinsium alterum versum* Exercent, aliam partem suae poena coercet, *plane sustulit, ex auctoritate, vt dicit, optimorum codicum; sed nominare eos non placuit, et si vsquam, h. l. sequi dubito. Propius vero mihi videtur, excidisse vnum versum h. l. quam intulisse eum librarium*

brarium quendam. Praeterea illud Exercet *et* coercet *uno versu eodemque, Ouidianam negligentiam, et temporibus ad corrigendum inopiam notat. Statue, quid placeat tibi: mihi placet, hoc loco nihil delere.*

IMITARI *eleg.* Trist. 4, 8, 1. Iam mea cygneas *imitantur* tempora plumas. *Sic et* imitans aurum pyropus Met. 2, 2.

IMMANIS scopulus Met. 14, 182. Vestrae quoque clamor Vlyssis Pene rati nocuit. vidi cum monte reuulso *Immanem* scopulum medias *permisit* in vndas *vide* Permittere. * Immanis, *vt respond. graeco* θαυμαστον, *ingens, mirabilis* Trist. 2, 335. Diuitis ingenii est *immania* Caesaris acta condere; *(scilic. memoriae aeternae)* materia ne superetur opus. *Plane huc pertinet, licet iam a Burmanno laudatus locus* Vellej. Paterc. 2, 46. Cum deinde *immanes* res vix pluribus voluminibus explicandas C. Caesar in Gallia ageret,

IMMANSVETVS, *crudelis, ferox; de Polyphemo* Met. 14, 749. Antiphatae memores *immansuetique* Cyclopis Ire negabamus; et tecta ignota subire. *Notum est, plura eiusmodi epitheta maximam vim habere, in priuatione simplicium verborum positam. Sic* illaudatus Busiris *Virgilii culpatus Gellio libr. 2, c. 6. et* Bailio; *defensus a Clarkio ad Homer. Il β. 269. vbi plura loca adducta leges. Est vero locutio adeo vacua ab difficultate, adeo frequens, vt mirer, qui factum sit, vt Burman. inficetam adnotationem Mariang. Acurs. ad ponere, nihil ipse monere potuerit. Explicat Mariang. Acurs. ridicule h. l.* „*Mansuetum*, quasi *manu assuetum*, quod „omnia, „quae sunt natura fera, „manuum permulsione „mitescant, Pompeio dictum est. Nullum ve„to esse animantium tam „asperum, terribile, „bar-

„barbarum, immane, „ferum, infandumque „creditur, quod non „quandoque hominum „ad manus veniat, ci„cueretur et manſueſcat. „Qui igitur *immanſue„tus* eſt, is demum trux, „violentus, inhumanus, „atque immanitate tri„ſtior videri poteſt. „ *Et quid his velis, Mariangele! Satis ex te audiuimus. Ceterum iſti duo Ouidii verſus expreſſi et mihi videntur, vt tibi, ex* Odyſſ. κ. verſ. 199. ſeq. μνήσαμενοις ἔργων Λαιϛρυγονος Ἀντιφαταο κυκλοπος τε βιης μεγαλητορος ἀνδροφαγοιο. ad verſ. 253. cf. odyſſ. κ. 207. ſq.

IMMINERE, *de eo qui adeo propinquus eſt, vt iam fere in eo ſit, vt tangat.* Met. 1, 541. tergo fugaci *imminet.*

IMMISSVS, capilli immiſſi ſ. *fluentes paſſi* Met. 5, 338. Surgit et *immiſſos* hedera collecta capillos Calliope. *Nec iſta actio mouere parantis Muſae caret venuſtate, ſic et propendentibus, vt notum; ſed tamen explicantur fuſe ad* Met. 6, 168. Mouen que decoro cum capite *immiſſos* humerum per vtrumque capillos. Conſtitit. ab *Heinſio et Burmanno qui opera abutuntur in probanda lectione labefactata, vti putant a Barthio, qui legat* immenſos — capillos. *An critici ſoli vel in ridiculis formidandi, et docta vbertate repellendi?* * Met. 12, 651. Faſt. 1, 503. Vtque erat *immiſſis* puppim petit ante capillis. Triſt. 1, 3. ibid. 3, 4, &c.

IMMITIS, *fata immitia.* Met 13, 260. Exitioque dedi cum Cherſidamante Thoona Et Charopen, *fatisque immitibus* Ennomon actum. cf. Homer. Iliad. 2, 677 ſeq. *vnde omnes hi verſus expreſſi.* * Immitis vrna, *de ea vbi calculi ponuntur damnantes.* Met. 15, 44. Nunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis? et omnis calculus *immitem* demittitur ater in vrnam.

IMMVNIS operum, *de feriante, vacante labore* Met. 4, 5. festum celebrare sacerdos *Immunes operum* dominos famulosque suorum Pectora pelle tegi (*hic enim habitus Baccharum vid.* Met. 6, 592.) crinales soluere vittas (*passis comis enim faciebant sacra*) Serta (*e pampinis et hedera*) coma, manibus frondentes sumere thyrsos Iusserat. *classicus est de Bacchis* seu *Thyadibus, earumque habitu locus.* Trist. 4, 2, 62. Illa (*mens*) meos oculos mediam deducit in vrbem; *Immunes* tanti nec sinit esse boni. *carentes.*

IMPAR: modi impares; *de versibus elegiacis.* Trist. 2, 220. scilicet imperii, Princeps, statione relicta, *Imparibus* legeres carmina facta modis? Trist. 3, 1, 4. Clauda quod alterno subsidant carmina versu. *et:* Adspicis alternos intremuisse pedes. *vid.* Intremiscere.

IMPATIENS viri, Fast. 6, 288. Vtraque nupserunt; ambae peperisse feruntur. De tribus *impatiens* restitit vna viri i. *virgo. agitur de Vesta, filia Saturni.* * impatiens irae, *character Aiacis* Met. 13, 3. Vtque erat impatiens irae Sigeia toruo Litora prospexit classemque in littore vultu, Intendensque manus. *Recte ex Homero expressit hanc Aiacis naturam, et pulcherrime talem heroa loquentem induxit sequentibus longe praestantissimis versibus, oratione, si vlla alia, morata. Nota inprimis discrimen orantis Aiacis et Vlyssis: ille non pari eloquentia vtitur, sed simplicis veritatis oratione; in principio turbulentiori, quippe iratus. Animaduertes etiam iactantem quasi virtutes eum, et plane prae se ferentem. Virtute et factis laudem quaerit, non dicendi facultate: Exprobrat Vlyssi pessima quaedam facta, seque et generis nobilitate et rerum gestarum splendore dignum profitetur, cui clypeus Achillis concedatur. Alter contra*

et

et ipse plane eundem se praebet, qualem se sistit vbique Vlysses Homereus; callide dicit et veteratorie, colorata vtens oratione, maiori quam ille arte, nobilioribus luminibus. Adscribere iam libet notam Burm. „Imitatum esse »hic Ouidium veteres »poëtas, Pacuuium et »Attium, qui fabulas »ediderunt, passim a »Grammaticis laudatas, »quibus nomen fuit, *armorum iudicium*, o»stendit Bernard. Martinus libr. 4. Var. lect. »15. sed praeter alios »etiam Aeschylus scripserat olim ὁπλων κρισιν »quam citat Schol. Sophocl. Aiac. 190. Anstisthenes etiam scripsisse »videtur orationes Aiacis et Vlyssis, vt con»iiciunt ad Diog. Laert. »6, 15. viri docti.„ *Ceterum pro* litora prospexit; *Heinsius emendat*: Litora respexit. *temere! cf. vero de arte harum orationum, de quibus modo diximus*, Quintil. 5, 10. p. 222. ed. Gesner.

IMPEDIRE frenis equos, *pro* coercere. Fast. 2, 736. tollamur equis, Vrbemque petamus. Dicta placent: *frenis impediuntur equi.*

IMPELLERE, *auras mugitu*, Met. 3, 21. Mugitibus *impulit* auras. *Poëtis hoc credo solis vsitatum.*

IMPENDERE sanguinem in aliquem, i. *pro aliquo fundere; eleg.* Met. 13, 266. At nihil *impendit* per tot Telamonius annos *sanguinis* in socios.

IMPERCEPTVS *pro* non perceptus, non cognitus, *noue factum vocab.* Met. 9, 712. *Impercepta* pia mendacia fraude latebant.

IMPETE, *pro* impetu. Met. 8, 79. *Impete* nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis Fertur.

IMPLERE, *hortari*, Met. 7, 120 Mirantur Colchi Minyae clamoribus *implent. Heinsius ad h. l. plures tales locos, vbi* implere *est* hortari *ex* Virgil. Aen. 7, 474. Silio, 1, 105. *et* 5, 150. Statio et Valerio Flacco *attulit. Sed facile intelligitur respicere h. v. ad*

clamorem et vocem vocantium. ad vers. 122. cf. Apollon. Rhod. 3, 1175. sqq. et Hygin Fab. 151. * Deos muneribus implere *dicuntur sacrificantes plurimas magnasque victimas. vbi vel* Dii *pro* altaribus *accipiend. quae implent victimae; vel* implere Deos *est placare, quasi implere eorum mentem, animum, vt apud Terent.* Hec. 1, 1, 11. animum explere *pro* voluptatem capere. Met. 7, 428. fouet ignibus aras Muneribusque Deos *implet.* * Implere conuiuia dictis; *de confabulantibus* Met. 13, 676. Talibus atque aliis postquam conuiuia dictis *implerunt.*

IMPLICARE *proprie, vt sit, innectere, sich umschlingen. Familiaris Ouidio vox, sed plerumque summa cum vi.* Met. 1, 762. Brachia collo *implicuit* Met. 4. nitentem contra elabique volentem *Implicat*; (*auget vim vocis h. l. addita veritatis luce collustrata comparatio*) vt serpens, quam regia sustinet ales sublimemque rapit; pendens caput illa pedesque Adligat; *vide* Sustinere: *addit* Ouidius h. l. et cauda spatiantes *implicat* alas. *bene* spatiantes: *quod vide. Sed* Heinsius *damnat τὸ* implicat, *quia idem verbum iam affuisset* vers. 362 *et reponit* impedit. *frustra! non meminit forte hanc fuisse leuitatem poëtae nostrae, vt sibi indulgeret saepius in repetendis, et in deligendis verbis, hanc fuisse fortunam, vt emendare opus hoc non posset. Praeterea de eadem re, in eademque comparatione haec vox occurrit apud* Virgilium, *gemino loco plane nostro:* Aen. 11, 751. Vtque volans alte raptum (*sustentum*) cum sulua draconem Fert aquila *implicuit*que pedes, atque vnguibus haesit; *quam comparationem cum Homerica comparat* Macrob. libr. 5, 15. *ex quo primo fonte forte vterque Romanus hausit.*

IMPORTVNVS: fata *importuna*. Met. 10, 635. quodsi felicior essem, Nec mihi coniugium fata *importuna* negarent.

IN *per tmesin separatum ab verbo quicum compositum erat, apud Ouid.* Met. 1, 231. *In* dominum *dignos* euerti tecta penates h. e. *euerti tecta penates* indignos domino. *Vult ita ill. Hommelius in libro: Einfaelle und Begebenheiten* pag. 18. *Gesnero autem praeplacet interpraetatio Gronou. obseru.* 3, 19. *et a Burm. ad h. l. prolata;* euerti tecta et conieci in penates domino dignos i. *in penetralia illa polluta sceleribus domini. esset tum breuiloquentia, quae apud Ouidium valde frequenter reperitur,* euerti in penates *pro* euerti et conieci in p. *Leg. tamen est, quomodocunque accipias:* In *domino* dignos e. t. p. *non* dominum. * Fast. 6, 316. *In* multo nox est peruigilata mero. * *in* cor percutere Met. 5, 384. Inque cor hamata percussit arundine ditem. *Sed parum elegans videtur* Percutere in cor. *lego hic itaque cum Burmanno:* Inde cor hom. p. arundine Ditis. *Certe* Ditis *fuit in vno codice.* * crescere *in* caput Met. 5, 547. *vid.* Crescere. * *In* aliquo *pro* contra aliquem Met. 4, 546. nimium *in pellice* saeuae i. e. *contra pellicem et.* Met. 6, 635. scelus est pietas *in coniuge* Tereo. *aduersus coniugem.* Met. 9, 274. Neque adhuc Stheneleius iras soluerat Eurystheus odiumque *in prole* paternum Exercebat atrox. *contra prolem.* * In, *ad* Met. 12, 13. serpere caeruleum Danai videre draconem *In* platanum. *tatus vero locus expressus est sedule ex* Homero Iliad. β. vers. 799. seqq. *vbi eadem res a Nestore narratur; latinis versibus iam reddiderat* Cicer. de diuin. libr. 2, c. 30.

INAMABILIS, *odiosus* Trist. 5, 7, 43. Siue locum spectо, locus est *inamabilis*; et quo Esse nihil toto tristius orbe

poteſt. *Sic* Pont. 1, 6, 5. Non cadit in mores feritas *inamabilis* iſtos.

INAMBITIOSVS, *vox ab Ouidio nata, eique propria* Met. 11, 766. Secretos montes et *inambitioſa* colebat rura. *carentia ambitione, honorum, diuitiarum &c. vide vocab* Ambitio in I. Parte Clav.

INANIS, *inferiae* inanes, *audacter, quae dantur tumulo inani* Met. 12, 3. tumulo quoque nomen habenti *Inferias* dederat cum fratribus Hector *inanes. cenotaphio; namque, vt conſtat, ſolebant mortuis, quorum corpora non inuenire poterant, monumenta et ſepulchra exſtruere inania; quoniam vmbra ſtyga paludem tranſire non poterat, niſi nactus ſepulchrum. Alii legunt:* tulerat *pro* dederat; *quod, niſi h l. verius, certe elegantius;* inferiae *enim a* ferendo *dictae* ferri *ſaepius dicuntur. Sic et* Triſt. 3, 3, 14. feralia munera *ferre* &c.

INATTENVATVS, *non minutus*, Met. 8, 844. *Inattenuata* manebas Tum quoque dira fames. *Videtur ſolitus Ouidio luſus eum ad hoc fingendum vocab. pepuliſſe non auribus quidem illud meis placens.*

INCAEDVVS: ſilua Incaedua *erat ſacra, quam caedere cuiuis erat nefas* Faſt. 1, 243. Hic vbi nunc Roma eſt, *incaedua* ſilua virebat.

INCANVS, *valde canus* Met. 8, 809. Labra *incana* ſitu: *in imagine famis. At quae ſpecies!* Hirtus erat crinis, caua lumina; pallor in ore: Labra *incana* ſitu: ſcabri rubigine dentes (*Nonnulli legunt* ſcabrae rubigine fauces, *et ita Burm. edidit; non deſinio, attamen horribiliores* fauces *et vix tolerandae mihi videntur; dentes iam quidem praeceſſerant.* v. 807. Vnguibus et raris vellentem dentibus herbas; *ſed hoc non impedit, quo minus hic deſcribi poſſint.*) Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſunt: oſſa ſub incuruis exſtabant arida lumbis: Ventris erat

erat pro ventre locus. Pendere putares pectus et a spinae tantummodo crate teneri. Auxerat articulos macies, genuumque tumebat Orbis et immodico prodibant tubere tali. *Singula ipse perpende, et vide, anne imago sit magis odiosa, quam iucunda lectu.*

INCEDERE, *loquendo, culpare, increpare* Met. 5, 102. Quoniam prohibent anni bellare, loquendo Pugnat et *incessit*, sceleratque deuouet arma. *Possit tamen etiam h. l.* incedere *proprie accipi, interea dum* pugnat loquendo, *et clamat, procedit vltra ad proeliantes. sed prius malim.*

INCERTVS: medicamina *incerta, sunt arcana* Met. 4, 388. Motus vterque parens nati rata vota biformis Fecit et *incerto* fontem medicamine tinxit. *bene* tingere.

INCESTVS: voces incestae, *de mimicis* Trist. 2, 503. Nec satis *incestis* temerari *vocibus* aures.

INCINCTVS *pro* cinctus Fast. 5, 337. Ebrius *incinctis* philyra conuiua capillis. *Sic et ibid.* 207. Horae *incinctae* vestibus; *et ibid.* 675. Huc venit *incinctus* tunicas mercator. i. *ornatus cingulo; e quo marsupium auri monetalis propendebat. Hic vetus mercatorum habitus.*

INCOMMENDATVS, *neglectus, contemtus, susque deque habitus.* Met. 11, 435. Cum semel emissi tenuerunt aequora venti Nil illis vetitum est, *incommendataque* tellus Omnis et omne fretum. coeli quoque nubila vexant. *Sic* illaudatus Busiris, *pessimus* Virg. Aeneide. cf. omnino Clark. ad Homer. Iliad. β. vers. 269. *Heinsius coniicit legendum loco*: tenuerunt aequora venti; tenuerunt coerula fratres; *quia* aequora *et* venti *iam praecessissent. Sed male!*

INCREPARE Fast. 6, 810. doctae assensere sorores (Musae) Adnuit Alcides, *increpuit*que lyra. *Ita leg. non* lyram, *vt Heinsius ex vno codice emendauit temere. Sensus:* tacta

tacta paullo asperius lyra finem canendi mihi imposuit. cf. similem locum Hor. Od. 4, 15, 8. *Aliud est enim* increpare lyram i. *pulsare* v. c. in Epist. Ouid. Heroid. 3, 118. Tutius est iacuisse toro, tenuisse puellam, Threiciam digitis increpuisse lyram, *quem versum noster repetit Amor.* 2, 11, 32. *Sed loco notato Fast. alienus plane ille sensus.*

INCVMBERE Met. 7, 858. Ne thalamis auram patiare *incumbere* nostris. *Antiqui codd. habent* innubere; *vt recte edidisse Burmannus videtur.* * incumbere ad aliquem, *noue dictum* Met. 9, 386. Et quoniam mihi fas ad vos *incumbere* non est. *Libri variant; alii:* fas non est incumbere vobis: *alii:* vobis incumbere non est. *Sed lectio insolentior non mutanda in vsitatiorem.*

INCVRSARE, *cum dandi casu*, Met. 2, 205, altoque sub aethere *fixis incursant stellis. Heins. leg. censebat:* fixas Incurs. stellas.

INDE Met. 2, 152. inuito grates agit *inde* parenti; *propter illas, sc. habenas datas.*

INDECLINATVS, *firmus, constans.* Trist. 4, 5, 24. Teque, quod est rarum, praesta, constanter ad omne *Indeclinatae* munus amicitiae.

INDELEBILIS, *nouum Ouidii vocabul.* Met. 15, 876. parte tamen meliore mei super alta perennis Astra ferar: nomenque erit *indelebile* nostrum. *Ridicule Glareanus Platonicorum placitum de immortalitate animae hoc loco Ouidio tribuit, et Christianis pudorem ab Ouidio incutere studet. Ridicule Burmannus hanc notam nec omisit in Editione sua, nec vno verbo notauit.* * Pont. 2, 8, 25. secli decus *indelebile* nostro. *ad Augustum.*

INDELIBATVS, *incolumis* Trist. 1, 5, 28. Dum iuuat et vultu ridet Fortuna secundo *Indelibatas* cuncta sequuntur opes.

INDERE, *ex vera lectione* Met. 7, 790. dum digitos amentis *indere* tento. *Praue apud nos* addere; *quod vide.*

INDEVITATVS, *non euitabilis.* Ov. Met. 2, 605. *Indeuitato* traiecit pectora telo.

INDEX, *lapis index dicitur qui etiam Lydius, et apud* Plin. Hist. Nat. 33. S. 43. coticula; *quo aurum aliaque metalla spectantur et probantur; in hunc a Mercurio mutatus* Battus apud Ov. Met. 2, 706. *quoniam contra datam fidem furta indicarat. vid. Erasmi Adag. in h. voc.*

INDIGNANDVS, *pro* indignus. Met. 8, 662. vilisque vetusque Vestis (*intell stragula*) erat, lecto non *indignanda* saligno.

INDIGNVS, *qui meliorem sortem meretur* Met. 1, 631. *Indigno* circumdat vinculo collo. *Eleg.*

INDOLESCERE l. *indolere, cum genit. constr. apud Ouid.* Met. 2, 788. *successorumque* Mineruae *Indoluit; sed Burm. leg., vt verum videtur etiam,* successurumque M. I. *sc. mandatum Mineruae euentum suum habiturum esse, doluit.*

INDOTATVS Met. 7, 611. Aut inhumata (*corpora*) premunt terras aut dantur in altos *Indotata* rogos. *Intell. de more eorum temporum, quo cetera iniiciebantur in rogos, et ab amicis munera. Res nota, ex plurimis locis.* Tibull. 2, 4. Seu veniet tibi mors, neque erit qui lugeat vllus Nec qui det moestas munus in exequias. *Graecis talia munera ἐνταφια dicta. Mirum itaque, interpretes hallucinatos esse, quid sibi h. l. velint* indotata corpora.

INDVRESCERE, *fieri lapidem.* Met 4, 744. Virga recens, bibulaque etiamnum viua medulla vim rapuit monstri, tactuque *induruit* huius. *Sed nescio, quomodo illud* huius *h. l. duritiem mihi creat. Certissime hunc versum Ouidius*

dius emendaturus, si licuisset, erat.

INERMIS Trist. 2, 34. Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iupiter; exiguo tempore *inermis* erit. *Arma Iouis sunt fulmina; eleg. igitur* inermis erit, *fulmina ei deficient.*

INERS, *sine forma, incultum, horridum*, unförmlich. Met. 1, 4. Nec quidquam nisi pondus *iners, de prima rerum confusione; observa hic elegantiam imaginis* ponderis inertis. * *praeclarum Stygis epitheton; notat lentum flumen, pigrum, et multo limo squalidum, iens cum inertia quadam.* Met. 4, 434. Styx nebulas exhalat *iners:* vmbraeque recentes *(modo aduentantes ex terra)* Descendunt illac, simulacraque functa sepulchris, *(quia, vt notum, qui caret sepulchro, Stygia cohibetur vnda)* * *timidus, opp. forti* Fast. 5, 286. Vindice seruabant nullo sua publica vulgus Iamque in priuato pascere *inertis* erat. *quia scil.* in morem venerat populi depascere saltus vers. 283. * letum, *suauiter de equo laborante morbo, e pestilentia orto.* Met. 7, 546. Ad praesepe gemit leto moriturus *inerti; nempe leto, quod tanquam ignauo cadit, et sine sanguine. vt ipse poëta dicit* Met. 8, 518. *Ridiculum est velle mutare lectionem, et ponere cum Burm.* fato *pro* leto, *aut cum Heinsio:* languore obiturus inerti *aut* torpore re ab. in. *Sapere scribendi et emendandi principium et fons.* * voluntas, *belle, non iners voluntas de eo, qui cum ardore cupit, maxime in loci perpetuitate eleganter.* Met. 8, 681. Super omnia vultus accessere boni: nec *iners*, pauperque voluntas. *Suauissime non pauper voluntas de pauperibus, qui cum contentione volunt, etsi non possunt.* * Met. 15, 148. Iuuat ire per alta Astra: iuuat terris et *inerti* sede relictis Nube vehi. *iners sedes eleg.* opp. astris.

INEX-

INEXPLETVS: lumen *inexpletum; suauiter de oculis, qui videndo quasi satiari non possunt.* Met. 3, 439. *de Narcisso* spectat *inexpleto* mendacem *lumine* formam.

INFAMIA, *infamis* Fast. 1, 552. Lacus Auentinae timor atque *infamia* silvae. *sin vero infamiam referas ad siluam, infamia siluae est, qui infamem reddit siluam.*

INFAMIS ala strigis *h. e. fama habita venefica.* Met. 7, 269. Addidit exceptas Lunae de noctae pruinas, strigis *infames* ipsis cum carnibus, *alas. Bene* infamis *dictus* strix, *cuius diffamata damna erant; namque nocte volat, pueros que petit nutricis egentes Et vitiat cunis corpora rapta suis. vid.* Fast. 6, 139. sq. *Striges ipsae a vulgo mulieres venificae habitae, conuersae in istas aues. Male igitur Burm. voc.* infames *hoc l. mutari cupit in* informes, *i. e. foedas, implumes; cuius emendationis nullam aliam caussam affert, quam quod alii auctores voce* informis *usi sint, cum de informibus rebus scriberent. Felicior forte est coniectura Heinsii in praeced. vers., quem ita constituit:* Addit et exceptas Luna pernocte pruinas. *Certe eleganter* Luna pernox *dicitur; et si vulgata lectio valebit;* pruinae Lunae *paullo insolentiores exunt; opto saltem, Ouidium ita scripsisse, vti coniicit Heinsius, et edidit etiam Burmannus.*

INFANS: ossa infantia, Met. 4, 518. rigidaque infantia saxa Discutit ossa ferox; *ad monendam misericordiam imago aptissima, et vere παθητικη. Similis illi fere scenae in* Klopstockii Messia, *vbi* den kleinen zarten Benoni der Vater an einen entgegenstehenden Felsen wirft &c.

INFECTVS, pensa infecta; *quae nondum sunt exacta, noue dictum ab Ouidio: saltem nusquam sic occurrit, quod quidem sciam.* Met. 4, 10. Telasque calathosque

infa-

infectaque penſa reponunt, Turaque dant.

INFERIAE inanes Met. 12, 3. tumulo quoque nomen habenti *Inferias* dederat cum fratribus Hector *inanes*. *vide* Inanis.

INFESTVS, *qui infeſtat, vt ſaepius et alibi, de terra, vbi nos dicimus* unſicher. Met. 4, 619. Vnde frequens illa eſt *infeſtaque* terra colubris. *Hunc locum forte reſpexit* Pompon. Mela libr. 3. c. 10. Prima eius Aethiopes tenent, media nulli, nam aut exuſta ſunt, aut arenis obducta, aut *infeſta* ſerpentibus. *Sunt qui loco* Ouidii *cit. legant* infecta *pro* infeſta. * iratus. Met. 8, 172. *infeſtae* famulus, vindexque Dianae.

INFICERE Met. 43, 602. Corruit igne rogus: nigrique volumina fumi *Infecere* diem. *colorem atram induxerunt. belle! adde pulchram comparationem:* Veluti cum flumina natas Exhalant nebulas, nec ire admittitur infra.

INFIGERE Met. 11, 387. colloque *infixa* mariti Mittat vt auxilium ſine ſe, verbisque precatur Et lacrimis. Ciofanius *in nonnullis libris inuenit:* colloque *infuſa* mariti; *quae lectio etiam probata eſt Burmanno, ab eo edita. Sed, licet forte ſuauis ſit ſenſus, non tamen video, cur remuentibus plerisque aliis libris, mutemus vulgatam lectionem.* Infixa collo *elegans eſt imago ardenter petentis, et amantis feruide.*

INFRAGILIS vox; *expreſſa graec.* ἀρρηκτος φωνη. Hom. Iliad. β 490. *quem locum imitatus eſt* Ouidius Triſt. 1, 5, 53. Si vox *infragilis*, pectus mihi firmius aere Pluraque cum linguis pluribus ora forent.

INFRINGERE Triſt. 2, 412. Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem, *Infregiſſe* ſuis fortia facta modis. *bene* infringere; *narrare vt infracta fuerint, debilitata, eneruata facta fortia. Quem * auctorem Ouidius innuat, parum conſtat. Heinſius sotadem intelligit, cuius illas ab Hephae-*

Hephaestionis Scholiaste citatur. Sotadium *carmen autem, vt ex grammaticis tam graecis, quam latinis discimus, valde eneruatum erat, vide* Quintil. 1, 8. *Burmannus elegiographum alium quemdam cum* Micyllo *intelligit, quia Sotades non Achillem solum, sed alios heroes Iliados molles fecisset. Coniicit postea, forte Sophoclis ἐρασας indicari. Res incerta, sed tamen ego Heinsio accedo; licet enim Sotades alios etiam heroes molles fecerit, tamen propter principem totius Iliadis heroa bene Ouidius dicere potuit:* Mollem quod fecit Achillem. *Obiter noto, doctos viros dissentire, quis ille* Aristides vers. seq. 413. *fuerit. Longum esse mihi non licet, et, si omnia dixissem, quae dici possint, tamen nihil aliud efficerem, nisi vt probarem, ignorari eum Aristidem. Forte est is, quem scripti spurcissimi auctorem memorat* Arrianus in Epictet. 4, 9. *et Harpocration in* Δερμιστης. cf. Angeli Polit. Miscellan. 16.

INGENS: verba ingentia, *iactantia* Met. 13, 340. Fortis vbi est Aiax? vbi sunt *ingentia* magni *verba* viri? *bene* ingentia *magni* v.

INGRATVS Met. 2, 780. *de inuidia;* sed videt *ingratos*, intabescitque videndo, *successus* hominum. *h. e. felices, qui sibi sunt valde iniucundi, non grati; id enim proprie ingratum. Non probo emendationem Fabri legentis:* Sed videt ingratis &c. *i. ingratiis, inuita, nec sine dolore.*

INHIBERE, *monere ne facias* Met. 9, 124. Orbes concubitus vetitos poterant *inhibere* paterni. *vide* orbis.

INHONESTARE, *vox Ouidiana, forte ab eo nata, pro dedecorare* Trist. 4, 8, 19. Ne cadat et multas palmas *inhonestet* adeptas Languidus in pratis gramina carpit equus. *Scil. equi, quibus in ludis Olympiacis et aliis vsi erant, adepti victorias cum senio con-*

ficerentur, *libere per prata vagabantur. Bene* Ciofanius *putat respexisse Ouidium forte illud Ennianum:* Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit. *Bene* ne multas palmas inhonestet; *ne gloriam multarum victoriarum turpet*; *vt mirum sit, quid cogitauerit Burmannus, qui vitium esse in τὸ* multas *putat, et aut* turpis, *aut* lentus *legendum coniicit.*

INIQVVS, *damnosus, grauis, qui infert detrimenta.* Fast. 2, 629. Et soror et Progne, Tereusque duabus *iniquus.* vid. Part. I. Clav. in h. voc. * Met. 9, 475. Ille quidem est oculis quamuis formosus *iniquis, alienis ab amore, non blandis.* Et placet et possum, si non sit frater, amare. * iniquus rumor. Fast. 4, 306. Casta quidem: sed non et credita, rumor *iniquus* Laeserat et falsi criminis acta rea est.

INITVS, Venus per suos *initus* continet omne genus. Fast. 4, 94. h. e. *per animalium coitus, quibus Venus praeest, omne animalium genus conseruat.* Initus *enim voc. perinde, vt ipsum* ineundi *verbum de re venerea vsurpatur.*

INNOCVVS, *innocens,* Trist. 2, 273. Discitur *innocuas* vt agat facundia causas, Protegit haec sontes *immeritus*que premit. *cf. h. voc. in Part. I. Clauis.* Trist. 3, 9, 26. *Innocuum* rigido perforat ense latus. *Adde* Fast. 1, 442. et 2, 623.

INNVBA; *vocab. ni fallor, ab Ouidio factum.* laurus innuba Met. 10, 92. *quare dicatur, notum. sic et* Met. 14, 147. Permaneo innuba; *namque perpetuam virginitatem coluit.*

INOBSERVATVS Met. 4, 341. Vt puer et vacuis vt *inobseruatus* in herbis Huc it et hinc illuc: Ad. Met. 2, 544. Fast. 3, 111. *Videtur Ouidius primus hoc vocabulo vsus.* * Fast. 3, 111. Libera currebant et *inobseruata* per annum Sidera,

ra, constabat sed tamen esse deos.

INOFFENSVS vita *inoffensa eleg.* felix *dicitur, translatione ducta a cursu in stadio, vbi qui non offendit, felicem transigit cursum* Trist. 1, 9, 1. Detur *inoffensae* metam tibi tangere vitae Qui legis hoc nobis non inimicus opus. Metam tangere *bene, namque tales metae tres erant in Circo, in medio, et vtroque fine. Hinc decurso spatio meta tangebatur. Non opus vt cum Burman. dicamus, in hac Metaphora a stadio desumta semel modo decurrere licere. Anne, qui iterauit cursum, et tandem finit, non venit ad metam?*

IN QVANTVM *pro* quatenus *ante Ouidium neminem dixisse iam alii docti viri adnotarunt ad Met.* 11, 71. Quippe pedum digitos, *in quantum* quaeque secuta est, Traxit. *Burm.* „Sed si licuerit dicere *in tantum*, quo saepius Velleius vtitur vid. libr. 1, 13, 2. 53. et 120. et ipse Virg. Aen. 6, 876. non video cur non *in quantum* etiam„ *Recte, sed tamen obseruari meretur, quo in primo auctore inueniatur.*

INSANVS lacertus, *de insana* Fast. 6, 497. Huc venit *insanis* natura complexa *lacertis.*

INSCRIBERE Met. 6, 74. sua quemque Deorum *inscribit* facies. *Notat, indicat.* * *de formatis notis in flore, quae reddunt quasi litteras.* Met. 13, 397. Litera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis: haec nominis, illa querelae. *cf. voc.* Ai. *Met. 15, 178. Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos *Inscripsere* Deos sceleri, *socios sceleris adsciuere; auctores fecere.* sic et Met. 10, 199. mea dextera leto *Inscribenda* tuo est.

INSERERE, brachia, *de luctantibus.* Met. 9, 57. Vix tamen *inserui* sudore fluentia multo Brachia. *Sed* inserere brachia

chia *vix dici de eo potest, qui iam tenetur ab aliquo, qui tergo eius inhaeret. Longe elegantius est, vt habent nonnulli, et Editio Burm.* Vix tamen exserui sudore &c. cf. Fast. 1, 409. et 2, 322. *bene* exserere *brachia dicitur, qui nexus hostis a corpore soluit.* cf. vers. 58. *Heinsius coniicit leg.* asserui *pro* inserui *vel* exserui; *quod sibi impense placere dicit. At mihi nihil temere placet.* * arma, *pro* induere Met. 13, 166. Arma ego foemineis animum motura virilem Mercibus *inserui. Achilli latenti sub habitu virginis in insula Scyro.*

INSIDIOSVS, limina *insidiosa, vbi factae insidiae* Met. 7, 746. *Insidiosa* malo cum coniuge *limina* fugit. *fecerat ei malus coniux ipse insidias, tentans eius pudicitiam. Fabulam omnem eleganter, licet comica arte, et diuersa ratione, narratam, de Cephalo et Procri legere poteris et conferre cum Ouidiana narratione in suauissimi* Wielandii komischen Erzählungen. Fab. 4.

INSOMNIS draco Met. 9, 190. Pomaque ab *insomni* non custodita draco ne. *Sed nihili est illa lectio:* non custodita *dici nullo modo possunt. Sunt qui legant*: concustodita; *sed melior est lectio Burmanni*: Pomaque ab insomni male custodita dracone. *Sic* male *pro* frustra *saepius, vide* Male.

INSONARE Met. 13, 608. Et primo similis volucri, mox vera volucris *Insonuit* pennis: pariter *sonuere* sorores innumerae; quibus est eadem natalis origo.

INSTABILIS Met. 1, 16. *sic erat* instabilis *tellus, non solido densoque adhaerescens, de Chao loquitur poëta * de eo, qui aequilibrium, quod vocamus, tenere nequit.* Met. 2, 164. vtque labant curuae iusto sine pondere naues, Perque mare, *instabiles* nimia leuitate, feruntur. *est docta vero tota comparatio cum curru Solis recto a Phaëtonte.*

IN-

INSTITA, *fascia tenuis et lata, quae togae subsuta stolam efficit, vestimentum matronarum, vnde et pro matronis ipsis posita* Trist. 2, 248. Este procul vittae tenues, insigne pudoris Quae tegis medios, *instita* longa pedes. *Versus sunt ex Arte Ouid repetiti.* longa *instita dicitur, quia longiorem reddit togam, cui subsuta, vt stolam efficiat; et imos pedes tegat.*

INSTRVMENTVM, *ornamentum, sic enim centies instruere, vt* Fast. 3, 318, ibid. 4, 690. Trist. 1, 1, 9. Felices ornent haec *instrumenta* libellos, *minium, cedrus, s. oleum cedrinum, fucus purpureus membranae.*

INTEGER, *qui est aetate integra, h. e. florente* (cf. Ter. Andr. 1, 1, 45.) Met. 5, 50. egregius forma quam diuite cultu Augebat, bis adhuc octonis *integer* annis. *Alii legg.* octenis. *Sed praeplacet prius.*

INTENDERE animum, *si vera est lectio* Met. 6, 5. Moeoniaeque animum satis *intendit* Arachnes. *Sed nescio an poëticum satis, nec apud alios occurrit, si exceperis* Statium Theb. 6, 618. Arcades arma ferunt, armis defendere regem *intendunt: sed nec hic locus probat ipsam causam. respicit enim hoc verbum et hoc loco cursum aut actionem quandam, quemadmodum etiam occurrit in omnibus aliis poëtarum locis, quae laudauerat* Heinsius ad Valer. Flacc. 7, 114. *et ad quae prouocat* Burmannus *in loco Ouidii laud. vbi defendere conatur illud vocabulum. coniunctam vero phrasin* intendere animum *frustra quaeres apud poëtas.* Tacitus *eo quidem vsus, et alii orationis solutae scriptores; at nulli, quod equidem noram, poëtae. Praeterea friget locus noster Ouidii, si recepta consistit lectio.* Maeoniaeque animum satis intendit Arachnes, (Minerua). *Iam vero vnus Heinsii codex legebat:* incendit *pro*

intendit; satis incendit; *qui elegans sensus! irascitur fato illo laeta Arachnes, quo sibi aequatur arte* cf. seqq. vers. *Igitur legendum mihi videri libere fateor*: Maeoniaeque animum satis incendit Arachnes, Quam sibi lanificae non cedere laudibus artis Audierat. *Coniunctus locus maiorem addit sententiae meae vim et significationem.*

INTERIOR locus, *honestior, si duo ibant, habitus erat, vbi quisquam munitus pariete ambulat*: opp. exterior, *plura vide in* I. Parte Clav. in voc. Exterior. *Hinc intell.* Fast. 5, 68. Medius iuuenum, non indignantibus ipsis Ibat, et *interior* si comes vnus erat.

INTERNODIVM, *spatium inter nodos qui crura colligant et poplitem.* Met. 6, 256. qua mollia nodosos facit *internodia* poples. *Sed legendum est cum Burm.* Mollia *neruosos* facit internodia poples. Nodosus *et* internodia *dedecorant versum. In poplite autem nerui plurimi.* cf. Met. 8, 364.

INTONSVS *vetus, priscus* Fast. 2, 30. Hoc apud *intonsos* nomen habebat auos. *vide hoc voc. in I. Part. Clauis.*

INTRA Trist. 3, 4, 26. crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: et *intra* fortunam debet quisque manere suam. *Pessime Heins.* infra *legit.* Intra fortunam manere *est, accommodare se fortunae; sic Horatius dixit in Arte* vers. 59. intra spem veniae cautus *vt saepius* intra *vsurpat. Ceterum sententia prioris versus est illa Epicuri nota.* λαθε βιωσας.

INTREMERE Met. 4, 449. Quo simul intranit sacroque a corpore pressum *Intremuit* limen: tria Cerberus extulit ora. *Legendum est cum* Heinsio Ingemuit; *elegantius enim hoc et aptum τω* pressum, *et denique vsitatum in hac re. Denique eo magis accipiendum, cum idem vocab. occurrat* Aen. 6, 613. gemuit sub pondere cymba,

ba, *cui noster locus simillimus. compara quaeso ipse hos duo poëtas, et voluptatem capies non vulgarem. si de ipso vocab. plura vis, dabit* Heinsius ad Met. 14, 739.

INTREMISCERE *venuste* Trist. 3, 1, 56. Adspicis exsangui chartam pallere colori? Adspicis alternos *intremuisse* pedes. *de carmine elegiaco, alternis Hexametris et pentametris constantem; respiciente vocabulo timorem domini!*

INVIDERE Met. 4, 157. Componi tumulo non *inuideatis* eodem. *pulchre* non inuideatis; *et cum breuiloquentia, haud insolita Ouidio: non inuideatis vnum nobis tumulum, adeoque coniunctos eodem sepulchro condatis.*

INVIDIA, facere inuidiam *pro* conuiciis persequi Met. 4, 547. Vtque parum iustae nimiumque in pellice saeuae *Inuidiam fecere* Deae: conuicia Iuno Non tulit. *accusabant iniustitiae Iunonem. locutio ipsa*, inuidiam facere, *longe frequentissime occurrit, sed h. l. est exquisitiori significatu, quod imprecationes diras, et querelas acerbas exprimit.*

INVIDIOSVS, *odiosus, qui speciem iniucundam praebet.* Met. 5, 573. Toto nubila vultu Ante Iouem passis stabat *inuidiosa* capillis. *Ceres quaerens filiam raptam et iam fessa laboribus itineris implorans Iouem. Pingit haec imago Cererem iter facientem, et conturbidam mente, quam elegantissime! * de veteribus Romanis, quorum tenuis origo* Fast. 3, 433. O quam de tenui Romanus origine crevit! Turba vetus quam non *inuidiosa* fuit! * *Inuidiosior* mors, *horribilior, odiosior*, Met. 7, 605. Ante sacros vidi proiecta cadauera postes, Ante ipsas, quo mors foret *inuidiosior*, aras. * Inuidiosa comes Met. 8, 144. Gnosiacaeque haeret comes *inuidiosa* carinae. * Inuidiosa spes, *quae inuidiam inter alios simul sperantes facit.* Met. 9, 10. quondam pulcherri-

ma virgo Multorumque fuit spes *inuidiosa* procorum.

INVIDVS, iura inuida, *bene* Met. 10, 331. Quod natura remittit, *Inuida* iura negant. *vide* Ius.

IOCOSVS: Floralia iocosa Fast. 5, 183. *dicuntur propter lasciuiam in his ludis vsitatis, tum verborum, tum vestium*; &c. cf. loc. cit. vers. 289. et Valer. Maxim. libr. 2, c. 5. *namque* iocus *de rebus obscoenis dici solet* vt Fast. 4, 946. collat. Fast. 3, 738. et 695. et conf. Heins. ad Fast. 4, 868. *Sic et* ioci alienus Fast. 1, 396. Di quoque cultores gelidi venere Lycei, Et quicunque ioci non alienus erat. Panes et in Venerem Satyrorum prona iuuentus &c.

IRA pellicis *pro* in pellicem concepta. Met. 4, 235. it. vers. 271. *vid. de hac locutione* Broukhus. ad Propert. 9, 7, 65. *vt alios taceam.* * Met. 13, 544. Interdum toruos sustollit ad aethera vultus: Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera, nati; Vulnera praecipue, seque armat et *instruit ira.*

IRE sacris *pro* abire, *si vera lectio est.* Met. 6, 201. Ite satis propere sacris laurumque capillis Ponite. *Sed in omnibus istis et praeced. et seqq. versibus mira reperitur Codicum diuersitas et Editionum. Longum foret omnes diuersitates hic ponere. Iam adferamus lectionem editam a Burmanno; nam nostrae editionis lectio ne vnius quidem assis est; et deinde paucis verbis iudicium nostrum. Sic itaque legitur in Edit. Burm.* Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum Latonae turba quo quantum distat ab orba? Ite sacris properate sacris; laurumque capillis Ponite: deponunt; infectaque sacra relinquunt: Quodque licet tacito venerantur murmure numen. Indignata Dea est summoque in vertice Cynthi &c. *Quae lectio, an vera sit, dubito. Primum enim quam offenduntur aures illo similium sono*

tur-

turba — orba, *turba* quo quantum distat ab *orba? Deinde vero etiam, non minus, quam haec auris Ouidii superbia, quae aliunde satis ostenditur, et digna facilitate ingenii nostri poëtae est constructio illa contorta et contracta* turba quo quantum distat ab orba, *etiamsi cum Heinsio* quo *accipias pro* quo numero, *quod praecesserat proxime. Non tales fabricat versus Ouidius; fundit leues, elegantes. Vix Maeuius potuit detestabiliorem* illo *versu quenquam cudere. Quam male vero istum versum dedit Burmannus, tam bene omisit alterum, quem nobis* nonnulli libri, vt nostra editio ipsa, *obtruderunt; hac serie;* Quodque licet tacito venerantur murmure numen Latonae. turba quantum distabat ab orba Tantum animosa sui furiis agitata doloris Indignata Dea est; *quem rudem et inficetum versum iam alii viri docti iudicarunt. Sed in tanta librorum diuersitate, cum singuli quique singulas lectiones prodant, quid nobis faciendum? Non verba perdenda, vbi eorum vis immensa frustra effunderetur. Breuiter vt expediam, hoc est, dicam, quid sentiam: sic ego legendum totum hunc locum arbitror:* Fingite demi Huic aliquid populo natorum posse meorum? Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum; Latonae toruae, quae, quantum distat ab orba? Ite sacris, propere ite sacris; laurumque capillis Ponite: deponunt; infectaque sacra relinquunt: Quodque licet, tacito venerantur murmure numen. Indignata Dea est &c. *Si cui nimis audax nostra lectio videtur, videat quam audaces codices ipsi in hoc loco fuere, inter se tam mire dissidentes; quam facilis lapsus in voce.* toruae *et* turbae; *vt plerique legunt; quam reddat Antiouidianum versum vox* turba *hac serie?*

Lectionem alteram: Ite sacris: propere ite sacris, *sustentant MSS. pleraque, quae satis clare exhibent* propere; *unde viri docti fecerunt*, properate, *quae non est MSS. sed coniecturae lectio. Excidisse denique alterum* ite, *cum praecessisset*: ite sacris propere; *quis religiose dubitet? praeterea hoc modo totus locus Ouidianam rationem sapere mihi videtur. Plura addere nolo, ne aut mihi diffidere videar, aut renuentibus velle obtrudere.*

IRRITAMEN amoris, *philtrum, noue dictum* Met. 9, 133. Dat munus raptae, velut *irritamen* amoris. * Met. 12, 103. Haud secus exarsit quam circo taurus aperto Cum sua terribili petit *irritamina* cornu Phoeniceas vestes (*siue potius* Poeniceas, *vt admirabili plane abundantia et copia verborum probarunt viri docti ad h. l.*) elusaque vulnera sentit. *Irritari solebant tauri*, Bubuli *dicti*, *qui colorem puniceum aut rutilum non ferunt*, *purpureis vestibus aut pilis eius coloris.* cf. Martial. libr. spectac. 19. et 22. *comparatio ad rem cum summa laude delecta!*

ITERVM. Ov. Met. 2, 245. Arsurusque *iterum* Xanthus; *bene* iterum: *cum bis arserit. Primum cum in eum Vulcanus magnam ignis vim iniecit: deinde cum Phaëtontis est exortum incendium.*

IVGALIS, *elliptice, vt intell. equus*, Met. 5, 661. Rursusque per aera iussit Mopsopium Iuuenem sacros agitare *iugales. legunt nonnulli et ipse Burmannus* misit *pro* iussit; *et quia insolentior graecismus, forte etiam recipienda lectio est*: Mittere — — agitare. *Sic* Propert. 2, 16. Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas; *et saepius.*

IVGVM *noua et Ouidio propria significatione*, lignum illud quod textores textricesque telam conuoluunt; ad formam literae H. Met. 6, 55. Tela *iugo* vincta est; stamen

men secernit arundo: Insertus medium radiis subtemen acutis; Quod digiti expediunt atque inter stamina ductum, Percusso feriunt inserti pectine dentes. *Habes elegantissimam artis textoriae descriptionem, non minori ipsius poëtae arte, quae tam leuia tam venuste exprimit.* „Videtur autem Ouidius ingenioſe expressisse formam ingi, sub quo dedecoris causa victi hostes antiquitus transire cogebantur. Quod, vt Liuius ait, libr. 3. ab vrbe condita *tribus hastis fiebat, humi fixis duabus, superque eas vna deligata;* (*Forma, vt dixi,* II,) „*Haec et alia huc non facientia* Ciosan. *ad loc. l. Qui vero de hoc omni texendi instrumento plura cupiat, adeat* Casaub. ad Pers. Sat. 6, 73. *vbi fuse et docte super hac re disputatum.*

IVNONIGENA *epith. Vulcani, noua Ouidii vox.* Met. 4, 173. *Iunonigenaeque* marito furta tori, furtique locum monstrauit. *nota repetitionem Ouidii consuetam in voc.* furto. *Res ipsa, quo respicit poëta, narrat* Homerus odyss. 9.

IVS *pro* lege. Met. 10, 331. Quod natura remittit, Inuida *iura* negant. *bene* inuida! *Ceterum admirabilis est ars poëtae qua hoc modo secum agentem Myrrham inducit, et quatenus fieri potevat, excusatam reddit Myrrham de pessimo amoris genere, saltim apud se excusatum, et est ex natura ipsa deprompta ista cogitatio: Solent homines in tali causa, vbi cupiunt, nec debent, quaerere apud se ipsi excusandi omnes rationes. Simile exemplum dederat iam* Met. 9, in historia Byblis.

IVSTA, *sacrificia aut exequiae mortuis actae, scil. quia bene de nobis meriti fuerant, hinc apud* Ov. Met. 2, 627. *bene:* iniustaque iussu peregit, *de Phoebo, namque non admodum bene de eo fuerat merita Coronis vid. ipsi. loc. ita enim leg. certissime, pessime alibi legi.*

legitur iniuſtaque buſta peregit. * iuſta forma. *eleg. de Mercurio, nos forte diceremus* Geſchickte Geſtalt, Bildung *l. ſim. reſp. gall. adroit* Ov. Met. 2, 732.

IVVENIS annus Met. 7, 295. *iuuenes* nutricibus *annos* Poſſe ſuis reddi. *iuuentutem reddi, vt Aeſoni; vid. praeced. verſ.*

L.

LABI *pro* natare Met. 14, 8. Inde manu magna Tyrrhena per aequora *lapſus. bene* magna manus *tributa Glauco Deo, ſic tribuit ei* ingentes humeros Met. 13, 962. *ſubiicit praeterea rem ſenſibus locutio*: magna manu labitur Tyrrhena per aequora. * Oculi *labentes ſunt natantes, moribundi, non cum Burm. intell.* oculi hominis labentis. *imago facilis et nota* Triſt. 3, 3, 44. Nec mandata dabo, nec cum clamore ſupremo *Labentes* oculos condet amica manus?

LABOR *de fuga ab ſummo angore animi profecta, vaga et continua* Met. 1, 748. Vltimus immenſo reſtabas, Nile, *labori.* * *labores de itineribus eorumque difficultatibus frequentiſſime apud Quid.* Met. 5, 490. Met. 6, 340. *et* Met. 4, 295. Ignotis errare locis, ignota videre Flumina gaudebat, *ſtudio* minuentelabores, *alii* laborem: *nonnulli* fallente *pro* minuente, *quae lectio ducta forte ex illo loco* Horatii: Serm. 2, 2, 12. *Ouidio placuit credo adeo, vt inſcius hanc ſententiam ſaepius imitaretur vt* Met. 6, 60. *et* 14, 121. *Eſt et apud* Statium 12, 230. Quum tamen illa grauem luctu fallente laborem Neſcit abiiſſe diem. * *de inſania qua* paſſis fugerat male ſana capillis Ino Met. 519. (*quae et ipſa ingenioſa inuentio: ſummus in terra dolor creat inſaniam, vt recte etiam finxit Schakeſpearius regem Lear. et alios.*) verſ. Met. 4, 530. At venus immeritae neptis miſerata labores. ſic patruo blandita

ſuo

ſuo eſt &c. *bene h. l. Venus cauſa fingitur mutationis Inus in Deam: cecinit hanc mutationem* Idyllio longe *pulcherrimo Ramlerus, quem legiſſe et contuliſſe cum Ouidio non poenitebit.*

LABORARE Met. 2, 296. Atlas en ipſe *laborat, iamiam aeſtu corripitur et paene comburetur illico.* * *contendere, quaerere* Met. 13, 285. His humeris, his inquam, humeris ego corpus Achillis Et ſimul arma tuli, quae nunc quoque ferre laboro.

LABORIFER *epithet. Herculis cum ſumma laude ab Ouidio fictum* Met. 9, 286. *Laboriferi* cum iam natalis adeſſet *Herculis*, et decimum premeretur ſidere ſignum. *Imitatus eſt poſtea* Statius, *licet de alia re, Ouidii frequens aemulus* Theb. 6, 25. *ſed ibi cum parua, niſi nulla, vt opinor, laude.* * Met. 15, 129. iuuencus *bene dicitur* laborifer. Inſcripſere Deos, — numenque ſupremum Caede *laborifferi* credunt gaudere iuuenci, *vide Inſcribere.*

LABRVM, *de lauacris et fontibus, in quibus ſe lauabant Dryades et Diana.* Faſt. 4, 761. Nec Dryadas nec nos videamus *labra* Dianae, Nec Faunum medio cum premit arua die. *Noſter* in Ibide verſ. 479. Quique verecundae ſpeculantem *labra* Dianae, quique Crotopiaden diripuere Linon.

LACERTOSVS *validis lacertis inſtructus, robuſtus, bene agricolae, coloni, appellantur lacertoſi* Met. 11, 33. Dura *lacertoſi* fodiebant arua coloni.

LACRYMA: Heliadum lacrimae, *electrum* Met. 10, 263. et ab arbore lapſas Heliadum lacrymas cf. Met. 2, 304. ſeqq.

LACRYMOSVS *praeclarum epithet. Fumi, qui ſolet acrimonia ſua lacrimas oculorum ciere. imitatus eſt forte poëta Horatium* (vid. Serm. 1, 5, 80.) Met. 10, 6. Fax quoque quam tenuit, lacrimoſo ſtridula fumo (*bene* ſtridula, *de face, quae non luculenter ardens quaſi ſtridet*). Vſque fuit nul-

nullosque inuenit motibus ignes. *Numeros esse paullo duriores Heinsius notauit, ex duobus codd. reponens*, vtque furit, nullos inuenit motibus ignes. *Sed haec lectio reddit constructionem longe duriorem, quam vulgata, et numerum, nec ea quidem numerum sed rythmum potius durum efficit. Quare conseruandam vulgatam duco, plures sunt versi, quos Ouidius emendaturus, si licuisset, erat.*

LACVNARE, *lacunar formare. elegans et Ouidii noua vox* Met. 8, 565. summa *lacunabant* alterno murice conchae. *Bellae tecti Acheloi descriptio tota* cf. 561. seqq. *Quae fuerint*, lacunaria, *vide in hac Voce in* Part. I. Clauis.

LAEDERE *cum lusu verbi quodam* Met. 4, 191. sq. Inque vices illum tectos qui *laesit* amores, *Laedit* amore pari. *Est enim primo loco*, laedere amores, *turbare, offendere; altero vero* laedere amore, *idem ac amorem efficere, amorem iniicere. sed Ouidianum hoc vt cum maxime, ludere verbis, saepe etiam magna vi et efficacia, nec hoc loco temere. Relige totum locum et cf. praemissam commentationem h. libro: statim abhinc eundem vsum in verbo* vrere *comprehendes* vers. 195. Nempe tuis omnes qui terras ignibus *vris, Vreris* igne nouo; *pergit poëta*; quique omnia cerne debes *Leuchotoen spectas. Quae vltima vereor ne frigida sint, praesertim h. l. quum ea verba omnia conserat* Leuconoe, *fila ducens, quam profecto hae argutiae dedecent. Vix toleranda tandem quae sequuntur*: et virgine figis in vna quos mundo debes oculos.

LANGVIDVS: *pulere* languida aura Pont. 2, 1, 2. Huc quoque Caesarei peruenit fama triumphi, *Languida* quo fessi vix venit *aura* Noti. Fessus notus *eleg. quasi longo cursu fatigatus donec ad Getas peruenit. Ceterum ex mente Micylli ille* trium-

triumphas Tiberii Illyricus est intellig. qui eodem anno, quo haec a poëta scripta sunt, gestus fuit, proximo scilicet ante mortem Augusti; vti ex Suetonio constat. Heinsius contra refert ad Triumphum Tiberii de Dalmatis a senatu decretum A. V. C. 761. quinquennio ante excessum Augusti. sed triumphus dilatus est in opportuniora tempora, moesta tum ciuitate ob cladem Varianam. Pont. 4, 10, 14. *similis huic locus.* At notus aduerso tepidus quo spirat ab axe est procul et rarus, *languidiorque* venit.

LANIO Met. 1, 60. *lanient* mundum; *de ventis*, i. e. *rumpant, discindant, flamine furioso. eleg.*

LAPILLVS teres, i. *leuis et rotundus* Met. 10, 260. grataque puellis munera fert illi conchas, *teretesque lapillos; e littore lectos, quales in deliciis fuisse puellis Noster* Libr. Amor. 2, 11, 13. *significat.* Nec medius tenues conchas pictosque lapillos Pontus habet, bibuli litoris illa mora est. *Et quibus etiam solebant ludere. vide Casaub. ad Suet. Aug. c. 38.* Burm.

LATRATOR. Anubis. *Mercurius ab Aegyptiis sub canis figura cultus, custos habitus Osiridis et Isidis Anubisque appellatus* Met. 9, 691. sum qua (*Iside quae Ceres habita est Aegyptiorum*) latrator Anubis, Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis. *Bubastis eadem cum Diana perhibetur apud Aegyptios. cur Apis vero dicatur* varibus coloribus, *notum est, cum Apis Aegyptiorum bos varias habeat maculas.*

LAVS *fortitudo, virtus* Met. 8, 263. Iam lamentabile Athenae Pendere desierant Thesea *laude* tributum cf. vers. 170. seqq.

LEGERE saltus i. *eligere aptos ad venandum, lustrando quaerere bonos saltus* Met. 5, 579 Nec me studiosius altera *saltus Legit,* nec posuit studiosius altera casses. *Pontan.*

tan. et Farnab. reddidit legit *per* obiit, lustrauit; *et veri quiddam ineſt, namque per luſtrando, vt diximus h. l. quaeſiuit et elegit ſaltus, vbi venari et caſſes ponere bene poſſent.*

LEGITIMVS: verba legitima, *ſunt quae lex praeſcribit, quae ex lege ponuntur, vt ſi* Curio maximus *indicit feſta.* Faſt. 2, 527. Curio *legitimis* nunc Fornacalia verbis Maximus indicit nec ſtata ſacra facit.

LEMVRES animas dixere ſilentum, i. *mortuorum.* Is verbi ſenſus vis ea vocis erat Faſt. 5, 483.

LENTVS: *lenti paſſus* de ſpatiante otioſe Met. 2, 572. dum per littora *lentis* Paſſibus, vt ſoleam ſumma ſpatiarer arena * aurum lentum, *flexibile, de filis ex auro ductis intellig.* Met. 6, 68. Illic et *lentum* filis imutetur aurum. *Plurimi Codd.* intexitur, *quae tamen gloſſa videtur; nonnulli legg.* innectitur, *ſed longe elegantius* immittitur, *exhibet fere rem ipſam ſenſibus, ſi cogitas texentes, videbuntur tibi immittere fila manibus in contexta.* * haſtilis *epitheton.* Met. 8, 28. torſerat adductis haſtilia *lenta* lacertis. * *patiens, negligens, ſed magna cum venuſtate* Triſt. 2, 514. Luminibusque tuis, totus quibus vtitur orbis, ſcenica vidiſti *lentus* adulteria. *Non audet dicere* laetus, *vt quidam libri habent, ſed gloſſa eſt, at* lentus vidiſti; *comiter negligens, non poena afficiens, non iratus. Burman. hic Heinſium ſequutus leg.* totus quibus vtimur orbis, *ſed erat haec viri docti conſuetudo; eam figuram adeo adamabat, vt intrudere eam vbicunque in Ouidio tentaret.* * lentae habenae Triſt. 4, 6. 3. Tempore paret equus *lentis* animoſus habenis.

LETATVS Ov. Met. 3, 55. Vt nemus intrauit *letataque* corpora vidit.

LETHALIS, iaculum lethale Met. 5, 182. Vtque manu iaculum lethale parabat Mittere in hoc haeſit ſignum de marmore geſtu.

gestu. *Burm. legit*, fatale *pro* lethale; *venustiori, et quia omnes scripti libri sic legunt, veriori sententia.* * *qui mortem praesagit* Met. 10, 453. Ter omen funereus bubo *lethali* carmine fecit. *Cecinit lugubrem sonum et mortis praesagum cantum.*

LEVIS vmbra Met. 5, 336. nemorisque *leui* consedit in vmbra, *und sezte sich im sanften Schatten des Lustvvaldes hin.* * populus, *de vmbris, corporibus scilicet leuatis et leuibus animis: bene* Met. 10, 14. Perque *leues* populos simulacraque functa sepulchris Persephonen adiit *Orpheus.*

LEVITAS Fast. 5, 14. collum *leuitas* in loca summa tulit.

LEX, *conditio* (vide Ern. Clav. Cic.) Met. 9, 703. Accipiunt *legem*, quis enim dubitaret. * Met. 7, 8. *Lex*que datur numeris magnorum horrenda laborum. *Male enim legitur in nostra Editione*: Voxque datur num. m. h. l. *Putat quidem Burmannus, defendi posse h. l. lectionem, sed quibus rationibus? nempe ex vulgata lectione* libr. 3, 340. Prima fide vocisque datae tentamina sumsit caerula Liriope, *quasi ex dubia lectione alia dubia restitui possit; at vero si possit stare* vox h. l. *coacta profecto erit et contorta*, lex *elegantii significatu et ad rem aptissimo; fuit enim vere* lex *ab oraculo sancita, quae Iasoni h. l. proposita, neque vt putat Burm. h. l. de responso Aeetis agitur, sed de oraculi voce, lege, nunc modo patefacta Argonautis. Cf. vt melius omnia dignoscas* Apoll. Rhod. Argonaut. Libr. 3, vers. 405.

LIBER Met. 1, 549. Mollia cinguntur tenui praecordia *libro*, i. *cortice.*

LIBERARE vagina ensem, *si vera lectio* Met. 6, 551. Quo fuit accinctus vagina *liberat* ensem. *Codd. nonnulli legunt* deripit ensem; *sed cum eadem locutio occurrat etiam* Met. 10, 475. et Fast. 2, 793. *repudianda non videtur; licet non*

negandum sit, magis poëticum verbum hoc praesertim loco esse deripit. *friget quodammodo* liberare ensem vagina, *vbi de irato et furibundo agitur.*

LIBERIOR toga, *toga virilis* Trist. 4, 10, 28. Interea tacito passu labentibus annis (*quam venuste!*) *Liberior* fratri sumta mihique *toga* est. *De hoc etiam loco, vt alibi — consulenda vita Ouidii a Massono perscripta. vide eum ad* Annum 15. et 16. Ouidii.

LIBRA Pont. 4, 15, 47. Meque tuum libra norit et aere minus. *Difficilis non intellectu quidem, at explicatu versus.* Sensus: *Me tuum mancipium esse norit, quamuis aes et libra mancipationi non adfuerint. De mancipatione per aes et libram res nota est*, aut cf. Ern. Clav. in voce Mancipium. *At vocab.* minus *h. l. aut* ἐλλειπτικῶς *accipiendum, et per breuiloquentiam facile explendum, aut potius ita vt valeat* praeter; *sic enim et alibi iungitur Ablatiuo* Cic. Verr. 1, 57. Tametsi quid poterat esse apertius, quam nunc est, vt vno *minus* teste haberet Rabirio. *vbi cf. Gronouius, qui plura exempla attulit, sic et* Fast. 4, 765. *minus* multo, *pro* paucioribus, *et alibi Nostter.*

LIBRARE Met. 1, 13. Ponderibus *librata* suis tellus, i. e. consistens in aequilibrio sursum deorsum mota. v. Virg. Georg. 4, 196. vbi et in aliis locis suauissime vsurpatum inuenies. * corpus Met. 8, 201. geminas opifex librauit in alas ipse corpus suum; *de Daedalo alis a se ipso fabricatis nisum volandi conante.* * *eleg.* Fast. 1, 429. Iam finitima corpus *librabat* in herba; *ibat gradu suspenso digitis. cf. vers.* 426. *adeoque corpus in aequilibrio tentat tenere, et se tacite modo huc modo illuc mouet. Venusta imago.* * *de agitatione nauis in procella et tempestate maris* Fast. 3, 588. Vela cadunt primo,

mo, et dubia *librantur* ab aura. *compara* Virg. 3, 207. seq. *cuius hic locus imitatio est.*

LIGARE Met. 1, 91. vincla minacia collo Aere *ligabantur. At pessima est lectio, in omnibus vet. codd.* verba *pro* vincla *leg. et optimi tuentur* legebantur *pro* ligabantur. *Quid multa? lege cum Burmanno;* verba minacia fixo Aere legebantur, *et vid. viros doct. ad h. l. Est pulchra legum aeri incisarum descriptio, poëta Ouidio digna.*

LINGVA *promontorium* Met. 13, 724. Intrant Sicaniam, tribus haec excurrit in aequora *linguis Heinf. leg. coniicit:* triquis excurrit in aequora linguis. *Nec video, cur opus. Ouidius illud pronomen, hic, saepius ita vsurpat* cf. cum h. l. Fast. 4, 419.

LINIGERA *epithet. Isidis, quia et ipsa et eius sacerdotes vestibus lineis induti erant* Pont. 1, 1, 51. Vide ego *linigerae* humen violasse fatentem Isidis, Isiacos inter sedere focos Met. 1, 747. *linigera* turba *sunt eius sacerdotes.*

LIQVEFACTVS. vnda *liquefacta*, i. *liquida, pura facta, antea turbata* Ov. Met. 3, 486. *de Narcisso, qui antea lacrymis aquam turbauerat.* Quae simul aspexit *liquefacta* cursus in *vnda.* Vid. Cuper. Apotheos Homer. p. 163. *liceat animaduertere, Ouidium saepe in Metamorphosi praesertim noua cudere vocabula, aut singulares, significatus adhibere, huc hoc etiam referendum.*

LIQVEFIERI *incendi* Met. 7, 161. ex congesta flamma tura *liquefiunt. poterit hic locus adscribi Thesaur. Gesn. sic et* liquescere *occurrit. vide* h. v. in Part. I. huius Clauis. * Pont. 1, 2, 57. sic mea perpetuis liquefiunt corpora curis. *Ex emendatione* Fabricii; *sed idem sensus, eadem elegantia, si vulgat. lect. retineamus. vide* Liquescere.

LIQVESCERE *sic vt* liquefieri *omnem dissoluendi*

notionem praestat hinc elegantissimae, et nobis dura interdum visae tralationes maxime apud poëtas. Pont. 1, 2, 57. sic mea perpetuis *liquescunt* corpora curis. *vide* Liquefieri. *Vnde similitudo ducta, discimus ex* Pont. 1, 2, 68. Nil igitur purum, si mens mihi tabida facta, de niue manantis more *liquescit* aquae. * *de cadauere dissoluto* verwesen. Met. 7, 552. Mira loquor, non illa canes auidaeque volucres, non cani tetigere lupi, dilapsa *liquescunt.*

LIQVIDVS: aura liquida, *belle!* Met. 12, 525. Vidit auem pennis liquidas exire sub auras.

LIQVOR virgineus Pont. 1, 8, 38. Gramina nunc campi pulchros spectantis in hortos, stagnaque et Euripi, virgineusque *liquor. vide* Virgineus.

LITTOREVS cancer *appellatur, quia in littore fluminum maxime latitat, sed inde et signum in Zodiato* cancrum *dictum* litoreum *appellauit poëta* Met. 10, 127. Solisque vapore concaua littorei feruebant brachia cancri. *Bene* concaua brachia, *audacter* feruebant brachia, *et ipsum epithet.* littoreus, *audacter.*

LOCVPLES *vnde dictus docet Ouid.* Fast. 5, 281. Luxuriae nondum instrumenta vigebant: aut pecus aut latam diues habebat humum. Hinc etiam *locuples*, hinc ipsa *pecunia* dicta est. Plin. 18, 3. Hinc et locupletes dicebant loci i. e. agri plenos.

LONGE longeque Met. 4, 325. sed *longe* cunctis, *longe*que beatior illa est; *differit pluribus, allato hoc ipso Ouidiano loco de huius repetitionis elegantia* Bentleius ad Hor. Serm. 1, 6. 18. Quid oportet vos facere a Vulgo *longe longe*que remotos? *vbi alia etiam quam plurima congesta quaeres. Sed falsa profecto nostrae Editionis lectio est, legendumque cum Burmanno et aliis viris doctis*: sed longe cunctis longeque *potentior* illis. *ita Noster ipse* Met.

Met. 14, 657. tantoque potentior, inquit, Paucaque laudatae dedit oscula. *Recte Burmannus etiam* Met. 10, 340. *sic* constituit: ipsaque damno est mihi proximitas, aliena potentior essem.

LONGVM monile, *quis dixerit? aut quomodo recte et bene intelligas? perperam igitur legitur* Met. 10, 264. Dat digitis gemmas, dat *longa* monilia collo. *Sequor ego tres Codd. legens*: dat d. g. longoque monilia collo. *Recte Burmannus* longum collum, *inter elegantias habitum, notat. Vide* Iun. de Pictura libr. 3. c. 9. Longa ceruix *apud poëtas frequenter inter pulchritudines numerata occurrit.*

LOQVI *clamore* Met. 13, 241. certatimque omnes vno ore, Arma arma, *loquantur.*

LOQVAX *epithet. Famae* Met. 9, 137. Victor ab Oechalia cenaeo sacra parabat vota Ioui, cum Fama *loquax* praecessit ad aures Deianira tuas. *De Oechalia si quis curat plura scire, vbi sita terra et alia, animum explebit in Notis Glareani et Micylli ad h. l.* ad nos, *talia in hoc libro non explicantes, parum pertinent. Videntur autem ipsi hic Versus et narrata, vt recte coniecit Micyllus, sumta* ex Sophocl. Trachin. vers. 740. seqq. *vide etiam* Pseudo-Senecae Herc. Fur. imprimis vers. 107. seqq.

LOTOS aquatica Met. 9, 347. Tyrios imitata colores In spem baccarum florebat *aquatica lotos, vt ab alia Loto distinguatur. Lotam vero Nympham in fabam syriacam mutatam narrat* Seruius ad Georg. Virg. 1, 84. *nam et* mella *et* faba Syriaca, *dicebatur* Lotos, *sed faba graeca frequentius. Eodem modo in* Epist. Ouid. 13, 159. aquatica lotos *et* Met. 10, 69. *Eleg. primo laud. loco.* In spem baccarum florere. *tibia ex loto, vt mos erat* Met. 4, 759. lotique Lyraeque Tibia-

que et cantus animi felicia laeti argumenta sonant. *Vide* Gronou. obseruatt. Libr. 4, c. 15. *laud.* iam a Burm. ad h. l. *pertinet huc etiam locus* Polluc. 14, 9. ἡ δὲ ὅλη αὐτων καλαμος, ἡ χαλκος, ἡ λωτος, ποξος, ἡ καρας ἡ οσεν cf Met. 17, 158.

LVCROSVS Trist. 2, 507. Quoque minus prodest, poena est *lucrosa* poëtae, tantaque non parua carmina praetor emit. *vide* poena.

LVCTARI luctantia oscula *eleg. quibus alter repugnat, quae dat inuitus. rem pingit* Met. 9, 358. Pugnacemque tenet (Salmacis) *luctantia*que oscula carpit. *Bene* carpere. * *de aliqua re disputare* Fast. 6, 69. Nunc quoque non luctor de nomine temporis huius, Blandior, et partes paene rogantis ago.

LVCVS *interdum pars sanctior siluae aut nemoris* Virg. Aen. 3, 681. Silua alta Iouis *lucus*que Dianae. Hinc Cadmus *apud Ouid.* Met. 3, 175. per *nemus ignotum* non certis passibus errans peruenit in *lucum.*

LVGVBRIS ara Ouid. Met. 10, 225. Ante fores horum stabat Iouis Hospitis ara, Lugubris sceleris. *Heinsius mendosa illa habet, quem sequuti ceteri viri docti, de restituenda lectione anxie laborant. Scheppe-rus legit:* caedibus illustris. *Heinsius:* Ilicibus celebris. *Burmannus:* lugubris Veneri. *Enimuero non equidem video, cur lectio vulgata sit sollicitanda. Mihi omnia clara et facilia videntur.* Ante fores stabat ara Iouis hospitis, *at illa erat ara* lugubris, *ara* sceleris. *Num plura addam? Profecto non.*

LYMPHATVS, pectora lymphata *de ebriis* Met. 11, 3. Ecce nurus nonum tectae lymphata ferinis pectora velleribus, tumulo de vertice cernunt Orphea percussis.

M.

MAEONIDES *musa dicta* Met. 5, 268. *Ita appellatas eas volunt a* Maeonia,

nia, *vt* Aonides *ab Aonia*, Pierides *a Pieria denominatae: Maeoniam aliquando Boeotiam vocatam, siue a Moeone, Haemonis filio, qui auctore Statio, solus superstes ex iis, qui Tydeo insidias fecerant, mansisse traditur; siue etiam aliunde sed quaecunque dicuntur, coacta videntur aut certe parum huc facientia. Sunt qui dicant Ouidium hoc nomen ex vetusto aliquo poëta sumsisse, quem tamen ipsi ignorant. sed vetusti omnes codd. h. l. habent* Memnonides. *scribendum*: Mnemonidas. μνημη Musarum mater; *docta et eleganti inuentione veterum, quam ei in plerisque fabulis deberi iure quis miretur. Si lectio* Maeonidas *vera est, possunt etiam ab Homero*, κατα προληψιν *recte dici, vt bene notauit Pontanus. Eiusmodi enim* προληψεις *saepius et apud Ouidium ipsum occurrere, quis nescit?*

MAGNANIMVS, qui magna petit et sperat. Ouid. Met. 2, 111. *Magnanimus*, Phaëton.

MAGNVS Met. 4, 8. Inde manu magna Tyrrhena per aequora *lapsus*, vide Labi.

MALE valde Fast. 6, 785. Ecce suburbana rediens *male* sobrius aede, Ad stellas aliquis talia verba iacit. * *pro* non Met. 6, 467. Iamque moras *male* fert; cupidoque reuertitur ore Ad mandata Procnes et agit sua vota sub illis. *Sic enim legendus hic versus cum Burmanno. Sinistre nunc in nonnullis libris:* Mandata ad Prognes, et agit sua vota sub illa. *Nempe nesciuerunt alii, literum* N *in* Prognes *non liquescere solum, verum etiam saepius amoueri, more Graecorum, quem probat laudatus ab Heinsio ille ex Anthol. libr.* 1, 9. *versus:* χαιρε Προκνη παρα σειο κασιγνητης Φιλομηλης. *Eandem latinorum rationem ostendit alter a viro docto commemoratus locus ex Petron.* c. 141.

Dignus amore locus teſtis ſilueſtris Aëdon. (*ſcribe* ſilueſter, *ſi mihi fidere potes.*) Atque vrbane Progne. * *pro* non Met. 4, 285. Vnde ſit infamis, quare *male* fortibus vndis, (mollibus) Salmacis eneruet, tactosque emolliat artus. *De ipſa fabula plura dedit Burmannus, congeſtis omnibus huc reſpicientibus locis et Auctoribus; ſed qui Ouidium noſcere tantum curat, eis omnibus facile carebit, nec deſunt ſi cupiat, Mythologiae auctores.* * *vix* Met. 4, 351. Iam cupit amplecti, iam ſe *male* continet amens. * *fruſtra, ex vera Lectione* Met. 9, 190. peſſime nunc apud nos legitur: Pomaque ab inſomni *non* cuſtodita draconе: *vide* Inſomnis. *ſic* male Epiſt. 9, 99. et Epiſt. 14, 46. Ter *male* ſublato recidit enſe manus &c.

MALVS *pro* inimicus Triſt. 1, 1, 29. Tacitus ſecum, ne quis *malus* audiat, optet.

MANARE lacrymas, (*cum quarto caſu*) Met. 6, 312. Liquitur, et lacrymis etiam nunc marmomora *manant*. *Ita enim leg. Noſtra lectio*, lacrymis manare *vulgaris quidem eſt conſuetudinis, ſed minus adeo bonae notae. Heinſius ad h. l. auctoritatem MSS. ſatis probauit, et nubem locorum ſimilium ex Iuuenale altisque ſcriptoribus poſuit. Ipſe Seneca, quem imitari Ouidium ſaepius notauimus, vbi de Niobe, in Agamemn.* 376. ſtat nunc Sypili vertice ſummo Flebile ſaxum et adhuc Lacrymas Moeſta aeternum marmora manant. *Pauſanias narrat, ſe eum lapidem vidiſſe, aſpectu ſimilem lacrymanti.*

MANDARE, *commendare*. Faſt. 6, 561. Alterius prolem melius *mandabitis* illi. Vtilior Baccho, quam fuit ipſe ſuis. * mandare membra fugae, *pro* fugere, *venuſte* Met. 11, 334. quater inde repulſus Concita membra *fugae mandat, eleg.* concita membra. * mandata cauſa

causa *pro* mandato Met. 7, 505. Sic vbi *mandatam* iuuit facundia *causam*.

MANDATVM *de testamento* Trist. 3, 3, 43. Nec *mandata* dabo? nec cum clamore supremo Labentes oculos condet amica manus?

MANERE Met. 1, 17. nulli sua forma *manebat*, i. *firma stabat*, *se continebat*, (*ita et Nonius h. l. explicat.*) *locum enim vsque mutare ab alia pulsa cogebatur, forma alia aliam semper fugabat: Suauissima de chao visio tota Nasonis.* * Met. 4, 537. Graiumque manet mihi nomen ab illa. *vide* Graius. * manere *est etiam* excubias agere, vigilare, *exquisita significatione, namque* manere *proprie est loco suo insistere, nec mutari.* Fast. 2, 66. Dent tibi coelites, quot tu coelestibus, annos: Proque tua *maneant* in statione domo. * *florere, illaesum manere* Trist. 5, 14, 35. Adspicis vt longo *maneat* laudabilis aeuo Nomen inexstinctum Penelopae a fides.

MANIFESTARE, *notare, indicare*, rariori signif. Met. 13, 106. Ipse nitor galeae claro radiantis ab auro Insidias prodet, *manifestabit*que latentem, *alii* pauentem, *quod valde probo*; *poeticum est, nitor auri radientis ostendet pauentem, nempe, qui pauet, eius galea quasi tremit, et radiat aurum magis cum trepidat.* Tan. Faber Epist. 2, 69. *damnat. epithet.* claro, *vt ignarum et iners, et coniicit* cono radientis ab aureo. *Nesciuit* clarum *esse* splendens, *an* splendere *de auro dici recte posse, negat?*

MANIFESTVS doloris Fast. 5, 313. Longa referre mora est *correcta* obliuia damnis (*ita enim iam apud nos recte legitur pro* collecta obl. d. *verbum* corrigere *saepius notat non verbis tantum, sed et facto castigare, emendare errorem* cf. Terent. Eun. 4, 5.) Me quoque Romani praeteriere patres.

Quid facerem? per quod fierem *manifesta doloris? vt populo ostenderem, qua poena affecta ob ludorum praeteritionem.* Exigerem nostrae qualia damna notae? * manifestus Deus est praesens, conspicuus Pont. 1, 1, 63. Est pati poenas quam meruisse minus (*praeclara belle expressa sententia!*) Vt mihi Di faueant, quibus est *manifestior* ipse (*Augustus*) Poena potest demi, culpa perennis erit.

MANIPVLVS *proprie, fasciculus foeni* Fast. 3, 115. Illaque (*signa exercitus*) de foeno; sed erat reuerentia signo (*belle!*) Quantam nunc Aquilas cernis habere tuas. Pertica suspensos portabat longa maniplos, Vnde maniplaris nomina miles habet. *Donat. ad Terent. Eun.* „Antiqui Romani „sibi sertam vel coro„nam ex manipulo her„bae vel foeni, vel hu„iusmodi conficiebant, „quod pro signo seque„bantur.„ *vide* Lipsi de Milit. Rom. libr. 2. c. 3. p. 54.

MANSVETVS, manus mansueta *pro* benigna, liberalis Pont. 4, 5, 28. Cum tamen a turba rerum requieuerit harum: Ad vos *mansuetas* porriget ille manus.

MANTELE Fast. 4, 933. a dextra villis *mantele* solutis Cumque meri patere thuris acerra fuit. „Manu dextra sacerdos ille Quirinalis cum patera et acerra gestabat linteum mappa longiusculum, tergendis manibus, peracto sacrificio. *Mantele* graecis χειρομακτρον. Iulius Pollux: λασια δε εκαλειν τα μελλας εχοντα χειρομακτρα, ως απο της δασυτητος. ωσε αδεν κωλυει τας ονομαζομενας μαντελας ετω καλειν. Varro libr. V. de L. L. *Mantelium, quasi manuterium, vbi manus terguntur.* Glossa parum proprie, *mappa* χειρομακτρον! nam *mappa* tantum ori seruiebat, breue linteum, quod conuiuiis quisque vocatus e domo sua ferebat. Confunditur tamen apud omnes mappa cum manteli,

teli, mantele cum mappa, istud enim passim mensarum integumentum. Martialis in Epigrammate, cui lemma, *Gausapa*, vel *mantele*; Nobilius villosa tegant vbi lintea citrum; vrbibus in nostros circulus esse potest.„ *Neapol.*

MANVS: magna *manus*, Met. 1, 595. *pulchre de se ipse Iupiter*: Nec de plebe Deus, sed qui coelestia *magna* Sceptra manu tenco; sed qui vaga fulmina mitto. *bene* vaga fulmina, * coeca manus, *epithet. ad rem scite lectum.* Met. 12, 492. nostro tua corpora ferro tentemus: capuloque tenus demisit in armos Ensem satiferum: *caecam*que in viscera mouit Versauitque manum; vulnusque in vulnere fecit. * manum imponere studiis *pro* vacare studiis. Pont. 4, 8, 92. Prosit opemque ferat communia sacra tueri, Atque isdem studiis *imposuisse manum*. * Fast. 1, 610. Templa Sacerdotum rite dicata *manu*. *Respicit morem illum, ex quo postem tenebat manu* Pontifex, *dum ara aut fanum sacrabatur; quem Valerius indicat*: libr. 5, c. 10. Horatius, *inquit*, Puluillus, cum in Capitolio Ioui Opt. Max. aedem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum *postem tenens*, mortuum esse filium suum audiuisset, neque manum a poste remouit, ne tanti templi dedicationem interrumperet.

MARGO: *ripae margo pro* ripa Met. 1, 729.

MARMOREVS. *Splendore et candore praecellens, marmori similis.* Met. 1, 177. *Marmoreo* Superi sedere recessu; *est autem eleg. vsurp. h. l. de lactea via colli.* * *venuste*, marmoreum collum Fast. 4, 135. Aurea *marmoreo* redimicula soluite *collo*; demite diuitias.

MASSA lactis coacti; *poët. periphrasis et eleg. casei.* Met. 8, 664. Conditaque in liquida cornu autumnalia faece Intubaque, et radix et *lactis massa* coacti: cogere lac. *hoc sensu*

su occurrere saepius, quis ignorat?

MATERIA, *res familiaris* Met. 8, 882. Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem *Materiam*, dederatque graui noua pabula morbo, *vide* pabulum. * *pro causa* Met. 5, 333. Grauius saturnia iusto, Nec *pro materia* fertur doluisse *h. e. non dolor et ira eius causae respondebat, plus excanduit, quam merebatur verum, quod dixerat Tiresias et quod effecerat eam iratam.* Sic et *pro* Causa Met. 10, 134. leuiter pro *materiaque* doleret Admonuit.

MATVRVS animo: *pulchre, de sapienti* Met. 8, 620.

MEDERI: *recreare, iuuare* Met. 7, 839. Aura veni dini, nostroque *medere* labori; *Leua aestum.*

MEDICATVS Met. 1, 716. Languida permulcens *medicata* lumina virga, *caduceum intell.*

MEDIVS *arbiter: aequus* Met. 5, 564. At *medius* fratrisque sui moestaeque sororis Iupiter ex aequo (*in aequas partes*) volventem diuidit annum. „Elegans recte loquendi modus, cui similis est libr. seq. Met. 6, 409. et quem optime illustrauit Torrent. ad Horat. od. 2, 19. et cui similis videtur illa Sil. Ital. libr. 1, 307. medius teli: *a Gronouio* ad Liv. 28, 6. illustratus, *sed qui aliquantum differt. Medius enim rei alicuius est, qui in medio eius rei versatur, vt ab vtraque parte rei istius pars emineat. Sed hic est medius inter duas res, vel homines, quo sensu et in ablatiuo, Noster posuit* libr. 2. Amor. 16, 13. Non ego, si medius Polluce et Castore ponar. Singulariter etiam dixit Vellej. Paterc. libr. 2. c. 14. *Agebat medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis*„ *Burman.* * hora media *est tempus, quo aliquid paratur, fit* Met. 8, 650. Interea *medias* fallunt sermonibus *horas, dum praeparatur; potest intelligi et de Philemone*

mone ipso et eius vxore, et de Diis inter se loquentibus. prius praeplacet; maxime quia sequitur: sentirique moram prohibent, *quod de Philemone et Baucide longe melius accipitur*, quam de Diis. *Burm. legend. coniicit*; mediis fallunt sermonibus horas. *temere!* * tempus medium *pro* interuallo Met. 4, 67. Desierat: *mediumque* subit breue *tempus.*

MEMOR *actiue, qui memoriam facit* Met. 8, 745. *memoresque* tabellae, sertaque cingebant, voti argumenta potentis. *vide* potens. *Sic et poena* memor *actiue, vt saepius*; *vide* I. Part. Clav. sub h. l. Met. 4, 190. Exigit indicii *memorem* Cytherëia *poenam.*

MEMORABILIS; *venerandus, memoria sancta dignus*, Met. 4, 416. Tum vero totis Bacchi *memorabile* Thebis Numen erat. *possit etiam h. l. esse* numen memorabile, *de quo multa narrantur celebrantur ore omnium, quod eo magis placet, propter ea, quae hactenus noua gesta a Baccho relata erant.* * Celebre *dicitur etiam* memorabile vt Met. 4, 614. Viperei referens spolium *memorabile* monstri, *Celebratum fama caput Medusae.* Muret. Var. lect. libr. 10. c. 16. *hunc locum desumtum docet ex Apollonio Rhodio. Recte!* cf. Apoll. Rhod. libr. 4. vers. 1513. seq. Ἐυτε γαρ ισοθως λιβυην υπερεπτατο Περσεως Ευρυμεδων &c.

MENDAX penna, *quae aliunde assumta* Met. 10, 159. percussio *mendacibus* aere pennis. *mutauerat enim Iupiter sese in aquilam.*

MENSVRA nominis, *eleg. et poet.* Fast. 1, 603. Magne (*Pompeii*) tuum nomen rerum *mensura* tuarum est, eadem elegantia ad Fabium cognomine Maximum Pont. 1, 2, 1. Maxime, qui tanti mensuram nominis imples et geminas animi nobilitate genus.

MEN-

MENTHA l. menta *a graeca voce* μεν-θη vocata, *licet etiam appelletur* ἡδυοσμος ſuaueolens herba, *in quam Neptuni pellex mutata* vid. Pollux libr. 6. c. 10. *Meminit fabulae etiam Nicandri interpres in Alexipharmacis, diuerſo tamen modo:* μενδη δε Ἀσεπαλλακη ἐτω καλεμενη ἡν διεσπαραξεν ἡ περσεφονη· ἐφ ἡ ἡν ὁμωνυμον ποαν ἀνεδοκεν ὁ Ἀδης. *quem locum poſteriorem commemorauerat ad loc. Ouid.* Micyllus. *Burmannus laudat* Oppian. Halieut. libr. 3. et Strab. libr. 8. vide inprimis Plin. 19. 8.

MENTIRI *paſſiue* Met. 10, 28. Famaque ſi veteris non *eſt mentita* rapinae. *Burm. edidit:* Famaque ſi veterem non eſt mentita rapinam; *vnum cod. ſequutus, quod nolim; namque ſic etiam* Met. 10, 439. Nacta grauem vino Cinyram male fedula nutrix *Nomine mentito* veros exponit amores.

META *vid. Erneſt. Clav. Cic. h. l. omnis certantium in ludis labor erat, vt metam circumagerent, quoniam ad metas ſ. columnas in flexu ſtadii poſitas facile frangi poterat currus, ſtudioſe eas vitabant aurigae.* Hinc apud Horat. 1, 1, 5. *mota* feruidis euitata rotis. v. Homer. Iliad. v. 340. *cum notum ſit vel ex Erneſti Clav. Cic. metam eſſe* conum, *facile intelligitur elegantia in* Met. 10, 106. Adfuit huic turbae, *metas* imitata cupreſſus; κωνοειδης: *quaſi dicas pyramidalem; nam illa arbor ab rotunditate in acumen eleuatur.*

METERE Met. 8, 291. Nunc matura *metit* ſeturi vota coloni. *Burm. auctore vno codice reponendum putat* premit *pro* metit; *ſed licet* premere *proprium in re ruſtica verbum pro* abſcindere, amputare, *ſic non tamen in h. l. cadit; namque vſurpatur de agricolis ſemper vbi abſcindunt* falce vt Virg. Georg.

Georg. 1, 157. Horat. Od. 1, 31. *nonnunquam de vastatione, diruendis agris, deuorandis fructibus. Bene vero* metere *de vastante: quasi demetit, antea quam coloni metere possunt; eleg.* vota coloni *fruges, et cum vi h.l. dicuntur. Addit suauiter* fleturos colonos.

METVENDVS *venerandus, reuerentia summa colendus* Ov. Fast. 6, 259. *de Numa*, quo non metuentius vllum Numinis ingenium terrâ Sabina tulit. Ita et leg. apud Eundem Met. 13, 328. non illa (*Themide*) *metuentior* vlla Deorum: *falsa lectio* n. i. *reuerentior* u. D.

METVERE *colere, esse sub ditione alicuius* Met. 6, 177. Me gentes *metuunt* Phrygiae.

MICARE *eleg. de venis palpitantibus* Met. 6, 390. Detectique patent nerui, trepidaeque sine vllâ, Pelle *micant* venae. Salientia viscera nostis, Et perlucentes numerare in pectore fibras. *Sic de lingua excisa reliquiis trepidantibus.* Met. 6, 557. radix *micat* vltima lingua.

MINISTERIVM *de omni labore et opere* Met. 11, 626. qui corda diurnis Festa *ministeriis* mulces reparasque labori. *Totum hunc locum imitatus est* Statius Silu. 5, 4, 1. Crimine quo merui iuuenis placidissime diuum &c. et Pseudo-Seneca Hercul. Fur. 1065. Tuque o domitor, somne laborum, requies animi * *de gratia qua fit vt silentio quid prematur* Ov. Met. 2, 750. Proque *ministerio* magni sibi ponderis aurum postulat. *Dicitur enim* ministerium *de omni operatione, vt iam alii notarunt: quod in vniuersum valere legenti poetas debet.*

MINOR: verba minora; *animi demissio, Demuth* Met. 6, 151. Cedere coelitibus, verbisque minoribus vti.

MINVS *pro* praeter Pont. 4, 15, 42. Meque tuum libra norit et aere *minus. sed vide* libra.

MISCE-

MISCERE *Solemnis vox de parandis medicaminibus et veneficis potionibus; sic* miscere aconitum *est parare, temperare* Met. 7, 406. Huius in exitium miscet Medea, quod olim Attulerat secum Scythicis Aconiton ab oris.

MISER: dona misera, *quae miserias domum afferunt.* Met. 9, 156. blandisque miserrima verbis Dona det illa vira, mandat.

MODERANTER Ov. Met. 1, 510. *Moderantius* oro, Curre: *sed vix hoc latinum est, lege hoc et aliis locis* Ov. Epist. 18, 45. *pro eo cum melioribus libris*, moderatius et cf. Burm. ad h. l.

MODERATVS Met. 4, 234. neque enim *moderatus* in illam solis amor fuerat. *sed lege cum optimis*: in illa, *vt saepius* ardere in aliqua. *Plura dabit volenti* Barth. Aduers. 31, 3.

MODVS: parui modi, *sunt carmina elegiaca et leuioris adeo argumenti* Trist. 2, 222. Forsan (et hoc dubitem) numeris leuioribus aptus sim satis: in paruos sufficiamque *modos.* * finis vt saepissime Trist. 3, 13, 4. Dare *(dies natalis)* quid ad miseros veniebas exsulis annos? Debueras illis imposuisse *modum.* sic et *saepius* Met. 4, 258. Venerisque *modum* sibi fecit in illa. *Versus sequens autem mihi sic emendandus videtur*: Tabuit ex illo clementer amoribus *vsta*; *sic vnus etiam codex*; alii omnes legg. vsa; *sed* clementer vsa *pro* abusa, male vsa *non iuuat vim h. l. et addit, nescio quid frigidi.* Met. 10, 377 Nec *modus* aut requies nisi mors reperitur amoris. *et sic saepius.*

MOERERE *cum quarto casu.* Ov. Met. 1, 662. *Talia moerenti* stellatus submouet Argus. *Ita enim leg. pro alia vulgat. lectione* dicenti, *probauere satis viri docti* vid. Burman. ed. ad h. l.

MOLES; *quod nos dicimus der Damm, oppositā fluctu-*

fluctibus terra exaggerata. Ov. Met. 2, 12. Pars in mole sedens viridis siccare capillos, *vide* viridis.

MOLLIRE humum foliis, *suauiter pro sternere folia* Met. 4, 741. Anguiferumque (*Medusae*) caput dura ne laedat arena, *Mollit* humum foliis; *eo pulchrius* mollire, *quia praecesserat* dura ne laedat arena.

MOLLIS vultus *de amante, placidus, mitis* Met. 10, 609. Talia dicentem *molli* Schoeneia *vultu* Aspicit, et dubitat, superari, an vincere malit.

MOMENTVM *pro* motu poni *cum notum iam sit, proprie enim est qs.* mouimentum, momentum sumere est moueri *elegant:* Met. 10, 376. vario labefactus vulnere nutat Huc leuis, atque illuc *momento*que sumit vtraque. * momenta praebere, *est auxilium potens porrigere, quod rei quasi momentum, vim det.* Pont. 4, 13, 49. Quanta potes praebe nostrae *momenta* saluti; quae nisi mutato nulla futura loco est. * *causa, ratio: vide* Monimentum.

MONIMENTVM Met. 11, 286 Adiicis huic animo *monimenta* potentia, clarum Nomen auumque louem; nec tempora perde precando *sed quae h. l.* monimenta? *quo sensu dicuntur* h. l.? Raphael *verba*, huic animo, *ad Ceycem retulit, quasi diceret noster, per se benigno, ac liberali: scribendum vero est* Momenta *pro* monimenta Adiicis huic animo *momenta* potentia, *causas, rationes magnas, scil.* clarum Nomen auumque louem. *Non opus plura dicere: res ipsa loquitur.*

MONSTRVM plural. *de singulis membris monstri,* Met. 4, 590. Cadme, mane: (*bene vxor ad maritum versum in serpentem* mane, Cadme, *quasi effugiat ipse Cadmus, et serpens veniat*) teque his infelix exue *monstris* h. e. *his squamis, vnguibus, vultu* &c. *et hoc ipsum pulchre*

thre cadit in vxorem conſpicientem maritum, ſingulas partes quaſi attrectat, omnia videt eſſe monſtra, *omnia vertuntur, hinc* te his exue monſtris. *Quae ſequuntur, meam interpretationem ſuſtentant, dum enim* monſtra illa, *quae dixi, partes ſingulas circumſpectat*, Cadme, *ait*, quid hoc? vbi pes? vbi ſunt humerique manusque? Et color, et faciés, et, dum loquor, omnia. *Scil. omnia* monſtra *facta* eiaut. *Sic etiam* monſtra Met. 5, 459. tangere *monſtra* parantem. *et ſaepius.* * Miraculum Met. 5, 258. volui mirabile *monſtrum* cernere; *fontem Hippocrenes a Pegaſo ictu vngulae inuentum.*

MORARI oculos tellure; *deſpicere* Met. 13, 125. Laertius heros Adſtitit; atque oculos paullum tellure *moratos* Suſtulit ad proceres. *expreſſum ex* Homer. Iliad. γ. 216. ἀλλ ὅτε δὴ πολυμητις ἀναΐξειεν Οδυσσεος Στασκεν, ὑπαι δε ἰδεσκε κατα χθονος ὀμματα πηξας &c. *Tota autem oratio Vlyſſis adeo morata eſt, adeo talem Vlyſſem oſtendit, qualem finxit Homerus vt maxima laude ornandus ſit poëta. perpende ipſa ſingula, et nota naturam Vlyſſis veteratoris, fortis, boni oratoris.* Adde Met. 14, 106. At illa diu vultus tellure moratus Erexit

MORATVS: *venter male moratus eſt vorax; ſed bene more eius qui vetat carnes edere* Met. 15, 95. Nec niſi perdideris alium, placare voracis Et *male morati* poteris ieiunia ventris.

MORIRI Met. 14, 215. mortemque timens, cūpidusque *moriri.*

MORTALIS *cum vi et ſingulari elegantia, vt denotet eum, quis ſenex, feſſus, morti ſit proximus* Met. 7, 276. His et mille aliis poſtquam ſine nomine rebus Propoſitum inſtruxit *mortali* barbara munus. *Medea, Aeſoni iuuentutem arte magica reddens: Locum ſanum, et elegantem, depranatum a critica ſub-*

subtilitate doleo. Heinsius eumque secutus Burmannus pro voc. mortali *posuerunt* mortari, *et vocab.* Barbara *in* marmore *mutandum censent; vt hic sit versus:* propositum instruxit mortari marmore munus. *Primum clarum est, propositum munus esse, omnes illas res, e quibus medicamen parauerat Medea* cf. vers. 262. &c. *et quod iam munus Aesoni futurum erat. Illud autem cur* mortari instruit? instruere mortari *munus, medicamen, inaudita est locutio, plane non latina, atqui se hoc omittam, quid sibi vult h. l.* mortare. *Ipsum vocabulum* mortare *respuit* latinitas. *Nusquam inuenitur. Deinde quare mortari contundit Medea herbas, alas strigis &c. Cum id fieri* aeno *dicat poeta* cf. vers. 262. et 279. *An antea Medea medicamen coquit, et deinde mortari demum instruxit? O lepidam coquendi artem! Taedet oculos adhibere! porro* omnia confundit; summisque immiscuit ima, *et quidem* arenti ramo iam pridem mitis oliuae. *In* mortari *igitur!* Ecce vetus calido versatus stipes aeno Fit viridus. *Iam* mortare *mutatum est in* aenum. *sed perdo verba in re clara Absit* mortare, *siue potius* mortarium; *et versus legatur, vt omnes libri iubent:* propositum instruxit mortali Barbara munus. *Bene h. l. tum iuxta se positi* mortalis *et* Barbara, *peregrina quae curat, et* mortalis, *ager decrepitus senex Aeson; quo curatur. Habet praeterea vox h. l. quiddam miserabile, bene respiciens ad Aesonem.* Barbara *autem Medea ab Ouidio vel nouies vocata est, in hac narratione. si vllus scriptor latinus, indiget Ouidius editore quodam suo ipsius iudicio vtente, non sequente alios.* * mortifer, lethalis Met. 7, 525. Dum visum mortale malum, tantaeque latebat Causa nocens cladis *(pestis)* * Met. 2, 56. non

est *mortale* quod optas, h. e. *quod hominibus mortalibus sit concessum*; *sic apud* Virg. Aen. 12, 797. vulnus *mortale* i. *a mortali* illatum.

MOTVS: terra *mota*, *dic. cum aratur, et semina ibi conduntur.* Ov. Met. 3, 103. *motae* iubet supponere terrae vipereos dentes.

MOVERE Ov. Met. 1, 55. humanos *motura* tonitrua montes. i. *percellentia, terrentia. Eadem fere vi* Hor. od. 3, 1, 8. Iupiter cuncta supercilio *mouet*; sed tamen sublimitas est apud Hor. ad imitationem Homerici illius Iliad. α. 527. v. Longin. c. 10. quam noli quaerere apud Ouidium, *qui etiam paullo post h. l. Met.* 1, 179. *infra aemulatores suos est.* Terrificam capitis concussit TERQVE QVATERQVE Caesariem, cum qua terram, mare, sidera, *mouit.* (*Iupiter*) *Minuit illud* terque quaterque *et paene deprimit sublimitatem, neque satis placent* — hoc: concussit Caesariem *cum qua* — mouit. * *simpliciter* mouere *de tumultu pugnae* &c. Met. 5, 45. testatus iusque fidemque Hospitiique deos ea se prohibente *moueri*; *tantas iras et seditiones se inuito et vetante ortas. Est enim, vt notum,* mouere, *vox solita de seditionibus et bellis.* * arma magica, *i. in suum auxilium vocare namque proprie dicitur* mouere arma, *et* mouere magicam artem. *delectum igitur verbum, quod negligenter positum videri possit.* Met. 7, 197. Et prosternite humum iuuenem magica arma *mouentem* * mouere os vocale, canere Met. 5, 332. *vid.* vocalis. * Carmen Met. 14, 21. At tu, siue aliquid regni est in carmine; carmen ore *moue* sacro. *vide* Regnum. * *incipere rem* Fast. 3, 11. Ilia Vestalis, quid enim vetat inde *moueri?* * moueri, *pro mirari.* Met. 7, 760. Accipe mirandum; nouitate *mouebere* facti. *Heinsius emendauit:* Accipe! mirandi nouitate mouebere facti; *atqui quem raro,*

ro, me hic sibi habet subscribentem. bene nouitate; *de inaudito*, vix credibile! Ita nouum *et* nouitas, *vt sciunt docti, saepius: et eleg.* mouere *eo sensu, vt sit admirationem creare; vide etiam* Met. 8, 612. factum mirabile cunctos Mouerat (*et sic saepius.*) * *mutare* Met. 8, 736. quorum forma semel *mota* est, et in hoc renouamine mansit. Sunt, quibus in plures ius est transire figuras. *vide* Renouamen.

MVGITVS: luctisonus magitus Ov. Met. 1, 732. *Sed aduerte sonum pingentem actionem*, et luctisonō mūgitū, *aurem consule!*

MVLCERE *venustissime ventus dicitur aristas, cum leuiter eas concutit, huc et illuc mouet.* Fast. 1, 61. Frigidus Argestes summas mulcebit aristas. *Est vero Argestes ventus, qui flat ab occasu solstitiali, sed occidentali latere septemtrionis, ideo frigidus.*

MVLTICAVVS: nouum vocab. Ouid. Met. 8, 561. Pumice multicano, nec leuibus atria tophis Structa subit. *tophus* lapis asper, *qui facile in arenam resoluitur.*

MVLTIFIDVS *vox ab Ouidio forte facta* Met. 7, 259. *Multifidasque* faces in fossa sanguinis atra Tinguit. *Findebantur, et inspicabantur solemni more faces in sacris nocturnis et magicis, quo facilius ignem caperent, et clarius arderet.*

MVLTIFORVS *vocab. Ouidian.* Met. 12, 158. non illos carmina vocum Longaue *multifori* delectat tibia buxi.

MVNVS: beneficium Met. 10, 426. Coecae *munere* noctis (*i. e. tenebris*) Intercepta neci.

MVREX: Innato murice tectus Triton Ov. Met. 1, 332. Intellige *autem* innatum muricem *asperitatem ob muricis corticis scabritiem, de qua et* Virg. Aen. 10, 209. Immanis *Triton* - cui latero tenus hispida nanti Frons hominem praefert, in Pristin desinit aluus, Spumea semifero sub pectore

murmurat vnda. *Muricis enim etiam vetustae saxorum asperitates telaque omnia dicuntur.* Virg. Aen. 5, 105. Concussae cautes et acuto in *murice* remi Obnixi crepuere.

MVRVS: *ad graec.* ἔρυξ et τεῦχος Ἀχαιῶν *Achillis dicitur* murus Graiûm Met. 13, 281. Me miserum! quanto cogor meminisse dolore Temporis illius; quo *Graium murus* Achilles Procubuit: Bene procubuit; *de muro*

MVTARE *pro* permutare Met. 8, 449 auratis mutauit vestibus atras. *pullam induit vestem.*

N.

NAENIA, *de carminibus magicis* Fast. 6, 142. Sine igitur nascuntur aues (striges. cf. praeced. vers.) seu carmine fiunt *Naeniaque* in volucres Marsa figurat anus.

NASCI vocatur Incipere, esse aliud quam quod fuit ante, morique Desinere illud idem. Met. 15, 255. *ex mente scil. Pythagorae, cuius placita Ouidius in eo loco, mira arte, et elegantia poëtica tradit.*

NATALIS origo. Met. 13, 609. Quibus est eadem *Natalis* origo.

NATVRA, melior natura. Ov. Met. 1, 21. Hanc Deus et *melior* litem *natura* diremit. *Franc. Linsinus Parerg. Lib. III. c. 39. explicat* meliorem *naturam* eandem, quem Deum, vt deteriorem, quae principium motus et quietis in plantis et ceteris animantibus. *Intelligo ego naturam vim illam diuinam, quae procreat, nasci efficit et constitui. Ita apud Plinium et alios.*

NEFAS, Met. 2, 505. Arcuit omnipotens pariterque ipsosque *nefas*que sustulit, *h. e. quod fieret horrendum contra omnes sanctissimas leges, impediuit, conferendo Callistonem et Arcada in coelum.*

NEFASTVS dies Fast. 1, 47. Ille nefastus erit per quem tria verba (Do, dico, addico *i. do bonarum possessionem, dico ius,*

ius, addico id, de quo quaeritus,) silentur: Fastus erit per quem lege licebit agi.

NEMORALIS, antrum *nemorale* i. *nemoribus* tectum, Met. 3, 157. Cuius in extremo est antrum *nemorale* recessu * Fast. 6, 59. Inspice quas habeat *nemoralis* Aricia Fastos. Et populus Laurens Lauimiumque meum. *Leges, inquit, mensem Iunium, Iunonium dictum in Fastis municipalibus, Aricinis, Laurentinis &c.*

NEXVS: partus| nexi *sunt impliciti, impediti adhuc in vtero, et bene loco illo* Met. 9, 295. Magno Lucinam ad *nexos partus* clamore vocabam; *vt expediret nexos in vtero partus. cf. praeced. et omnia erunt clara, et soluta. Cur itaque mutemus legentes cum Burmanno* Lucinam Nexosque pares clamore vocabam. *vt scil.* Nexi *sint Dei, qui connectant membra mulierum soluta ad partum, vnde dicantur nexi. Namque cur dicuntur nexi* pares, *etiamsi omnem illam rem largirer? Fluctuat quidem lectio, et ingens diuersitas reperitur. Sed ille ipse dissensus satis probat, non intellectos* nexos partus *esse a librariis ideoque in monstra mutatos. Cur fidem habebimus illi codici nescio cui* Twisdenio, *eiusque glossae? Quid multa? lectionem vulgatam quis culpabit?*

NICTVS *signum oculorum claudendo et aperiendo: blande.* Ov. Met. 3, 460. *Nictu* quoque signa remittis, signaque dat *nictu*, sollicitatque notis. Id. Fast. 1, 418.

NITERE Met. 4, 636. Arboreae frondes auro radiante *nitentes. de aureis malis Hesperidum; sed codd. nonnulli habent* virentes; *quam lectionem eruditiorem, quam vt librario in mentem venerit, recte iudicat Burmannus; et vere adeo illud* nitentes, *glossa habenda est.* Salmas. Plin. Exercit. p. 207. *aurea quidem mala ex fabulis fuisse dicit,*

cit, non vero arbores aureas; quod falsum esse locus noster docet; qui et ramos et frondes aureas narrat. Ceterum nostra non interest, quamuis interesset Salmasii, *vtrum per mala* oues rufam lanam habentes sint intelligendi, an secus. *Neque profecto poëtae, credo, intererat, qui pingere rem ex fabulis studuit, et pulchre pingere; de interpretatione sollicitos esse philosophos otio abundantes et subtilitate sua. Hoc autem magis nostra diligentia dignum: vocem* virere *h. l. optime esse delectam et cum summo iudicio in describendis aureis pomis, namque conuenit* virere *et* malis *et* metallis. *Obiter notanda* Ouidiana *illa repetitio* : Arboreae frondes *auro* radiante virentes, Ex *auro* ramos, ex *auro* poma tegebant. * Met. 10, 646. medio *nitet* arbor in aruo Fulua comam, fuluo ramis crepitantibus auro.

NITI *proprie de conatu pariendi* Met. 10, 507. Non Lucina potest parientis voce vocari *Nitenti* tamen est similis.

NITIDVS, pisces: nitidi Ouid. Met 1, 74. *dic. propter squamas laeues et lubricitatem. eleg.* Ita Id Met 9, 267 *de serpente:* squamaque *nitere* recenti. Sic *apud Phaedr.* 1, 13 pennarum nitor *tribuitur coruo.* * palaestra nitida. *bene, propter oleum, quo se luctantes oblinebant.* Met. 6, 241. Transierant ad opus nitidae iuuenile palaestrae. *Vtitur noster poëta eodem epitheto eiusdem rei.* Fast. 5, 667. Laete Lyrae pulsae, *nitida* quoque laete palaestra. *Adde* Epist. 11, 19. et 16, 149.

NODOSVS: podagra nodosa *ad exemplum Horatii, vide hanc voc. in Parte I.* Clauis Pont. 1, 3, 23. Tollere *nodosam* nescit medicina *podagram* Nec formidatis auxiliatur aquis. *Eleg.* formidatis aquis.

NOTA: dare notam, i. *annuere* Met. 7, 621. Ille *notam* falgore *dedit,* (*lupi-*

(*Iupiter*) tonitruque secundo.

NOTAE *de signis in via, quo ducaris vt scias locum, et notes* Met. 8, 160. Ponit opus (Labyrinthum) turbatque *notas. vide* Turbare.

NOTARE, *inficere, venuste!* Met. 4, 329. pueri rubor ora *notauit, colorem dedit nouum.* cf. seqq. *vers. longe elegantissimos, qui comparatione splendent excellenti.* * *de notatione censoria vid. hoc voc. in l. Parte Clauis* Sic et Trist. 2, 542. Carminaque ediderам cum te delicta *notantem* Praeteriit toties iure quietus eques. *Erat Augustus magister morum, censoria potestate; a quo nunquam culpatum se dicit, cum solito lustro acto, equo eum de more praeteriret.* * notare *dicimur aliquem, vbi cursim eum quasi carpimus, et aliud agentes ad eum respicere videmur. Bene hinc* Met. 9, 261. Cetera non duro, duro tamen vltima vultu Dicta tulisse Iouis; seque indoluisse, *notatam* (fixam *diceret Cicero, vt est in Orat. c.* 26.) cf. vers. 288. * *pro* tangere Fast. 6, 156. protinus arbutea postes ter in ordine tangit Fronde: ter arbutea limina fronde *notat. Est Ouidianum, repetitionibus ludere!* * *laedere, vulnerare* Fast. 2, 698. Luna fuit, spectant iuuenem, gladiosque recondunt. Tergaque deducta veste *notata* vident. * Fast. 3, 178. memori pectore dicta *nota*, i. *tene.* Sic et Fast. 5, 10. silent aliae: dictaque mente *notant. Adde* Met. 14, 813. * *pro* scribere Met. 9, 525. Et *notat* et delet, mutat, culpatque probatque. *Integer locus, imago scribentis Byblidis, quae celerem mentem nunc huc, nunc diuidit illuc, et in varias partes rapit, adeo est ex ipsa natura expressa, vt praesentem ipsam scenam lectori sentienti cuiuis proponat, adeo suauis, vt in admirationem quemcunque rapere debeat. Inprimis feliciter vsus est hoc loco Ouidius arte*

ſua, qua contraria contrariis et paria paribus referre ſolet. Nonne videre videris tibi Byblida, cum talia legis: meditata manu componit verba trementi, *eleg.* trementi manu, *et quidem meditabunda ſcribit*, Dextra tenet ferrum; (*ſtylum*) vacuam tenet altera ceram. Incipit; et dubitat: ſcribit; damnatque tabellas. Et notat: et delet: mutat: culpatque: probatque; Inque vicem *ſumtas ponit poſitasque reſumit*, Quid velit ignorat: quidquid factura videtur Diſplicet. (*iam pinget vultum quo integra imago perficiatur*) in vultu eſt audacia mixta pudori. *Iam ſcripta eſt epiſtola; ſed vide quid accidit.* Scripta ſoror fuerat; *ipſa ſe in fine litterarum nominauerat ſororem*; viſum eſt, delere ſororem, *nomen ſororis*, verbaque correctis incidere talia ceris; &c. *Talia profecto fugiunt poëtam etiam bonum, etiam elegantem; occurrunt vni ſummo et perfecto poëtae,*

NOTIFICARE *factum ab Ouidio verbum, niſi ſpurius verſus* Pont. 1, 2, 12. viderit haec ſi quis, tibi me ſcripſiſſe fateri Audebo et propriis ingemuiſſe malis. Viderit; audebo tibi me ſcripſiſſe fateri Atque modum culpae *notificare* meae. *Heinſius ita locum emendat; ex duobus diſtichis hoc vnum faciens*: Viderit; audebo tibi me ſcripſiſſe fateri. Audebo propriis ingemuiſſe malis. *Variant ſcripturae codd. mirum in modum, vnde forte colligendum ſit, eſſe deprauatum locum. Atque ipſi* Geſnero *in Theſauro in voc.* Notificare *h. l. Ouidii ſpurius videtur. Neque ego agnoſcere hic Ouidium poſſum. Ineſt enim in vulgata lectione mira tautologia. Idem tamen non credam, ex vno diſticho duo eſſe natos, ſed potius verſ.* 11. *aliter eſſe legendum; cum clarum eſſe videatur, erraſſe librariorum oculos atque ex verſ.* 9, *verba*: tibi me ſcripſiſſe fateri

teri *oscitanter esse repetitos* vers. 11. *Quomodo vero legendum, si quaeris; non lubet ex coniectura dimidium versus constituere, cum aegre, immo plane non sit diuinandum, quae ingenua Nasonis verba fuerint; nec codd. occasionem emendandi idoneam exhibeant. Malo Ouidii versum truncatum esse, quam aliena legi.*

NOTVS Met. 6, 721. Vellera cum Minyis nitido radiantia villo Per mare non *notum* prima petiere carina. *Sed est accipienda lectio, quam exhibent codd. nonnulli* Per mare non *motum* pr. p. c. *Neque cum Burmanno mare* non motum *explicandum est* ignotum; *quis est quin melius explicare possit, modo rem cogitare possit? Sed est locutio* mare mouere *nimis forte pulchra et poetica, quam vt philologus merus sentire eam possit.*

NOVALE vacuum, *abundanter dict.* Pont. 1, 4, 13. Quae nunquàm *vacuo* solita est cessare *nouali* Fructibus assiduis lassa senescit humus.

NOVARE; fata sua *nouare* i. *noua fata pati;* Ov. Met. 2, 659. bis tua *fata nouabis, de Aesculapio.* * naturam. *Eleganter pro* miracula edere; *creat quasi, adeoque nouam, aliam sistit naturam, qui miracula procreat.* Met. 8, 198. ignotas animum dimittit in artes *Naturam*que *nouat.* * nouare viros prole, *de parientibus* Fast. 1, 622. Mox honor eripitur, *(quo vsae matronae vehebantur carpentis)* matronaque destinat omnis ingratos nulla prole *nouare* viros. *Meminit huius rei etiam Plutarch.* in quaestion. Rom. ὡς ἐκωλυθησαν ὑπο της βελης αι γυναικες ὀχημασι χρηθαι τευκτοις, συνεσθεντο ἀλληλαις μη κυισκεσθαι, μηδε τικτειν. κ. λ.

NOVITAS, *pro* noua fraus, *antea non cognita, non facta.* Trist. 2, 505. Cumque fefellit amans aliqua *nouitate* maritum,

Plan-

Plauditur, et magno palma fauore datur. * *de mirando quouis.* Met. 8, 155. Foedumque patebat matris adulterium monstri *nouitate* biformis. (*Minotauri*) *Nouitas hoc l. est monstrosa noua species.* * nouitas anni *de vere* Fast. 1, 160. tum patitur cultus ager, et renouatur aratro: Haec *anni nouitas* iure vocanda fuit.

NOVA via Fast. 6, 396. Romano foro iuncta erat, a Palatii porta initium capiens, et per radices Palatini supra circum Maximum tendens, v. Marlian. libr. 4, c. 24. vbi Vestae aedem fuisse ex Liuio discimus libr. 5. c. 32. quam inter Capitolinum et Palatinum montem non procul a foro Romano a Romulo conditam scribit idem Marlian. libr. 7. c. 12. 1, Taubn.

NOX, *de dissimulatione fallente, et bene tecta.* Met. 6, 472. Pro superi! quantum mortalia pectora *coecae noctis* habent! *additur statim explicatio:* ipso sceleris molimine Tereus creditur esse pius.

NVBERE, *de marito* Met. 1, 700. tibi *nubere*, nympha, volentis votis cede Dei. *Sic certe nonnullae editiones habent, sed dudum plurimi viri doctissimi feliciter h. l. restituerunt ita*: Talia verba refert: restabant verba referre; (*non* plura referre *vt pessime passim legitur!*) *Nempe verba Panis ad Syringa a Mercurio non sunt relata, qui cum vidisset Argum somno oppressum, statim vocem cohibuit, ipsumque interfecit. Nubere apud elegantes Latinos et optimos de viro non reperitur. vid. plura apud Burm. ad h. l.*

NVBILVS, *infestus, inimicus.* Trist. 5, 3, 14. Siue mihi casus, siue hoc dedit ira Deorum: *Nubila* nascenti seu mihi *Parca* fuit.

NVMEN, *donum, vis, auxilium Dei.* Met. 1, 411. Inque breui spatio superorum *numine*, Saxa Missa viri manibus faciem traxere virilem. *Semel monuisse sat est, ita*

ita saepissime occurrere. * *iusiurandum* Met. 10, 430. Concituit: promissaque *numine* firmat. *Eleg. firmat Deo quodam promissa, eum testata scilicet i. iurans. Burm. vnum cod. Gronouii secutus reponendum putat*: Dicere! iurato promissaque numine firmat. *Male! etiamsi enim iurare* numen *pro*, per numen, *dicatur saepius vt* Met. 2, 41. *&c. Non tamen h. l. nisi glossa putanda est illa lectio. longe elegantius* firmare numine promissa, *quam* firmare iurato numine.

NVMERVS, *carminis genus metricum* Pont. 4, 2, 30. scribendi nulla voluptas Est mihi; nec *numeris* nectere verba iuuat. * Fast. 2, 6. Certe ego vos (Elegi) habui faciles in amore ministros Cum lusit numeris prima iuuenta suis &c.

NVPER; *paruo abhinc tempore, mox, nec ad menses tantum et dies, sed etiam ad horas, quod negat Gesnerus in Thesauro, refertur. Sic enim* Ov. *Met.* 2, 515. Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem *Nuper* honoratas summo, mea vulnera coelo Videritis stellas illic. *vid. tot. contextum et reperies veram esse nostram interpretationem.*

NVTARE. *Venuste nutantia dicuntur tegmina capitum, cono picto, propter cristas, vel ipsum apicem, qui solet* nutans *adspectanti militem euntem videri.* apud Ouid. Met. 3, 108. *pingens epitheton est?*

O.

OBAMBVLARE, *vltro citroque discurrare* Met. 14, 188. vt vero fuga vos ab acerba morte remouit; Ille quidem totam fremebundus *obambulat* Aetnam.

OBEX *poët.* Fast. 1, 563. Ille aditum fracti praestruxerat *obice* montis: Vix iuga mouissent quinque bis illud opus.

OBLECTAMEN Met. 11, 412. Consulat vt sacras, hominum *oblectamina*, sortes. *Suauiter dicuntur*

tur oracula Phoebi oblectamina *sc. malorum*, solatia, *quis inde vero poneret in textu* solamina? *At fecit* Tan. Faber libr. 2, Epist. 69. *Metuit enim, vt satis ex dignitate, et reuerentia rerum sacrarum, dicere possimus, oracula esse* oblectamina *hominum. Qui igitur metuit, emendet. Ego nullum metum sentio. Lepida est Heinsii emendatio; Adscribamus eius emendationem: „Homini la„ctamina* sixianus cod. Venuste! Nam spe Vana homines lactabant „et ludebant. apud A„pulej. Met. 8. *Cunctis „tamen mentitae pieta„tis, officiis studium „contrectandae mulieris „adhibere odiosumque „amorem suum lactan„do nutrire.* Sic lego, „non, *delectando. Ergo Ouidius h. l. facete illusit oraculis? Ergo ex Theologia emendandus Naso erit?*

OBLIQVARE oculos, *dicitur, qui oculos detorquet, in obliquam partem torquet.* Met. 7, 412. Restantem contraque diem radiosque micantes *Obliquantem* oculos, nexis adamante catenis Cerberon attraxit. *Pulcra descriptio resistentis et inuiti tracti canis tartarei ab Hercule;* Verba lecta ad rem scite: — catenis — *et quidem* adamante nexis — Restantem — contra diem obliquantem oculos — attraxit — *Sed melior, certe efficacior lectio Heinsii est:* abstraxit. *vide* Restare: *et perpende ipse singula.* * *eleg.* Met. 12, 486. in latus ensem *Obliquat*: longaque amplectitur ilia dextra. *obliquo ictu figit latus &c.*

OBLIQVVS: *latus obliquum dicitur, vbi inflectit se quis in latus alterum, vt obliquetur corpus. Sic* Diana *apud* Ouid. Met. 3, 187 in latus *obliquum* allitit; oraque retro flexit; *vt nempe non aspici possit ab Actaeone, obliquando se quasi contraxit et reddidit paruam. Sie schmiegt sich schief an die sie umgebenden Nymphen;*

phen; *um sich zu verbergen*. cf. Id. Amor. 1, 6, 4. Aditu fac ianua parvo *obliquum* capiat semiadaperta *latus*. * obliquus ictus *de apro, belle, ex obliquis enim partibus ferire solet*. Met. 8, 344. Obstat et *obliquo* latrantes dissipat *ictu*. *Sic* Horat. od. 3, 22, 7. Verris *obliquum* meditantis *ictum* sanguine donem. *et bene* Met. 8, 764. *obliquos* dum tetum librat in ictus. * obliqua saxa. Met. 8, 551. Ferre trabes solidas *obliqua*que voluere magno Murmure saxa solent (*undae*) *bene* obliqua. * obliquus temo. Met. 10, 447. Flexerat *obliquo* plaustrum *temone* Bootes. *descriptio canticinii*. cf. Trist. 1, 3, 27. Pseudo-Senec. in Agamemn. 70. Anacreon od. 3. init.

OBLOQVI *suauiter de auibus*; Pont. 3, 1, 21. Non tibi (*in hac terra*) sunt fontes, laticis nisi paene marini; Qui potus dubium sistat alatue sitim. Rara neque haec felix (*frugifera*) in aper-tis eminet arvis Arbor, et in terra est altera forma maris. Non *auis obloquitur* siluis nisi si qua remotis Aequoreas rauco gutture potat aquas.

OBSCOENA, *pro concubitu: sed scite hoc vocabulo de Priapo vtitur poëta* Met. 9, 348. Lotis in hanc Nymphe fugiens *obscoena* Priapi Contulerat versos, seruato nomine vultus. cf. *de ea conuersione* Fast. 1, 415. seqq. *et* Serv. ad Georg. Virg. 2, 84.

OBSCVRA vates, *est quae ambigua, intellectu difficilia oracula edit*. Met. 7, 762. *Sed totus locus est adscribendus, quo sinceritati suae, incrustatae ab Heinsio, reddi possit. Ita legitur in antiquis Edd., codd. plerisque et nostra Edit.* Carmina *Naiades* non intellecta priorum *Soluunt* Ingeniis: et praecipitata iacebat Immemor ambagum Vates obscura, suarum: Scilicet alma Themis: *nec* talia liquit inulta. Protinus Aoniis *immissa est bellua* The-

bis

bis *Ceſſit et* exitio *multis: pecorique ſibi*que, Ruricolae pauere feram. *Editio Burm. et quae ſequuntur Heinſ. talem exhibent locum:* Carmina *Laiades* non intellecta priorum *Soluerat* ingeniis; et praecipitata iacebat Immemor ambagum vates obſcura ſuarum. Scilicet alma Themis *non* talia liquit inulta. Protinus Aoniis *immittitur altera* Thebis *Peſtis*, et exitio *multi pecorum ſuoque* Ruri-genae pauere feram. *Quas emendationes Heinſii cum primum legi, amplexus ſum, et plane viri docti et acuti in ſententiam iui. Re vero accuratius perpenſa, dubitaui; iam certis nixus argumentis reiiciendam omnem fere operam Heinſii iudico. Sagacitate vſus videtur Heinſius, vbi ea minime opus. Mutat primum* Naiades *in* Laiades, *facili mutatione; et hinc ceterae omnes conuerſiones fluxere. Explicat omnem illum locum de* Oedipo Laiade, *qui oracula* ſ. *aenigma Sphingis ſoluerat; eamque ipſam interfecerat. Videamus paucis primum de verbis, deinde de ſententia et re ipſa.* Carmina non intellecta priorum ingeniis *eſt ergo* aenigma *Sphingis, quae iam dura locutio, ſed hanc miſſam faciamus, at cur dicitur* immemor ambagum ſuarum, *ab Cephalo, leuiter tantum haec narrante:* σαρκασμος *profecto non hic Cephalum decet triſtem ob rei narrandae euentum. Ineptum videtur, de Sphinge necata dici talia, qualia ſolent in pugnis victores caeſis illudentes dicere. At haec leuia: Sphinx autem porro dicitur* Vates obſcura. *Nusquam ita appellatur, niſi apud Pſeudo-Senec.* in Oedipo verſ. 92. *teſte vno ſolo codice, cui non auctoritas, fruſtra, aliis reuentibus debetur. Praeterea* Vates *dici Sphinx neſcio an bene poſſit? Sed omnes verborum difficultates non curo; videamus de re. Heinſius* ratio-

rationem locum mutandi solam hanc, nec profecto alia est, affert: nullas esse Naiades fatidicas. Quae istae, inquit, Naiades fatidicae? Dicam itaque quae sint. Nymphae nempe Citheronidae, Apollinis nutrices, Dryades et Naiades dictae, de quibus et hanc ipsam vaticinandi artem et alia refert Pausanias in Boeoticis Cap. 10. qui unus locus satis refutat omnem Heinsii dubitationem. Hae igitur, narrat Cephalus, Naiades, Nymphae solvunt carmina, oracula non intellecta: et inde praecipitata iacebat immemor ambagum vates obscura suarum scilicet alma Themis; non amplius colebatur Themis, sed praecipitata, scil. imago eius, proruta in templo, (sic recti Dei Hor. od. 4, 4, 48.) iacebat, non colebatur, immemor ambagum suarum; de Themide Vate, pandente oracula, conf. ipsum Quid. Met. 1, 320. fatidicamque Themin (adorant) quae nunc oracla tenebat. Hanc igitur sui neglectum non tulit aequo animo Themis, nec talia liquit inulta; Protinus Aoniis immissa est bellua Thebis. Id ipsum plane, vt Ouidius, narrat Pausanias loc. laud. At si sequamur Heinsium, ineptum est sane, Themidem non inultum liquisse factum Oedipi, quod Sphingem interemisset, eiusque oraculum soluisset. Qualis haec Themis esset? Profecto ridiculum fecit Ouidium Heinsius; namque Themis non patitur pestem terrae esse taesam, et statim immittit aliam belluam; quasi laesa esset Dea iustitiae occiso monstro homicida. His igitur fultus rationibus Heinsio fidem dare nihil possum. Si vero quis legere velit eum sequutus vers. 765. et exitio multi pecorum suoque Rurigenae pauere feram, pro et ex. multis: pecorique sibique Ruricolae pauere feram; non refragari valde possim. * Pallas obscura Met. 6, 76.

est non agnita, latens forma anus. Talibus *obscuram* resecuta est Palladia dictis. *In praeced. versu poëticam nouam locutionem et bellam* confiteri vultibus iram, *nota, vide* Resequi. * aquas obscuras facere *pro* turbare Fast. 4, 758. ignoscite Nymphae, Mota quod *obscuras* vngula fecit aquas.

OBSESSVS ager *dicitur, vbi steriles herbae nascuntur, infelix lolium* &c. Fast. 4, 646. Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis, Et leuis *obsesso* stabat auena solo. * *pro* timidus Met. 5, 632. Occupat *obsessos* (*intellige a timore*) sudor mihi frigidus artus.

OCCIDVVS Met. 15, 227. Labitur *occiduae* per iter decliue senectae, *ad occasum vergentis. tota descriptio hominis in eo loco est longe pulcherrima.*

OCVLVS mundi, *de sole, suauissime* Met. 4, 338. Omnia qui video, per quem videt omnia tellus, *Mundi oculus.*

ODORARE *pro* odore replere, *inficere, noue dict.* Met. 15, 734. Tura super ripas, aris ex ordine factis, parte ab vtraque sonant: et *odorant* aëra fumis.

OLIVIFER Fast. 3, 151. Primus *oliuiferis* Romam deductus ab aruis Pompilius menses senfit abesse duos.

OMEN Fast. 2, 202. Carmentis portae dextro via proxima Iano est Ire per hanc noli, quisquis es. *Omen* habet. *Subiiciunt illud omen seqq.* vers. Illa fama refert Fabios exisse srecentos: Porta vacat culpa, sed tamen *omen* habet. *Desunt hic duo versus in nonnullis* MSS. *nec tamen ideo, vt opinor, eiiciendi. repetitum illud* omen habet, *Ouidianum est; praeterea portam illam* sceleratam *dictam, infamem habitam esse et mali ominis, propter eandem causam, infelicem* Fabiorum ex ea egressionem *referunt alii scriptores sat multi.* conf. Dion. Cass. T. 1. pag. 13. ed.

ed. Reimari. *et laud. ibi alios script.*

OMNIFER, *pulchre de telluris vultu, quippe quae omnia superficie nobis ferre videtur.* Ov. Met. 2, 275. Sustulit (Tellus) *omniferos* collo tenus arida vultus.

OPERATVS *sacratus* Fast. 6, 249. Vesta fave, tibi nunc *operata* resoluimus ora. Ad tua si nobis sacra venire licet.

OPEROSVS Ov. Met. 1, 258. mundi moles *operosa est de sententia Gesneri* coelum quod semper mouetur ex disciplina illa, et motum rebus inferioribus inprimit; *sed mihi contextus dissuadere videtur, vt intelligam de coelo; praeced. enim versu iam de coelo locutus erat poëta, et totus locus de vniuersi ruina agit; quare hic* mundi molem *de vniuerso omni capio, et* operosa moles *est, magno artificio fabricata atque magna, admirandi, vti* aes operosum *apud Ouid. Epist.* 3, 31. *et* sepulchrum *operosius* in Cic. libr. 2. de Legib. 26. * *qui multa efficit.* Met. 24, 22. Vtere tentatis *operosae* viribus herbae * *artificiosus, pulcher.* Met. 15, 666 Incerti quid agant, proceres ad *templa* petiti conueniunt *operosa* Dei.

OPIFER *Apollinis epitheton et Nomen* Ouid. Met. 1, 521. *Opifer*que per orbem dicor, *resp. τῷ graeco: βοηδρόμος et ἀοσσητης.*

OPPONERE Ouid. Met. 2, 276. Sustulit omniferos collo tenus arida vultus, (Tellus) *oppositque* manum fronti, *sc. propter aestum, in Phaëtontis incendio, fronti intolerabilem. At bone Deus! quam felici mente et poëtica haec imago ficta est; nonne hic quasi ante oculos videmus Tellurem et dolemus eam?* tota ista descriptio *Telluris in praeced. et seqq. summam poscit admirationem; vt v. c.* infra, quam solet esse fuit v. 277. presserat ara vapor &c. 283 *et tota ad Iouem precatio.*

OPVS, Ouid. Met. 1, 469. Eque sagittifera prom-

fit duo tela pharetra, diuersorum *operum*, i. *diuersi et contrarii effectus.*

ORACVLVM Ov. Met. 1, 321. quae (Themis) nunc *oracla* tenebat, i. *responsa dabat quaerentibus de futuris, namque eo tempore, de quo ibi narratur, oracula quae ita dicebantur, nondum erant inuenta; Etusmodi προλήψεις poëtarum saepius inuenies.* * Id. Met. 1, 491. Suaeque illum (Phoebum) *oracula* fallunt. *i. diuinandi vis, et praesensio, suauissime poëta hanc cogitationem h. l. addit, quia de Phoebo narrat.*

ORBIS, orbes *de rota Ixionis nota, in aeternum versa, cui adfixus, quo se apud inferos sequiturque fugitque, circumuoluitur.* Met. 9, 123. Si te nulla mei reuerentia mouit; at *orbes* Concubitos vetitos poterant inhibere paterni. *Nessus enim filius Ixionis, qui, vt sciunt omnes, propter tentatum stuprum Iunonis tali supplicio coercebatur.* * orbis, *clypeus, quia est vt saepius Homerus ἀσπὶς παντοσε ἰση, et notum*, orbes *dici omnia, quae rotundam, teretem formam habeant.* Met. 12, 97. Telum missit in Aeacidem: quod et aes, (*laminam superinductam clypeo*) et proxima rupit Terga nouena boum, (*erat clypeus decemplex, decem tergoribus boum tectus*) decimo tamen *orbe* moratum: *quia circa ornem clypeum ducta erat pellis, orbis est.*)

ORDO *de auctoritate imperii, quo ordo constituitur.* Met. 9, 439. propter amara senectae Pondera despicitur; nec, quo prius, *ordine* regnat.

ORIGO, *conditor, qui dat originem, vt nos der Ursprung, Urquell.* Ov. Met. 1, 79. mundi melioris *origo, de Deo creatore.* imago *leg. nonnulli; perperam. vid.* Barth. Aduers. LVIII. c. 10. * *causa, inuentor*, Met. 5, 262. Pegasus huius *origo* fontis. cf. v. 264.

OS, *ora* paliida *gerere* Met. 4, 135. oraque buxo pallidio-

lidiora *gerens. sed vide* gerere. * Os sonans, *i. facundia summa* Met. 8, 532. Non mihi si centum Deus ora *sonantia* linguae, ingenium capax, totumque Helicona dedisset; Tristia persequereri miserarum dicta sororum. *Imitatio est illius Homerici* Iliad. β. 488. πληθυν δ' ουκ αν εγω μυθησομαι κ. τ. λ. *Sed nescio an felix imitatio. Homerus enim ingentem militum multitudinem, tot arma gerentes, quot* folia gignit et flores ver, *descripturus eo lumine orationis vtitur optime, re quasi talia exigente; at h. l.* Ouidium miserarum sororum dicta persequi *posset, etiamsi non* centum ora sonantia *haberet; audirem forte, si* luctum, *nunc vero* dicta tristia *modo miserarum sororum narrare voluit. Certe et hunc locum* poëta emendaturus, si licuisset, erat; *quare non singula rimabor, nec* totum Helicona *vituperare libet.*

P.

PABVLVM Met. 8, 883. dederat graui noua *pabula* morbo. Glareanus *noua pabula intelligit* nouissima, vltima, *sed ipse fatetur nusquam ita occurrere voc., hinc itaque nec h. l. sic accipiendum, nisi cogat necessitas; quod non est, namque* morbo noua pabula dare *est* augere morbum, *vt centies.*

PACALIS; *vox ab Ouidio nata.* Met. 6, 111. Circuit extremas oleis *pacalibus* oras. *Pingit in aris cingentibus omnem picturam oleas paciferas pacis signa sua. Scaliger* παρεργα picturae *intelligi in margine notat, quae extrema, vt plurimum, et margines occupare solent; tale* παρεργον ex Luciano, in Domo p. 909. *picturae ornamentum, quod Perseum interficientem monstrum exprimeret, laudat ad h. l Burm. et vid. voc.* Circuire. *Vocab.* pacalis *vero occurrit etiam* Met. 15, 59. *et* Fast. 1, 719.

PACISCI, *pro poscere* Met. 9, 426. Venerem quoque cura futuri tangit et Anchisae renouare *paciscitur* annos.

PALLERE, *eleg. de colore auri*, Met. 11, 110. Tollit humo saxum; saxum quoque *palluit* auro. *Adde ibid.* vers. 145. *et ne cogita de mutationibus.*

PALPITARE *dicuntur trementia membra morientium aut membra decisa corpori, vt* Met. 6, 560. Vtque salire solet mutilatae cauda colubrae *Palpitat* (*excisa lingua*) et moriens dominae vestigia quaerit. *Pulchra et veritate collustrata comparatio! Sed quae* sequuntur, *lingua* moriens dominae vestigia quaerit, *ea vereor ne sint subtilioris ambitionis, quam vt placere possint; Similem locum Virgilii culpauit* Marmontelius in Arte poëtica Part. I. c. 5. pag. 98. Vers. germ.

PANDVS asellus; *venuste in imagine senis ebrii, haerentis*, non fortiter (i. *vacillantis imbecilli titubatione*,) in asello. Met. 4, 27. *Pando* non fortiter haeret asello; *quasi incuruum asellum videbis; illud* non fortiter *habet ridiculi venustatem.* * Delphines *pandi.* i. *simi.* Trist. 3, 10, 43. * Rami Met. 14, 660.

PAPAVEREVS, *vox ab Ouidio nata;* Fast. 4, 438. Illa legit calthas: huic sunt violaria curae, Illa *papauereas* sublecat vngue comas *flores papaueris: suauiter, comae papauereae.*

PAPYRIFER Trist. 3, 10, 27 In se *papyrifero* qui non angustior amne Nilo Ister. * Met. 15, 753. Perque *papyriferi* septemflua flumina Nili pictrices egisse rates.

PARARE iugulum: *porrigere, bene!* Met. 6, 553. Iugulum *collum*, (*nam in iugulo figebantur enses, hinc* iugulare; *vide* Ernest. Clav. Cic. h. v.) Philomela *parabat* spemque suae mortis viso conceperat ense.

PARATVS, *ornatus* Met. 6, 451. Ecce venit magnodine; Philomela *parata,*

ta, Diuitior forma. *Videtur Ouidius eo vocabulo princeps vsus.*

PARCERE *cum infinit.* Triſt. 1, 2, 2. Di maris et coeli, quid enim niſi vota ſuperſunt, ſoluere quaſſatae *parcite* membra ratis. *Parcite, nec plane ſoluite cet.*

PARILI, *aduerbial.* Met. 5, 478. *parili*que irata colonos Ruricolasque boues leto dedit. *Alii legunt:* pariterque.

PARILIS *pro* par, *frequens apud Ouid. vocab.* Met. 7, 305. Arte ſuum *parili* reuireſcere poſſe parentem. *Ibid.* 637. *parili*que tremiſcere motu.

PASCERE ieiunia, *bene!* Met. 4, 263. *(de Clitie)* perque nouem luces expers vndaeque cibique Rore mero, lacrimisque ſuis ieiunia *pauit.*

PASSVS, paſſum lac, *de caſeo.* Met. 14, 274. Miſceri toſti iubet hordea grani, Mellaque vimque meri, et cum lacte coagula *paſſo.*

PATERE *dicuntur dii ei, quem exaudiunt.* Met. 10, 483. O ſi qua *patetis* Numina conſeſſis. cf. 488. Numen conſeſſis aliquod *patet.* * *eleg. etiam* patere *dicuntur, quae late conſpiciuntur, et quaſi* patent *oculis, vt* patens *coelum* Cic. de Diuin. l. 1. *et apud Ouidium ipſum* Epiſt. 7, 119. patentia moenia: *hinc emendandus locus* Met. 11, 394. *vide* arx. * patere ferro, *de parte corporis obnoxia vulneribus.* Met. 13, 392. Dixit: et in pectus tum denique vulnera paſſum; *nam antea caruit vulnere:* qua *patuit* ferro, letalem condidit enſem. *qua parte vulnus accipere poterat, reliquum enim corpus a vulneribus immune habebat.* cf. Sophocl. Aiax verſ. 840. * Met. 14, 133. Si mea virginitas Phoebo *patuiſſet* amanti, *tradita fuiſſet ad corrumpendum!*

PATI ſeculum, *pro transigere viuendo, noue dictum* Met. 7, 274. quibus inſuper addit Ora caputque *nouem* cornicis *ſaecula paſſa. Heinſius mutanda coniicit* oua *atque non temere,*

vt equidem sentio, cum constet vsus Ouorum in sacris magicis vel ex laudato a Burmanno loco. Plin. 19, 4. * pati proelia, *graeco loquutio, et audacter de clypeo,* Met. 13, 117. Adde quod iste tuus tam raro proelia *passus* Integer est clypeus.

PATIENTER, *cum venia, et fauore.* Trist. 2, 7, 27. Nec tamen illa legi poterunt *patienter* ab vllo; Nesciet his summam si quis abesse manum. *loquitur de libris* Metamorph. *in quibus huc illuc explicandis vt par erat ad h. l. prouocauimus licet non sit negandum, tam praeclare perscriptum etiam, vt nunc est, esse librum, vt vel minimi naeui optimam statuam leuiter foedare videantur. Forte etiam ipse poëta postea in exilio opus retractauit, quod elicere quis posset ex tam multis diuersis lectionibus, quae videntur ab ipso poëta nasci, Nec mirum fuerit, cum constet opus Fastorum apud Tomitanos demum ad finem esse perductum.*

PATRVVS *adiect.* patruus ensis Fast 4, 55. Ense cadit *patruo* Lausus. *Nil mutandum. Sic* Homer. 9, 563. *κασιγνητον φονον dixit* fraternam caedem, *et similia passim Graeci et Latini.*

PECTEN *quum etiam sit* plectrum, *quo fila citharae percutiuntur, belle* alterno pectine canere *Ouidius dicit* de genere elegiaco. Fast. 2, 12. Dum canimus sacras alterno pectine Nonas Maximus hinc fastis adcumulatur honos. *His scilicet Nonis Augustus cognomentum* Patris Patriae *accepit. Contigit hoc anno* 758. V. C. *septem annis post decimum tertium Augusto consulatum.* cf. Sueton. Aug. c. 58.

PECTVS, *venuste* Fast. 5, 71. Romulus hoc vidit, selectaque *pectora*, Patres dixit; ad hoc Vrbis summa relata nouae. *Alii legunt* corpora, *quae est inficeta glossa. bene* pectora selecta, *de senibus*

bus delectis, consilio et prudentia grauibus.

PENATIGER, *epith. Aeneae, natum ab Ouidio; quia penates gesserat, tulerat in Latium per longos errores.* Met. 15, 450. Haec Helenum cecinisse *penatigero* Aeneae Mente memor refero.

PENDERE Met. 6, 667. corpora Cecropidum pennis pendere putares; Pendebant pennis quorum petit altera siluas; Altera tecta subit. *Mirum artificium h. l. in narranda mutatione Prognes et Philomeles in hirundinem et luscíniam; facile nempe fuisset vati pluribus describere mutationem, vt alias idem fecit; iam adeo cito mutantur, vt vix sentiat lector. Vnde hoc? Atqui prosequebatur eas nudo ense Tereus, effugiunt, et nisi* quam minimo *temporis puncto mutantur, mortem oppetent. Dum itaque fugiunt, iam quasi pennis sublatae properant, iam pennis vere pendent; factae volucres. Velocitas verborum velocem mutationem exprimit; feliciter. Longe alia res erat in Tereo transferendo: hinc etiam longior est in describenda eius mutatione solers poëta.* cf. vers. 67. seqq. *si qui sint, qui amant explicationem totius fabulae, et qua historia nitatur, scire; legant* Pausaniam libr. 1. c. 41. *De aliis ad mythologiam pertinentibus consulendus* Cerda ad Virgil. Eclog. 6, 79. *Sed est paullo longior iusto disputatio.* * pendere in aëre, *pulchre de volante, expr. quod nos dicimus schweben.* Met. 7, 329. Desiliuit saxo; cuncti cecidisse putabant: Factus olor niueis pendebat in aëre pennis. *Aduerte h. l. bene rei celeritatem exprimentem orationem. Narrat celeriter duobus versibus, quod cito fiebat.* * Met. 8, 12. Et *pendebat* adhuc belli fortuna; diuque Inter vtrumque volat dubiis victoria pennis. *Pulchre!* dubiis pennis, *de volante dubia mente,*

quorsum vergatur, * Pendere *eleg. ii dicuntur, qui in summo rerum timore et expectatione versantur.* Met. 11, 352. *pendet* et ipse metu trepidus Trachinius heros. *Heinsius eiiciendum hunc versum putat. si quaeris causam; nullam dedit: neque ego ullam scio. Burm. emendat cum multis scriptis, vt est in nostra Editione. Heinsiana habet:* pendet et ipse metu trepidat T. h.

PENSARE, *compensare, in vicem alterius accipere.* Met. 5, 94. *pensaque* hoc vulnere vulnus. *de locutione pensare aliquid aliquo fuse disputat* Vorstius de Latinitate vulgo neglecta Part. 2. c. 1.

PER, *ita vt respondeat graeco ἀνα, diffuse, sparse &c. per aliquam rem.* Met. 4, 405. Fumida *iam dudum latitant per* tecta sorores; *huc, illuc, per omnia loca tecti &c.* per causam Trist. 2, 452. *vide* causa.

PERAGERE Met. 8, 622. immensa est, finemque potentia coeli Non habet: et quidquid superi voluere *peractum est! longe pulcherrime, et quadam cum sublimitate*, peractum est, *ad celeritatem expletae voluntatis Deorum indicandam. voluit, iam est* peractum.

PERARARE, *Ouidianum verbum; idem quod arare, vel exarare.* Met. 9, 565. Talia nec quicquam *perarantem, exarantem, scribentem*, plena reliquit cera manum: summusque in margine versus adhaesit. * *pro* arare *propria significatione* Met. 14, 96. Naresque a fronte remissas Contudit, et rugis *perarauit* anilibus ora. *Nota est translatio* rugae arant faciem; *de rugosa, senili facie.*

PERCVTERE: *solent librarii et codd. hoc vocab. cum altero* percellere *semper fere apud poëtas confundere; quare notandum solum, vt Burmannus iam docuit*, percellere *hac valere significatione, vt notet*

in

in terram dare, euertere, sternere; percutere *vero in planctu et luctu proprium esse vocabulum; hinc facili negotio expediri multa loca possint; plus enim est* percellere *quam* percutere. *Itaque, vbicunque fere in pugna res geritur, et aliquis prosternitur, locum habet* percellere, *vt apud* Ouidium Met. 5, 58. 58 et 98. 13, 312. &c. percutere *vero est* verberare, plangere Met. 3, 330. et 481. *eleganti repetitione, Ouidio solita.* Nidaque marmoreis *percussit* pectora palmis: Pectora traxerunt tenuem *percussa* ruborem. Met. 4, 138. *Percutit* indignos claro plangore lacertos. *Quam bene* indignos! *qui talia non meruerant; mouet misericordiam. Lubet hic adscribere notam* Burmanni *ad* Met. 4, 138 *et quia mihi probatur, et quod non multa eius generis bona habet Burmannus.* „Percutere *pro* „plangere infinitis apud „Ouidium locis. In ve„hementioribus animi „adfectionibus, ego ma„lim vti verbo *percussus* „quam *perculsus*, vt re„cte Pierius ad illum „Virgilii locum. 1, 513. „et libr. 6, 475. *Nec mi„nus Aeneas casu percus„sus acerbo.* Vbi addit „idem, mortales tot ae„tatibus neglexisse diffe„rentiam inter *percul„sum* et *percussum.* libr. „8, 122. *Obstupuit tan„to percussus nomine „Pallas.* Lucan. 5, 595. „Mens dubiis *percussa* „pauet. 1, 487. Nec to„lum vulgus inani *Per„cussum* terrore pauet. „5, 737. *percussoque* „vulnere coeco. et ita „passim. Ratio autem, „cur in his omnibus *per„cussus* praeferri debeat, „est quia translatio aper„ta est a vulnere corpo„ris ad mentem, quam „manifeste Cicero osten„dit Epist. Att. 3, 17. „Percussisti autem me „etiam de oratione pro„lata; cui vulneri, vt „scribis, medere, si quid „potes.„ *Plura etiam dabit volentibus* Drakenborch. ad Sil. Ital. libr. 2, 213. * percute-

re

re in cor. Met. 5, 384. Inque cor hamata *percussit* arundine Ditem. *Sed vide* In. * Met. 5, 472. et repetita suis *percussit* pectora palmis. *Notanda videtur ars huius versus quaedam, in ipsis verbis adhibita. Habes hic repetitam litteram* p *mira cum efficacia, et ipse versus numerus rem adiuuat.* * *verbum textorium, de qua significatione miror nihil in* GESNERI *Thesauro monitum esse; ea locupletari iam debet.* Met. 6, 58. *Percusso* feriunt insecti pectine dentes. i. e. *subtemen illud inductum, feriunt dentes insecti, ipso pectine percusso, vt textum densetur, filis arctius coëuntibus. Ita etiam hoc verbum occurrit apud* Iuuenal. Sat 9, 30. Et male *percussos* textoris pectine Galli; *de lacernis pinguibus, raris, duri crassique coloris. Et apud* Lucan. 10, 141. Candida Sidonio perlucent pectora filo Quod Niloris acus *percussum* pectine ferum soluit, et extenso laxauit stamina velo. * percutere aëra *bene de volante* Met. 10, 159. *percusso* mendacibus aëre pennis.

PERFLARE. Met. 10, 739. Excutiunt iidem, qui *perflant* omnia, venti. *Sed lectio oppido falsa est. MSS. alii:* qui praestant omina. *alii, iique plurimi:* qui praestant nomina: *eaque vera lectio, vt iam vere vidit Heinsius. Quid sibi enim velit?* qui perflant omnia, venti, *quam frigide, quinimo, quam pueriliter esset dictum! Lectio autem:* qui praestant nomina, venti; *et elegans, et Ouidiana est!* Adonidis *cruor enim in* Anemonem *florem mutatus est; qui flos ἀπο τε ἀνεμε nomen deducit. quo alludit Noster. Appositе Plinius libr. 21. c. 23. de anemone:* flos nunquam se aperit, nisi vento spirante, vnde et nomen accepit. *quem locum Plinii iam ad Ouidium laudauerat Heinsius.*

PERMITTERE *proprie et etymologicως mittere per*

per ſpatium. Met. 14, 182. vidi cum monte reuulſo Immanem ſcopulum medias *permiſit* in vndas. *Expreſſus locus eſt ex* Odyſſ. 9, 480. ſeqq. *quem locum conf.*

PERPICTVS, *variegatus. vocab. Ouidii vni proprium, ſi vera eſt lectio vulgata.* Met. 10, 262. Silia *perpictas*que pilas et ab arbore lapſas Heliadum lacrimas. *Sed plura MSS. habent:* Liliaque pictasque pilas cet. *et ita edidit* Burm. Heinſius *coniicit:* Lilia fert pictasque pilas. *Non probo; et MSS. auctoritatem ſecutus Burmannianam lectionem accipio.*

PERVIDERE *pro ſimplici* videre Met. 14, 375. ſocerum qui *peruidet* omnia ſolem Accipe. conf. hoc vocab. in Part. I. Clauis.

PERVIVS Met. 5, 194. Adapertaque velle ora loqui credas; nec ſunt ea *peruia* verbis; *pulchre de ſigno marmoreo* hominis *qui aperit os ad loquendum. Namque in hyadem mutatus eſt Nileus eo ipſo geſtu, quo loqui vult. In tota illa deſcriptione mutatorum hominum cum Perſeo pugnantium tanta ars poetae cernitur, vt nulla ſupra eſſe poſſit. Dum ſingulos mutatos narrat, ſingulos geſtus deſcribit* cf. verſ. 182. verſ. 286. verſ. 194, 199. 706. &c. *quales figurae! quanta poëtae inuentio! quanta venuſtas, quanta imaginum ridicula voluptas. ſenſus ipſe tuus optimus erit interpres.*

PHILYRA *vide Part. I. Clauis.* Faſt. 5, 337. Ebrius incinctis *philyra* conuiua capillis Saltat.

PIACVLVM *de inferiis* Met. 5, 569. Indui terque atras veſtes et inane ſepulchrum Conſtituit, falſisque *piacula* manibus infert. *bene* falſis manibus, *de foemina decepta fraude et mendacio mariti.*

PICTVS. faſti picti, *quia ornari coloribus ſolebant* Faſt. 1, 11. Quaque ferunt illi *pictos* ſignantia *faſtos*, Tu quoque cum Druſo praemia fratre feres. *vide* Faſti.

PIN-

PINGERE *de opere textorio, vt solemne est* Met. 6, 71. Cecropia Pallas scopulum Mauortius in arce *pingit* et antiquam de terrae nomine litem. *Scopulus est* Ἄρεος πάγος, *sic dictus ab inferendo eo loco a Marte Halirrhotio, Neptuni filio. De re ipsa vide* Burm. disputt. de Ioue fulgerat. 6. 8. antiqua illa lis de Terrae nomine, *notissima illa quidem est, sed si vis, adi* Apollodor. Libr. 3. c. 13. *qui cum Ouidio etiam consentit.*

PINGVIS: alimenta pinguia, *bene de sulphure &c. quae ignem creant in monte Aetna* Met. 15, 352. Nempe vbi terra cibos alimentaque *pinguia* flammae Non dabit, ablamptis per longum viribus aeuum.

PLACARE ieiunia Met. 15, 94. Nec, nisi perdideris alium, *placare* voracis. Et male morati poteris ieiunia ventris. *vide* Moratus. *Sunt qui legunt* pacare, *male!*

PLACIDVS: lapsus *innocuus* Fast. 6, 310. Placido lapsu per sua regna fuerunt.

PLANGOR Met. 6, 532. Lugenti similis, caesis *plangore* lacertis. *Noto ideo solummodo hunc versum, quia adulterinus est, in quem iam et iam animaduertit Heinsius. Hic omnino adnotare libet, quum in Ouidio tam multi versus occurrant, quorum auctoritatem negant viri docti recte; esse quadam animi prouisione hic agendum, atque plurimos tales versus et esse adulterinos et tamen non esse. facile animaduertitur in prioribus libris eiusmodi versus non occurrere, inde a sexto libro vim eorum esse magnam. Vnde hoc? Nempe nisi me omnino fallunt, non fallit coniectura me mea, poëtae non elaboratos hos libros inuito excidisse, et plures eiusmodi versus esse scriptos de quibus adhuc, quia limam expectabant, quos emendaturus, si licuisset, erat, eos lectores librarii modo emenda-*

runt

runt ipsi, modo omiserunt, modo fideliter descripserunt. hinc illa varietas codicum; hinc et adulterini sunt iam nec adulterini versus.

PLATANVS genialis Met. 10, 95. Platanus genialis acerque, coloribusque impar. *vide* Genialis.

PLAVDERE alis *dicuntur aues, quum strepitum volando faciunt* Met. 14, 507. Numerusque ex agmine maior subuolat, et remos *plausis* circumsonat *alis.*

PLENVS plena manu, i. *copiose*, largiter Fast. 4, 726. * *plenum dici, pro perfectum, constat vel ex ipso poëta* Epist. 16, 376. Exige cum *plena* munera pacta *fide, vbi plena fides, integra est, perfecta. nec desunt alia exempla, sic apud* Cic. Tusc. Quaest. 26. pr. plenum carmen est perfectum. hinc intellig. plena gratia Met. 11, 391. Pulchros regina piosque pone metus, plena est promissi gratia nostri, i. *promissum meum gratificans tibi profecto integrum est; vere fiet, quod fauor, amor meus promittit. Pessime enim in Vulgg. Edit. et quod mirum in ipsa Burmanniana legitur*: promissi gratia vestri. *Nescio an hic dormitauit Burm. namque ipse expedire h. l. se posse desperat.* „An recte sit dictum, *ait*, dubito, pro concedo in tuam sententiam, et obsequor omnino; acutiores viderint„ *et tamen addit, codd. Med. et decem alios legere*: promissi gratia nostri. *Hos et tot auctores cur itaque non sequitur? Plana tum omnia, vt explicaui: etiam Heinsius emendat*: promissi gloria vestri: quod quid *sibi velit, viderint manes Heinsii.* * Plenissima verba, *quae sint, quaeritur in* Met. 10, 290. Tum vero Paphius plenissima concipit heros Verba, quibus Veneri grates agat. *Pygmalion videns certo esse statuam in puellam mutatam*, plenissima concipit verba: Burm. haec„ quaenam sunt verba plenissima? mihi certe non intelle-

tellecta; quare non displicet vnius Heinsiani scriptura, *pleniſſima vota. plena vota* sunt, vt fruatur et coeat cum imagine illa eburnea, iam foemina facta; sic Art. 1, 671: *Quantum defuerit pleno poſt oſcula voto.* Et ita Petron. c. 97. et hic quidem pleniorem spem concepit. *de votis* autem hoc sensu vide ad Petron. c. 86. *vota* vero et *verba* confundi docuit iam Heinsius ad Met. 4, 387. *Hoc certe niſi eſt corrumpere locum ſanum; profecto nusquam vllus corruptus. Omnia reliqua, quae profert Burmannus fuerint inania neceſſe eſt, ſi modo pleniſſima verba ſenſum fundant. Atqui fundunt ſenſum elegantiſſimum. Ex iis locis, quae ſupra poſuimus, clare elucet,* plenum *eſſe* perfectum, integrum, *hinc* pleniſſima verba *sunt* perfecta; *namque Pygmalion rediens ab ara Veneris inuenit ſtatuam ſuam puellam plane factam* vers. 281. visa tenere est, iam manibus pectora tentat, Iam stupet, et timide gaudet, sallique veretur: rursus statuam retractat. *Dum vero amplius dubitare nequit, eſſe veram puellam, non porro timide gaudet, non ſtupet, ſed* pleniſſima verba concipit; *Quis eſt quin intelligat? nempe nunt proloquitur, ſilentium rumpit,* pleniſſima, *integra verba prodit. quid apertius? namque explicat ipſe poëta;* concipit heros verba quibus Veneri grates agat: *ergo integra voce et clara grates iam agit Veneri. Vſque adeone dormitauit Burman. vt* vota *poneret, cum ineptum ſenſum pariant; quid enim eſt:* vota concipit quibus Veneri grates agat. *ſed nimium iam dixi. cf. inſuper* Cic. Orat. 47. *vbi* plena verba *ſimili ſenſu, et vide* h. voc. *in Claue* Ernest.

POENA lucrosa *eleg.* pro poena eius est lucrum, Trist. 2, 507. Quoque minus prodest poena est lucrosa poëtae, Tantaque non paruo crimina practor

praetor emit. *Vix ego capio, qui factum sit vt omnes interpretes hunc locum concoquere non potuerint. Omnes fere emendauerunt; pauci adeo sinistre locum explicarunt, vt mirandum sit. Heinsius rescribere conatus est;* Qua minus prodest, scena est lucrosa poëtae. *Id quod vltro intelligitur; quodsi talia scripsisset Naso, ridendus esset.* Clericus Art. Crit. Parte III. S. 1. c. 16. *inepte* poenam *interpretatur* laborem. Heumann. in Parergis crit. p. 163. *restituere ausus est, more suo.* Quaeque minus prodest, scena est lucrosa poëtae. *Quam lectionem securus Burmannus recepit. Pessime! an nescit vllus interpres, Ouidianum esse, ludere interdum verbis aut vsurpare verba significatione ea, vt fiat ὀξυμωρον? atqui sic h. l.* poena *accipienda. Loquitur Naso de mimicis, proteruis et petulantibus poëtis. dicit:* quoque minus prodest; *quo magis scil. iocis illiberalibus abundat.* Poena lucrosa poëtae est; *poena eius valde lucrosa est, talis eius poena est, vt gaudeat, accipit pecuniam pro fabula.* Poena *eius est lucrum. Quid planius esse potest? Quid magis Ouidianum? Explicat ipse sententiam, cum addit:* Tantaque non paruo crimina praetor emit. *Accedit denique vt vox* poena *sit media, et interdum de bonis accipiatur. vide* Dan. Heins. ad Sil. Ital. 2, 592. *et ef.* vers 509. et 510. *in nostro loco.*

PONDVS Metam. 13, 86. Hunc ego sanguineae, successu caedis ouantem Cominus ingenti resupinum *pondere* fudi; *saxo cf.* Homer. Iliad. Ξ. 409. seqq. *Omnis oratio Aiacis ad Homeri descriptas eius virtutes respicit.*

PONERE in flammas, *accendere* Met. 8, 453. stipes erat, quem, cum partus enixa iaceret, Thestias, in flammas triplices *posuere* sorores. *Parcae.*

POPILIO Met. 15, 374. Quaeque solent canis frontes intexere vilis Agrestes tineae, res obseruata colonis Ferali mutant cum *papilione* figuram. *Totus ille locus explicatur* a Plin. Libr. 12. c. 32. „Multa autem insecta et aliter nascuntur, atque inprimis ex rore. Insidet hic paphoni folio primo vere, et spissatus sole in magnitudinem milii cogitur. Inde oritur vermiculus paruus, et triduo mox eruca, quae adiectis diebus crescit inmobilis, duro cortice ad tactum mouetur aranei. Haec eruca quam chrysallidem appellant, rupto deinde cortice volat *Papilio*. *Quare vero* feralis papilio *dicatur, eo referendum* quod Plin. Libr. 28. c. 10. *ait:* Papilio quoque lucernarum luminibus aduolans, inter mala medicamenta numeratur. Huic contrarium est iecur caprinum &c.

POPVLABILIS *nouum ab Ouidio factum vocab.* Met. 9, 262. interea quodcunque fuit *populabile* flammae (*quodcunque flamma populari poterat, euertere*) Mulciber abstulerat.

POPVLARIS oliua *bene dicitur, quam tenet Cephalus Athenienſis, in qua terra natam esse oleam sciunt omnes* Met. 7, 498. Ramum tenens *popularis* oliuae.

PORRIGERE *extendi: cum vi pingendi* Met. 4, 574. Ipse precor serpens in longam *porrigar* aluum, Dixit et vt serpens in longam tenditur aluum. *bene!* in longam aluum porrigi *de homine in draconem monstrum mutato. Nota praeterea suauitatem Ouidianam in repetendo:* serpens in longam porrigar aluum, dixit et vt serpens in longam tenditur aluum. *Narratio inde vitam accepit h. l. et vigorem quendam.* * porrigere *poët. et eleg.* Met. 15, 741. Insula nomen habet, laterumque a parte duorum *Porrigit* aequales media tellure, lacertos.

PORRO *de tempore praeterito, vt* quod porro sit,

sit, *sit id, quod praeteriit.* Fast. 1, 635. Postrima placantur postuertaque (*Nymphae Carmentae*) siue sorores siue fugae comites, Moerali Nympha duae: altera versurum postmodo quidquid erat postrima *scil. ideo sic dicta, quia caneret omne praeteritum*; postuerta *vero futurum. Vellem notatam hanc notionem* τῆς porro in Gesneri Thesauro, *quum sit rara et contra vulgarem Grammaticorum sententiam. Ceterum non est consilii nostri et huius libelli, de etymologia* postrumae et postuertae, *disputare aut, definire, sit* postuerta *an* postuenta *dicenda illa Dea. Vide alia prolata apud* Gell. Noct. Att. 16, 16.

PORTENTIFER *vox ouidiana*, Venena portentifera, *quae monstra creant* Met. 14, 55. Paruus erat gurges curuos sinuatus in arcus — — hunc Dea praeficiat; *portentiferis*que venenis inquinat.

POSCERE *eleg.* poscor Palilia; *poscitur a me vt Palilia canam* Fast. 4, 721. Nox abiit, oriturque aurora. Palilia *poscor.* Non poscor frustra; si fauet alma Pales. *Nonne animaduertis concisum genus scribendi h. l. suauissime adhibitum? relege locum ipse! siue vero* parilia *siue dicas* Palilia, *per me licebit; iudicent Critici ii, quorum interest. De ipso Festo satis docenda docet poeta loco cit.*

POSITOR *conditor, nouo dictum* Met. 9 et in Aside terra moenia constituis, *positoris* habentia nomen. Fast. 2, 63. Templorum *positor*, templorum sancte repositor. *vide* repositor.

POTENS herbae potentes; *de veneficis* Met. 4, 49. * potens votum *dicitur cum fit, quod vouebatur* Met. 8, 752. vittae mediam, memoresque tabellae certaque cingebant, voti argumenta potentis. *Fabulam, quae hic narratur*, Erysichthonis, *describit* Callimachus in hymno Ce-

reris vers. 38. *seqq. si vtrumque poëtam conferre, et vtri palma debetur decernere velis, aut voluptate iucundissima perfrui, lege, non* Scaligerum poet. 5, cap. 8. *sed* Ernesti *singularem commentationem de* Eresichtone, *qua vterque poëta comparatur.* * potens, *felix namque intell. et voti;* potens voti Met. 10, 340. *Dicit Myrrha foedo patris amore correpta. Non* quia iam meus est; non est meus; *(facete nec siniſtre, si quid video, sensum enim vere et breui ardentem notat.)* Ipsoque damno est mihi proximitas: aliena (*non filia*) potentior (*voti*) essem.

POTIOR *vide Clav. Part. I. in h. voc.* Met. 14, 169. Hac mihi si *potior* domus est Ithaceque carina. *amabilior, melior. Heins. coniicit:* Hac mihi si potior domus est Ithacaea carina. *At nec illa nec aliis prolatis emendationibus opus est.*

PRAECEPS tempus, *periculosum, anceps. eleg. Metaphora* Fast. 2, 400. At si quis vestrae Deus esset originis auctor, in tam *praecipiti* tempore ferret opem.

PRAECIPERE Met. 4, 758. taedas Hymenaeus Amorque *praecipiunt. Indignum iis officium, et cur* praecipere taedas? *reddunt alii,* hortantur, suadent, *sed friget sensus. sunt etiam, qui legant* praecipitant, *vt sit sententia: impellunt ad nuptias properandas, sed nec id audiendum. Recte igitur Heinsius ex* MS. Florentino *asciuit:* Praecutiunt; *pulchre! est enim haec res apprime digna Hymenaeo et Amore.* Propert. 3, El. 15. Ipse amor accensus *percutit* ante fores, *vbi etiam leg.* praecutit *recte vir doctus monet.* Gesnerus in Thesaur. *explicat* praecutere, *inter praeferendum quatiunt. fortasse vero* praecutere, *h. l. est simpliciter* quatiunt, *aut si mauis, iam ante nuptias* quatiunt, tripudiantes gaudio. * praecipi seges *dicitur* aestu, *cum ante matura-*

ritatem creſcit Faſt. 4, 940. Eſt canis (Icarium dicunt,) quo ſidere moto Toſta ſitit tellus, *praecipiturque* ſeges.

PRAECOMPOSITVS Faſt. 6, 674. *Praecompoſito* nuntius ore venit.

PRAECONIVM diis dicere *dicuntur, qui puniti ſe poenam mereri fatentur* Pont. 1, 1, 55.

PRAECONSVMERE *vox Ouidio forte propria* Met. 7, 489. Vtilius bellum putat eſſe minari, Quam gerere, atque ſuas ibi *praeconſumere* vires.

PRAECONTRECTARE videndo, *pulchre et ſignate* Met. 6, 478. ſpectat eam *praecontrectat*que videndo; *quaſi oculis omnia membra contrectat, pererrat lumine totam, vt ait Virgilius.*

PRAECORRVMPERE, *antea corrumpere voc. Ouidian.* Met. 14, 135. Dum tamen hanc ſperat, dum *praecorrumpere* donis Me cupit.

PRAECORRVPTVS, *voc. ab Ouidio factum.* Met. 9, 296. Illa quidem venit, ſed *praecorrupta (Iuno Lucina, venit ſed antea iam ſubornata a Iunone Iouis vxore)* mentmque Qua donare caput Iunoni vellet iniquae.

PRAEDELASSARE *verbum Ouidianum; ante delaſſare, bene* Met. 11, 731. Adiacet vndis Facta manu moles, quae primas aequoris iras Frangit, et in curſus quae *praedelaſſet* aquarum.

PRAEFRIGIDVS Pont. 4, 12, 35. Et tepidus Boreas, et ſit *praefrigidus* Auſter.

PRAELVSTRIS *pro* illuſtris. *Ouidianum vocab.* Triſt. 3, 4, 5. Viue tibi quantum pote, praeluſtria vita, ſaeuum *praeluſtri* fulmen ab arce venit.

PRAEPES *Pegaſi epitheton* vt Met 5, 237. *Inde et ſic legendum:* praepes *pro* praeceps Met 4, 417. ſic celeri ſiſſum praepes per inane volatu Terga fere preſſit.

PRAESENS: *maior, potentior* Met. 3, 758. Nec ſi quaeſieris odium Cyclopis amorne Acidis in nobis fuerit *praeſentior*

edam; *ex vera Heinſ. lectione quam tuentur optimi libri.* *Sic* Epiſt. 16, 271. O decus, o praeſens genitorum gloria fratrum. *vide* praeſentia. * Dea *praeſens, potens* Met. 14, 123.

PRAESENTIA *potentia et quidem ea, quae ſe ſtatim exſerit* Met 4, 611. tanta eſt *praeſentia* veri. Geſneri *Theſauro adſcribi haec ſignificatio poterit*, omiſſa. *licet de voce praeſens* n. 6. *monitum ſit.* * praeſentia, *potentia* Met. 4, 612. tanta eſt *praeſentia* veri - ſeu Dea tu praeſens ſeu Dis gratiſſima dixit.

PRAESIGNIS *mirabilis, pro* inſignis Met. 7, 150. Peruigilem ſupereſt herbis ſopire draconem, qui cruſta linguisque tribus *praeſignis* et vncis Dentibus horrendus, cuſtos erat arboris aureae. *Ita legendum exiſtimo, non, vt edidit Burmannus,* arietis aurei, *ſecutus Heinſii coniecturam, non ſuffragantibus vllis libris; putat non poſſe dici* auream arborem, *quae aureum vellus ferat; an ignotum igitur ei erat haec figura, quam, ſi more eius agere placeret, ſexcentis locis probarem. ſed ſciunt tirones. Nec aliam cauſſam mutandi ipſe Heinſius inuenire potuit. De re ipſa voluptas erit conferre* Apoll. Rhod. 4, 145. ſeq. et Ouid. Epiſt. 12, 101. * Met 15, 618. Exhibuit gemino *praeſignia* tempora carmine.

PRAESTANS Met 13, 758. Nec ſi quaeſieris odium Cyclopis amorne Acidis in vobis fuerit *praeſtantior*, edam. *ſed nihil eſt illa lectio, legendumque cum Burm. et Heinſio* praeſentior. *vide praeſens.*

PRAESTES *Deus tutelaris, qui praeeſſe credebatur rebus agendis. Duplex genus et eorum, qui praeſtant omnia tura hominis vnius. vid.* Epict. Diſſert. 1, 14. *et eorum qui curam Vrbis, regionis et ſic porro gerunt. Praeſtites dicti, quia praeſtant tuta.* Faſt. 5, 129. *Praeſtitibus noxae laribus videre calendae* Aram conſtitui, ſignaque

que parua Deum. Vouerat illa quidem curias, sed multa vetustas Destructa et saxo longa senecta nocet, Causa tamen positi fuerat cognominis illis quod *praestant* oculis omnia tuta suis. cf. Brisson. de Form. Libr. 1. c. 84 p. 46. *et quae plura* docet Ouidius loc. laud. vers. seqq.

PRAETENTARE *tractare*, *pulsare scil. citharam* Met. 5, 393. Calliope quaerulas *praetentat* pollice chordas; atque hac percussis subiungit carmina neruis. * Met. 8, 7. *praetentat*que sui vires Mauortis in orbe Alcathoi. *Experitur copiarum suarum vires ante ipsum verum bellum.* * *eleg.* Met. 14, 189. *praeten'at*que manu Siluas. *explorat, tangenda manu.* * *praetenta*que forti tela tenent dextra *librata.* * Met. 9, 590. ante erat ambiguis animi sententia dictis, *praetentanda, experienda mihi.*

PRAETERIRE Trist. 2, 2, 90. At, memini, vitamque meam moresque probabas, Illo, quem dederas *praetereuntis* equo. *Respicit ad munus Augusti, quo* morum magister *erat*; cf. Sueton. c. 22. *et notum est ex Antiquitt., equites solitos praeterire equo Censores, cum lustratio esset; qua lustratione acta nunquam se notatum a Caesare propter mores poeta dicit. Male Cioſan.* „Hoc ideo dicit, quod penes Augustum Censorum, qui equitibus equos dabant, auctoritas manserat.„ *Non auctoritas Censorum, sed ipsum munus Censoris Augusti erat; non censores equites dabant, sed adimere equitibus male moratis poterant.*

PRAETERITVS pudor, *laesus, neglectus.* Trist. 2, 410. Est et in obscoenos deflexa tragoedia risus, Multaque *praeteriti* verba pudoris habet. *Sic* Pont. 3, 4, 44. Quo magis, o lector, debes ignoscere, si quid Erratum est illic, *praeteritum*que mihi,

PRAEVISVS Met. 15, 135. Percussaque (*victima*) sanguine cultros inficit in liquida *praevisus* forsitan vnda. *Intelligunt omnes interpretes de cultris positis iuxta victimam mactandam, quorum imaginem forte vidit in aqua, in sacris adhibita, et per pelues dispositа* conf. Fast. 1, 327. an quia *praevisus* in aqua timet hostia cultros. *sed, etiam si vera sit explicatio, quam dedimus, aliam ipsi non inuenimus, ab hoc Metam. loco illa sententia longe est alienissima. Quid hoc ad rem, ad probandum facinoris impietatem, quod viderit victima cultros et timuerit? Est ille locus vnus eorum, quos forte emendasset secundis actis curis poëta.*

PRAEVITIARE, *vocab. ab Ouidio natum* Met. 14, 55. paruus erat gurges curuos sinuatus in arcus — hunc Dea *praeuitiat.*

PRECARIVS, forma *precaria. eleg. non propria, aliena, assumta* Met. 9, 76. arma aliena moues quem forma *precaria* celat.

PREMERE. *eleg. de finibus terram aliquam coercentibus, adeoque prementibus, poëtica vera virtute.* Met. 4, 635. humum vicinia nulla *premebat. Nulli fines erant a vicinis (qui non erant) positi, ditissimis aquis sine fine magnis erat. Sed legg. optimi libri* premebant *pro* premebat, *solita figura; quae quam frequens sit imprimis apud Ouidium probat exemplis* Heinsius ad Fast. 3, 189; *licet non negandum,* Heinsium *ipsum interdum nimis eam formam loquendi adamasse, et saepius adsciuisse quam par esset. De quo forte, si licet, in praefatione plura dicam.* * *eleg. de eo, qui iuxta sedet et arcte quo tangat assidentem, amatam.* Met. 10, 557. *Venus* requieuit humo: *pressitque* et gramen et ipsum *Adonem,* inque sinu luuenis posita ceruice renidens Sic ait: ac mediis interserit oscula verbis.

verbis. * *eleg. de falce dicitur, quae amputat vites et arbores, quo melius crescant* Met. 14, 629. Nec iaculo grauis est, sed adunca dextera falce; qua modo luxuriem *premit*, (*resecat ramos infelices, et fruticea, quae vim crescendi demunt*) et spatiantia passim brachia compescit

PRESSARE, *pulchre ad indicandum tum saepius, tum cum ardore pressum ad pectus corpus.* Met. 8, 338 Post cinerem, cineres haustos ad pectora *pressant*. *Habes Ouidianum lusum in verbb.* Post cinerem cineres.

PRIMITIVS torris Met. 12, 272. Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus ab aris *primitium* torrem. *Sed nulla est lectio; vide voc.* pruniteus.

PRIMVS, aedes primae Met 5, 284. *vide* aedes.

PROCESSVS habere. Trist. 4, 5, 25. Sic tua *processus* habeat fortuna perennes.

PROCINCTVS Pont, 1, 8, 10. Haec in *procinctu* carmina facta leges. *raptim. Metaphora a militibus in bellum profecturis, qui celeriter absque vlla solemnitate testamentum, quod in procinctu dicebatur, faciebant.* Ciofan.

PROFECTVS Met. 9, 50. Ter sine *profectu* frustra voluit nitentia contra Reiicere Alcides a se mea pectora. Poterit hoc loco Thesaurus Gesneri augeri. * *Incrementum felicitatis, accessio bonorum, honorum &c.* Trist. 1, 8. (al. 9.) 39. At mea sunt proprio quamuis postissima casu pectora *processu* facta serena tuo. *Nihil hic dicam de varietate lectionum, quum haec, quam dedimus ex nostra Editione, sit veritas. sunt etiam, qui hoc versu inchoent nouam Elegiam; sed ego non video rationem, et si attenderis animum, facile cognosces, omnia secum bene cohaerere.*

PROFICERE Trist. 1, 2, 13. verba miser frustra non *proficientia* perdo. *Vis summa, singula verba rem augent.* Perdit verba, *et* miser et frustra

ſtra, et non *proficientia* verba. *Non fore quemquam puto, qui* ταυτολογίαν *dicat* αυξησιν. *Verſus conſequens:* Ipſa graues ſpargunt ora loquentis aquae, *ſatis indicant fuiſſe hanc Elegiam in ipſo itinere, cum ageretur in mari, perſcriptam* Triſt. 1, 4, 13. vtque parum validus non *proficientia* rectae Ceruicis rigidae frena remittit equo.

PROFITERI: profeſſae *dicebantur meretrices vbi nomina dederant* Aedilibus; *nam ſe vulgare non poterant, niſi praecederet apud Aediles profeſſio. Lex ex Antiquit. nota: conferri tamen poterit* Lipſius *ad* Taciti Annal. 2, c. 85. §. 2. * *paſſiue* Faſt. 2, 158. ſumunt gentiles arma *profeſſa* manus, *quae ſe ſumturus profeſſi erant.*

PROFVNDVS: profundum *pro* mare, Met. 5, 439. Interea pauida nequicquam filia matri, Omnibus eſt terris, omnia quaeſita *profundo. Repetitio Ouidio ſolemnis hic aliquantum vis habet; auget rem, omni terra, omni mari quaerit.*

PROLECTARE *pro* delectare, *quae poſterior falſa lectio libros nonnullos obſidet.* Faſt. 4, 433. Praeda puellares animos *prolectat* inanis. Et non ſentitur ſedulitate labor. *Excellens locus, ſingula verba ſingula virtute ornata.* Praeda *venuſte de floribus lectis a puellis, quae eam praedam gratam ducunt, et* praeda inanis, *elegant.* prolectat — animos puellares — Et non ſentitur labor — ſedulitate. — *cf. eiusdem rei narrationem in* Metam. 5, 390. ſeqq. *Mirum eſt, eandem rem bis a poëta tanta ad rem accommodata ſimplicitate tantaque ſuauitate narrari potuiſſe, vt cui loco palmam tribuas, ambigendum ſit. Praeplacet mihi quidem ea, quae legitur in Metamorphoſibus narratio. Sed tu ipſe comparans iudicabis.*

PROPERARE *fatum* Met. 10, 31. Euridices oro properata retexite fata.

Burm.

Burm. edidit fila; *recte, si quid video; namque* retexere fila, *elegantius,* retexere fata, *fere inepte, et quinque vetusti codd. probant lectionem* fila. *sed* properata fila *etiam tum paullo insolentiori more, sunt, quae propere abciderunt parcae. sed tamen haec locutio habet elegantiam.*

PROPIOR fauens Triſt. 1, 2, 7. oderat Aeneam *propior* Saturnia Iuno.

PROPOSITVM *de materia ipsa, quae tractatur oleg noster poeta ad Venerem.* Fast. 4, 8. Tu mihi *propositum* (*res, quam cano*) tu mihi semper opus. *Omnes vero praegressio huius libri venustissimis facetiis condita est vt ingeniosum prodat Nasonem.*

PROPRIVS Met. 6, 350. Nec solem *proprium* natura, nec aera fecit, Nec tenues vndas, ad publica munera veni. *quae donauit Natura omnibus, non propria fecit cuidam.*

PROTERVVS ventus, *noxius* Fast. 5, 321. Florebant oleae, venti nocuere *proterui*; florebant segetes, pandine laesa Ceres. *Horratius eodem in Odis, epitheto passim vsus. vid.* I. Part. Clauis.

PROVENIRE *dicitur seges, vbi fructus porrigit et* prouentum, *qui inde dictus* Pont. 4, 2, 12. fertile pectus habes interque Helicona colentes. Vberius nulli *prouenit* ista seges. * *eleg.* Triſt. 1, 1, 39. Carmina *proueniunt* animo deducta sereno. *bene* deducta, *solita translatione.* Muret. var. lect. 4, 10. docet, *haec Nasonem ex Euripide sumsisse.*

PROXIMITAS *vide supra* Met. 13, 154. At si *proximitas* primusque requiritur heres.

PRVINOSVS: equi *pruinosi, suauissime Nocti tribuuntur* Pont. 1, 2, 56, Siue Dies igitur caput hoc miserabile cernit, siue *pruinosi* Noctis aguntur equi.

PRVNITIVS *a pruno,* torris prunitius. *vocab. omissum in Thes. Gesneriano, et ab Ouidio natum* Met. 13, 272. Ecce rapit mediis flagrantem

tem Rhoetus ab aris *prunitium* torrem. *Ita enim legendum est cum omnibus antiquis et bonae notae codd. vti iam viri docti monuerunt et edidit Burm. Nihili est lectio* primitium torrem: *vt est in nostra Edit Innumera iam noua verba Ouidii notauimus, e quibus et illud h. l.*

PVBESCERE Trist. 3, 12, 7. Prataque *pubescunt* variorum flore colorum, Indocilique loquax gutture vernat auis. *Elegantissime! vide* Vernare.

PVBLICVS *eleg.* somnus *dicitur* publica requies curarum; *pertinet enim ad omnes, communis vitis est.* Pont. 3, 3, 7. Publica me requies curarum somnus habebat.

PVELLARIS *epith. ab Ouidio natum; certe quod equidem sciam, ante eum nemo vsus eo.* Met. 5, 393. Dumque *puellari* studio calathosque sinumque implet. * planta, *lectum ad rem Epithet.* Fast. 5, 611. saepe *puellares* subducit ab aequore plantas, et metuit tactus adsilientis aquae. *Qualis imago ingenuae puellae, quam feliciter picta natura, est vero et summae artis linea, quam habet versus sequens.* saepe Deus prouidus (i. data opera) tergum demittit in vndas, Haereat vt collo fortius illa sua.

PVLLVS *substantiue pro* pullo colore Met. 11, 48. lacrimis quoque flumina dicunt increuisse suis, obscuraque carbasa *pullo* Naides et Dryades passosque habuere capillos, *pullum* sic vt nigrum *dicitur, vid. Gronou.* ad Liu. 4, 25. et Flor. 4, 2. Mane cum *pullo* apud principia conspectus. *poterit his locis et hac signif. locupletari* Thes. Gesner. *cum ipsa autem narratione Ouidii de caede Orphei cf.* Pseudo-Senec. Medea. 625. seq.

PVLSARE *belle dicuntur membra palpitantia morientis* Met. 4, 133. tremebunda videt *pulsare* cruentum membra solum * palpitare *de moribundo* Met. 5, 84. Et resupinus humum moribunda vertice *pulsat. vid.*

Ver-

Vertex. * *poët.* Met. 6, 219. Planus erat, lateque patens prope moenia campus, assiduis *pulsatus* aquis; *notat ni fallor, id quod dicimus anspühlen.*

PVLVEREVS: solum puluereum Met. 7, 113. *Puluereumque solum* pede pulsauere bisulco. *Inest huic verb. pingens numerus; recita eum et vide, an ter repetitum* p. *cum gemina litera* b. *cum duris aliis coniunctae tibi hoc loco placeant.*

PVMEX Trist. 1, 1, 11. Nec fragili geminae poliantur *pumice* frontes Hirsutas passis vt videare comis *vide* Frons *et adde* Trist. 3, 1, 13. Quod neque sum cedro flauus nec pumice leuis, Erubui domino cultior esse meo.

PVRGAMEN: *purgatio et quidem ea, quae fit lustrando, propter caedem hominis, sacrorum pollutionem &c.* Met. 11, 410. Magnetas adit vagus exsul et illic sumit ab Haemonio *purgamina* caedis Acasto. *De fabula ipsa vidend.* Schol. Apollon. 1, 224. *et* Schol. ad Aristoph. Nub. Act. 3. scen. 3. * Fast. 2, 40. Omne nefas omnemque mali purgamina causam credebant nostri tollere posse senes. Adde Fast. 6, 713. seq. *et* Met. 15, 327.

PVRPVRA *de filis, quae iam contexuntur* Met. 6, 61. Illic et Tyrium, quae *purpura* sensit, aënum Texitur et tenues parui discriminis vmbrae. *Recte extrema de coloribus explicat* Glareanus, *sed poëta scite et appositе in hac re versatus, ex arte atque ratione physica atque optica. Vmbrae, inquit, quasi per gradus, per colorum leuia discrimina, declinantes, faciunt, vt imagines surgere et extare videantur, non secus ac radii solis in roridam cauamque nubem se fundentes, refractique fallunt visum, variosque ostendunt Iridis colores. sic enim pergit:* Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus (*bene* percussus, quod

quod hoc verbum textorium sit, monuimus in percutere) inficere ingenti longum curuamine coelum; in quo diuersi niteant cum mille, colores, Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

Q.

QVA *quatenus* Met. 9, 511. Nec misi, *qua* fas est germana, frater ametur, *et ita saepius apud Ouid. vt* Pont. 1, 6, 10. ibid. 17, 45. &c.

QVADRVPES cursus, *elegantissime* Met. 6, 226. *de cursu equorum, et ad veritatem recte, et ad sensus apprime inuenta locutio. In nostra quidem editione legitur,* Quadrupedis cursus; *at frigide et ex glossa;* certum flectit in orbem quadrupedes cursus, spumantiaque ora coercet.

QVAERERE *indagare, inquirere* Met. 4, 766. Cultus habitusque virorum; *sed pessimam lectionem cito emenda et rescribe* locorum *pro* virorum. *causam ipse senti. vide* Habitus.

QVAERO Met. 2, 239. *quaerit* Boeotia Dircen; eleganter; *quae enim omisimus chara,* quaerit *luctus.*

QVAQVE Met. 1, 15. *Quaque* erat et tellus illic et pontus et aer. *lectio prava! primum enim inculcatum complementum Ouidio indignum, vt alias causas taceam. Interpretes mire in hoc loco se torquent. Porphyrius ad Hor. od. 14, 4. h. l. commemorat his verbis:* illic et pontus et aether. *hinc legendum puto:* vtque fuit tellus illic *cet. Vt autem pro* vbi. vid. voc. *vt. Burmannus conicit:* vtque fuit tellus illic vbi pontus et aer, *nimis audacter. vide plures lectiones variantes et notas apud Burm. ad h. l.*

QVASSVS faces quassae Fast. 508. &c.

QVA VSQVE Met. 3, 302. *Qua* tamen *vsque* potest vires sibi demere tentat. *Quatenus adhuc valet, et ei licet. Pingit hic summus poëta amato-*

rem

rem amatam perdere fato quodam coactum summo cum ingenio ad exemplar naturae; seruare non amplius potest, sed quamuis sint debiles vires suae, omnes tamen adhibet vires fulminibus vtcunque demit, vt saltim molliat, quod euitare nequit. lege totum locum haec obseruans et lactabere.

QVAERELA Fast. 5, 224. prima Therapnaeo feci de sanguine florem, Et monet in folio scripta *quaerela* suo. *de Hyacintho literisque in foliis inscriptis. duplex de hoc flore fabula.* vid. Plin. 21. c. 11. et cf. Met. 10. et Mer.

QVINQVATRVS. vid. part. I. clauis. Fast. 6, 651. *vid. Burm.*

R.

RACEMIFER Met. 15, 413. Vinco *racemifero* lyncas dedit India Baccho.

RADIVS *sc. textorius* Met. 6, 132. Vtque Cytoriaco, *(Cytoris mons Paphlagonis buxis abundans)* *radium* de monte tenebat, Ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes. *Minerua quod nempe pinxerat scelerata flagitia Deorum, praesente imprimis Dea. Mira hic conspicitur ars poëtae. Certant Pallas et artificiosa Arachne; pingit vtraque vestes, quis dubitat longe maiori arte fore, vt pingatur opus Mineruae. Et profecto sic quiuis de plebe poëta rem finxisset; facilis esset inuentio. sed altius insurgit Ouidius. Et ipsa Arachne tale opus perficit, qua Mineruae victoriam dubiam facere possit.* Non illud Pallas, non illud carpere liuor possit opus. *Quid igitur? nodus est nexus Iam non prospicit lector, quorsum haec tendant. Dubius haeret.* Iam vero Pallas rupit pictas, *coelestia crimina* vestes. *Non ipsa ars, sed argumentum telae poenam meretur. Pessime peccauerat Arachne, adeoque percutit modo Pallas eius frontem,*

tem, quae non ad talia erubuerat: fuste agit Minerua. Et Arachne quid illa? Ipsa laqueo animosa guttura ligat. *se ipsa plectit, interficit, non Minerua. Iuno vero illa* pendentem Pallas miserata leuauit. *Dignus profecto talis poëta fauore Mineruae qui haec fecit. Optima haec omnia! plura ipse cogitabis, nam dignares est, quam accurate perpendas. Bene etiam* animosa guttura *h. l.*

RAMALE *verbum Ouidianum pro* ramo Met. 8, 647. Multifidasque faces, *ramalia*que arida tecto detulit et minuit paruoque admouit aëno. *Bella est minutarum rerum descriptio ad rem sensibus subiiciendam, aptissima, sed integer locus pulcherrimus* vers. 149. Sedulo superiniecit textum rude sedula paucis. *Sedula vere et eleg. dicta*, textum rude, *quasi stragulum sed nulla arte factum.* Inde foco tepidum cinerem dimouit. *Vides cum sedulitate alte latentes ignes et fauillam quaeri;* et ignes suscitat hesternos. *laudabilis huius imaginis linea, ad paupertatem indicandam idonea maxime, hesternos ignes quaerit;* Foliisque et cortice sicco nutrit; *accendit et dat alimenta,* folia et cortex *bene decent* hanc cenam et ad flammas anima producit anili. *suauissime* anima anili. *cernis summo cum labore, spiritu debili et halitu, qualis erat anus, sufflantem. Sic Virgil.* gressu properabat anili, *aliquo loco.* Multifidasque faces, *fissa paruula ligna*, ramaliaque arida, *quippe quae non haberet truncos, et maiora ligna*, detulit et minuit paruoque admouit aëno. *Omnia verba lecta.*

RAMOSVS: hydra ramosa, colubris, *quae quasi ramos, capita ostendit.* Met. 9, 73. Hanc ego *ramosam* natis e caede colubris Crescentemque malo domini, domitamque perenni. *dicit Hercules cum luctans cum Archeloo eum videt mutatum in*

in anguem; sed, ni fallor, dedecent profecto talia verba Herculem iam luctantem. Audirem forte, nisi tam poëtica esset oratio. Hydram vocat ramosam natis e caede colubris; *quod in oda aut epica poëtae laudatione locum haberet, non in Herculem hic bene cadit, et an dignus Hercule iam pugnante talis frigidus lusus*, domini domitamque perenni. *sed et nouem vsque nata capita duo ex vno excisa male ab Hercule* heredes ceruices *appellantur; vide voc.* Heres. *Multum interest vatesne loquatur an heros.*

RAPERE, *pulchre et ad celeritatem rei apprime:* Met. 7, 289. Barba comaeque *(Aesonis)* Canitie posita nigrum *rapuere* colorem *(Arripuere, celeriter nactae sunt.)*

RARESCERE, *elegant.* Met. 15, 246 resolutaque tellus In liquidas *rarescit* aquas, *minus densa, tenuis*, rara *fit: ita vocab.* rarus *saepe occurrit, vt mirer, quid sit, quod* Heinsius *dubitauerit, an* rarescere *hoc sensu latine dicatur, et reposuerit in textu* roresci*t, pro* rarescit; *perquam inepte; si iste locus primus esset, vbi Burmanni ἀκριβείαν desiderarem, idem mirarer, cur lectionem Heinsianam in contextu receperit, nullo amplius verbo dicto.*

RARVS, rara tela *pulchre tribuuntur Alexandro Troiano, vtpote imbelli, languido* Met. 12, 600. *Rara* per ignotos spargentem cernit Achiuos Tela Parin. *Nescio profecto quid sibi velint Heinsius et Burmannus tentantes emendare locum, reponentes* Vana, certa, ignaua, *et quidquid venerit in mentem, licet ipsi plane fateantur* rara tela *bene de Paride dici. Eiusmodi exempla vel ideo subinde ponere placet, quo maturius tirones dijudere soleant.*

RASILIS fibula, i. *polita a rasoribus, quos diuersos a tornatoribus et caelatoribus facit Salmas.* Exercit.

Plin. p. 736. Met. 8, 318. *Rasilis* huic summam' mordebat fibula vestem. *Imitatus hunc versum est* Statius libr. 7, 658. *vide* Fibula.

REBELLARE *de luctantibus, nouam luctam ingredi.* Met. 9, 81. Deicto restabat tertia tauri forma trucis; tauro mutatus membra *rebello.* Rebellare *de nouo redintegrato bello saepius occurrit apud Liuium.*

RECANDERE *Verbum Ouidianum* Met. 1, 434. altoque *recanduit* aestu. Met. 7, 78. Et rubuere genae, totoque *recanduit* ore, *recaluit; inflammata est. vide* Met. 3, 707. Met. 4, 530. et Remed. 734. *vt exhibent optimi codd.*

RECOGNOSCERE Fast. 1, 7. Sacra *recognoscres* Annalibus eruta priscis. *rursus leges, quae ex annalibus excerpsi Sacra &c.*

RECONDERE oculos, *de moribundo.* Met. 4, 146. Ad nomen Thisbes oculos iam morte grauatos (*alii* cadentes *male!*) Pyramus excepit visaque *recondidit* illa. * Met. 6, 107. Ipsa (*Europe*) videbatur terras spectare relictas Et comites clamare suas, tactumque vereri Assilientis aquae, timidasque *recondere* plantas. *Dubia lectio; auctoritas tamen plurium codd., teste Heinsio, constituit* reducere *pro* recondere, *vt edidit etiam* Burmannus. *Certe* recondere *est* infrequens, *poëticum magis, nec quod a librario insertum videtur. Forte ipse Ouidius dubitauit; et alia exempla aliam scripturam habuerunt. Malim* recondere *legere, quo simul indicatur venuste, adeo reduxisse Europen pedes, vt conderet sub veste.* * aluo, *quasi sepelire, deuorare* Met. 12, 17. corripuit serpens auidaque *recondidit* aluo. *allusionem esse ad sepulchrum notat* Burm.

RECTOR populorum *ad graec. Homer.* ἀναξ ἀνδρῶν Met. 7, 481. Dicta refert *rector populorum* talia centum. *Appellatur rex vel rector popu-*

populorum centum, rex Cretae quae insula tot vrbes habere iam dicitur ab Homero Iliad 2, 849. Ἄλλοι θ' οἱ κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφιέμουτο. *Inde haec descriptio Cretae solemnis facta est. vid.* Ouid. Epist. 10, 67. Art. 1, 297. Hor. Epod. 9, 29. Pseudo-Senec. in Hercul. Oetaeo 1873. *Quae loca iam laudauerat ad loc. Ouidii* Crusanius.

RECVLTA terra Met. 5, 646. *quae sit, dissident interpretes. Alii nouales agros recoli anno quoque secundo, aut tertio solitos, alii post tempora longa aratos, denuo intelligunt. Verba haec:* leuem currum Tritonida misit in arcem Triptolemo *(Ceres)* partimque rudi data semina iussit spargere humo, partim post tempora longa *reculta. agri post* tempora longa *reculti* vix esse poterunt nouales. *Sed videamus iam de re ipsa. Narrat vna Musarum Mineruae inuisenti Heliconem, hunc cantum, siue potius repetit hunc cantum Calliope, quo vicerat Pierides conf. supra* libri 5, vers. 339. *qui cantus obiter vt moneam profecto longior iusto videtur; haec itaque omnia nostra verba sunt Calliopes; canit datas fruges terrae a Cerere fabula illa nota de Triptolemo, quae tamen diuerso quodam modo narratur* Fast. libr. 4. vers. 500. *seqq. sed scimus morem fuisse poetis vt talia mutarent interdum, nec in cyclo illo mythologico coarctatos fuisse. Quum vero Musa canat datas fruges a Cerere, verosimile videtur, illam* recultam terram *esse*, noualem, *futuram scil. quia antea non culta terra. sed si conferamus superiorem versum* 479. *Ceres irata* arua iussit fallere depositum, vitiataque semina fecit, fertilitas ferrae latum vulgata per orbem cassa iacet &c.; *apertum est, tum vbi Ceres, iam inuenta filia, cf.* vers. 518. seq. *redux*

inuisit Triptolemum eique dedit currum suum, fertilitatem terrae fuisse antea datam et semina iacta. Quid igitur? Nempe et hoc loco deceſſit de via ſolita aliorum mythologorum, facitque Cererem iam ante hunc euentum frugum matrem, ſed plane eas prorſus et artem terrat colendi eripientem; nunc inuenta filia demuo hanc artem Triptolemo docentem. Iam recultae terrae *hoc loco noſtro* (verſ. 646.) *ſunt eae, quae iam antea fuerant culta. non autem cultae fuerant, et nunc denuo recoli debebant. Ira enim Deae hoc beneficium ſuſtulerat, aut certe in Sicilia ſuſtulerat vt dixerat loco cit. Colliope. Sic Narrationem malim Ouidium intelligere, quam quod etiam occurrit, h. l. vt et* in libr. 1. Met. verſ. notauimus: ſtatuere lapſum temporis aut ὑςερον-πρωτερον; *nempe Colliopen antea dixiſſe, quae poſtea demum accidere potuiſſent, memoria lapſam; os Muſae enim haec figura, ſiue vt verum dicam, error ille parum deceret; praeſertim hoc loco, certantem cum Pierid: Ceterum totus iſte cantus ab initio longe elegantiſſimus poſtea deficere et poëta ipſe oblitus videtur eſſe, Muſam haec, non ſe canere. Non patet nobis locus hic, vt confirmemus noſtram ſententiam, ſed tuto prouocare ad ſenſum prudentis et attenti doctique lectoris poſſumus.*

RECVRVA puppis, *ad graec. Homeric.* κορωνις Met. 11, 465. partemque in puppe *recurua*, concuſſaque manu dantem ſibi ſigna maritum prima videt. *Nulla eſt lectio:* relicta vel reducta, *et quidquid voles. ſic et* Met. 15, 689. Impoſitaque premens puppim cernice *recuruam Sic et* nauis *recurua epithet. Homeric.* κορωνις Met. 8, 141. puppim amplexa *recuruam.*

REDDERE vices, *par pro pari referre* Met. 14, 36. ſper-

ſpernentem ſperne: ſequenti *Redde vices.*

REDIGERE *proprie* Faſt. 4, 511. Filia parua duos *redigebat* rupe (*al. monte*) capellos Et tener incunis filius aeger erat. Ibid. verſ 765. Neue minus multa *redigam*, quam mane fuerunt. (*oues &c.*)

REFORMARE, *proprie*, *in priorem formam mutare* Met. 9, 400. *Reformatus* primos Iolaus in annos. *Sic etiam* Met. 11, 254. Sed preme, quidquid erit, dum, quod fuit ante, *reformet.*

REGALIS, ſcriptum regale, *in quo regum facta cantata.* Triſt. 553. Et dedimus tragicis ſcriptum *regale* cothurnis: Quae grauis debet, verba cothurnus habet. *Medeam Tragoediam a ſe ſcriptam innuit, nobilitatam fama et laude omnium fere de iis rebus ſcriptorum.*

REGNVM, *vis, efficacia* Met. 14, 20. At tu, ſiue aliquid *regni* eſt in carmine: carmen ore moue ſacro, ſiue expugnatior herba eſt, *valentior ad concitandum amorem*, Vtere tentatis operoſae viribus herbae. *vide* operoſus.

RELEGATVS, *differat ab exſule, namque triplex erat ratio abeundi a patria. Prima iuſſu et decreto Senatus, quaſi reipubl. intereſſet; Altera per iudices, ſententiam ex lege ferentes. Tertia noua illa* relegatio *dicta, qua princeps in exilium mittebat. Haec leniſſima, quae auctoritate magis, quam iure conſtabat. vide* Lipſ ad Tacit Annal 1, 6. *Hinc planus fit locus* Triſt. 2, 135. Adde quod edictum quamuis immane, minaxque Attamen in poenae nomine lene fuit. Quippe *relegatus* non exſul dicor in illo: Parcaque fortunae ſunt data verba meae. *et verbis lenibus*, relegatione, *nominata, dicta eſt fortuna, poena mea. Interpretes ad illa* parca verba *mirifice nugati ſunt. Nihil nugarum tamen addere vacat, et refutare. Ceterum repetit idem poëta* Triſt. 5, 11, 21.

11, 21. Ipse *relegati* non exsulis vtitur in me nomine; tuta suo iudice causa mea est. *quia poterat Caesar ipse* reuocare in patriam, quam *relegarat, non sine auctoritate senatus, quem exsulis nomine senatus decreto patria ejecerat.*

RELEGERE labores, *mala narrare* Met. 4, 569. Dum prima retractant Fata domus *relegunt*que suos sermone labores.

RELEVARI *de pariente* Met 9, 676. Quae voueam duo sunt: minimo vt *releuere* labore vtque marem parias.

RENARRARE rem; *i. antiquam nunc narrare aliis.* Met. 6, 316. Vtque fit a facto propiore priora *renarrant.* a facto propriore i. *cum hoc factum propius in memoriam reducat prius aliud quoddam. Frustra tentat h. l. Burmannus, et vult reponi, aut* retractant, *aut* retentat. *Nulla causa est, cur mutemus vulgatum.*

RENOVAMEN, *transmutatio, vocab. Ouidio soli, quod equidem sciam, proprium.* Met. 8, 736. quorum forma semel mota est, et in hoc *renouamine* mansit: *non in aliam mutata denuo.* Forma mota *h. l. immutata est.*

REPOSTOR Fast. 2, 63. Templorum positor (*conditor*) templorum sancte *repostor. alii legunt:* refector, *et ipse* Casaub. ad Suet. Aug. 32. *vbi de eadem re mentionem factam leges: sed ego retineo* repostor; *est enim Ouidianum, ludere verbis.* positor — repostor. *Nec plane destituitur haec vox exemplis, vt docuit Burm. De singulari illa Augusti in Deorum delubra pietate cf. praeter loc. laud. Suet. Liv.* 4. c. 20. *vbi* templorum omnium conditor et restitutor *appellatur.*

RES Pont. 2, 7, 37. *Res* timida est omnis miser. Ibid. 4, 15, 31. *res immoderata* cupido est.

RESAEVIRE *vox Ouidiana* Trist. 1, 1, 103. Quaeque quae scibat, ne mota *resaeuiat* ira Et poenae

nae tu sis altera causa, cane.

RESEMINARE *vocab. ab Ouidio ad rem natam, de Phoenice, quae ex se ipsa se quasi seminat.* Met. 16, 392. Vna est, quae reparet, seque ipsa *reseminet*, ales; Assyrii Phoenica vocant.

RESEQVI, *respondere, Nouum ab Ouidio cusum forte, verbum.* Met. 6, 36. Talibus obscuram *resecuta* est Pallada dictis. *vid.* obscurus. *Saepius postea eo verbo Ouidius vsus.* Met. 8, 862. Illa Dei munus bene cedere sensit, et a se se quaeri gaudens, his est *resecuta* rogantem. Met. 13, 749. &c.

RESTARE, *resistere, et quidem ita, vt manere, restare, quo sis, coneris, bene.* Met. 7, 411. Est via decliuis per quam Tirynthius herps *Restantem* contraque diem radiosque micantes obliquantem oculos nexis adamante catenis cerberon abstraxit. *vide* obliquare.

RESVPINVS *pro superbo, sed ad rem pingendam apte.* Met. 6, 275. Heu! quantum haec Niobe distabat ab illa, Quae modo Latois populum submouerat aris, Et mediam tulerat gressus *resupina* per vrbem. *retro ducitur, et sursum collum superborum, videntur resupinati.*

RETEGERE diem, *suauiter dicitur Lucifer, quasi aperire portas diei.* Met. 8, 1. Iam nitidum *retegente* diem, noctisque fugante tempora Lucifero cadit Eurus.

RETEXERE orbem, *luna decrescens i. e. dissoluere, dicitur; translatione, ni fallor, audaciori et forte alieniori.* Met. 7, 533. Luna quater plenum tenuata *retexuit* orbem. *Non videtur mihi imago satis ad rem apta, et similis nasci, si lunam* retexere, *quasi telam, orbem fingo; nisi forte Latinae magis arrisit phantasiae, eique conuenit, quam mihi.* * *Longe suauiori metaphora de reciproca mutatione elementorum* Met. 15, 249. Resolutaque tellus in liquidas re-

resçit aquas, tenuatus in auras Aeraque humor abit — — Inde retro redeunt, idemque *retexitur* ardo. *Conspicitur ars quaedam in ordine, eaque summa, et inter se omnibus coniunctis, quasi nexis rebus, vt* retexere ordinem *dissolutum antea, et per vices, dicatur elegantissime.*

RETRACTARE, *memoria renocare, recensere* Met. 4, 568. Iamque malis annisque graues dum prima *retractant* fata domus. * *proprie, iterum iterumque tangere.* Met. 10, 288. Rursus amans rursusque manu sua vota *(statuam ex voto in puellam mutatam) retractat. Burman. manult legere*: retentat. *Secutus aliquot MSS. et morem poetae nostri, qui hoc verbum amat. Idem perfecto erit, quamcunque acceperis lectionem.* * vota retractare; *repetere* Met. 10, 370. igni carpitur indomito; furiosaque vota *retractat.*

REVERENTIA *pudor, longe elegantissime.* Met. 10, 251. *de statua Pygmalionis, nobili illa imagine.* Virginis est verae facies quam viuere credas: Et si non obstet *reuerentia*, velle moueri. *Virgines bene educatae prae pudore in virorum conspectu vix audent se mouere. Ea igitur statua adeo similis virgini erat, vt non eburnea, immobilis esse, sed prae pudore, virginibus insito, non se mouere videretur* * *de officiis, honoribus, qui praestantur praecipuis hominibus, principibus, diuitibus &c.* Met. 7, 611. et iam *reuerentia* nulla est. *i. nullum discrimen inter principes regni et plebem, pari modo terrae mandantur, et comburuntur, a pestilentia necati.*

REX *simpliciter pro* rege sacrorum. Fast. 2, 21. Pontifices ab *rege* petunt et Flamine ianas Quis veteri lingua Februa nomen erat. Plura, quae ad Regem sacrorum, *siue, vti etiam appellabatur,*

batur, regem sacrificulum, pertinent, adiungere hic iuuaret, nisi quaestioni singulari, forte huic libello adiungendae, eam Antiquitatis particulam, nondum satis ab aliis pertractatam, destinassem.

ROBOREVS pons est qui sublicius vulgo appellabatur, a sublicis, eo sacra multa facta Fast. 5, 622. Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum Mittere roboreo scirpea ponte solet. Neapol ad h. l. „Intellige Vestalem: non tamen vna aderat, sed omnes, et cum his Pontifices et Praetores, aliique mystae. Dionys. Halicarnassensis: ἐν ᾗ προθυσαντες ἱερα τα κατα τας νομας οἱ καλεμενοι ποντιφικες ἱερων οἱ διαφανεσατοι, και συν αὐτοις αἱ το ἀθανατον πυρ διαφυλαττεσαι παρθενοι, ϛρατηγοι τε και των ἀλλων πολιτων ἐς παρεινα ταις ἱερεγιαις θεμις εἰδολα μορφαις ἀνθρωπον εἰκασμενα, Τριακοντα τον ἀριθμον, ἀπο της ἱερας γεφυρας βαλλεσιν εἰς το ῥευμα τε τιβερος. Qui locus ad nostrum maxime confert.

ROTA dispares rotae tribuuntur poëtice carmini elegiaco propter numerum pedum. Pont. 3, 4, 86. ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi Pondera disparibus non potuere rotis. Nescio tamen, an aliis magis hi versus placebunt quam mihi. Certe non idoneae imagines visae sunt.

RVDIS somni, i. qui plane somnum ignorat, peruigil semper. Met. 7, 213. Custodemque rudem somni sopistis. Draconem expertem somni, et peruigilem custodem velleris aurei. Ridiculus est labor criticorum ad h. l. quo signant se signant, temere se tangunt et angunt, vtrum rudem somni an rudem somno sit legendum; cum ipsi dicant, vtrumque occurrere. v. c. Trist. 2, 424. et Fast. 1, 83. Talibus conatibus

forte merentur risum eorum, qui temere inuadunt his nixi omnem artem criticam. * vestis rudis *est, ex lana rudi contexta, et crassa.* Fast. 4, 659. *veste rudi* tectum supra noua vellera *(quae nuper excoriata)* corpus Ponit, adorato per sua verba, (*verbis ex ritu et lege conceptis*) Deo. *In his velleribus quiescendum fuit interdum veteribus, vbi consilium a* numine petebant. *Attulit Neapolis huc facientem* Strabonis *locum ex* libr. 6. δεικνυται και της Δαυνιας, περι λοφον, ὠ ὄνομα Δριον, ἡρωα. Το μεν καλχαντος ἐπ' ἀκρα τη κορυφη. ἐναγιζεσι δε αὐτω μελανα κριον οἱ μαντευομενοι, ἐγκοιμωμενοι ἐν τω δερατι.

RVGOSVS cortex *pulchre de formica, quam si accurate contemplatus fueris, et rugas in paruo corpore multas, quibus praeditae sunt, eo magis laudabis poëtam.* Met. 7, 628. Rugoso suam seruantes cortice vallem *formicas describit; tota descriptio poëtam insignem, in re parua magnum ostendit.*

RVMPERE Trist. 2, 552. Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos Cum suo finem mense volumen habet. Idque tuo nuper scriptum sub nomine Caesar Et tibi sacratum fors mea *rupit* opus. i. *fecit vt non perficeretur, ederetur. Non video, cur Burmannus super h. l. disputationem scribere potuerit quatuor paginis fere opplentem. Primum constat vel ex* Seruio ad Virg. Georg. 1, 34 *citato ab ipso Burmanno duodecim libros Fastorum fuisse perscriptos, et ipse hic locus testatur.* Deinde nullam difficultatem *certe non magni ponderis video in verbis* Tuo scriptum sub nomine. *cur legamus* coeptum, *renuentibus bonis libris? Quidni, potuit inscriptus liber esse Caesari, postea dedicatio illa deleri; cum ad finem opus non perduceretur; certe non satis emendaretur, vt Caesare*

re dignus videretur. Denique, quidquid sit statuendum, non adeo magna res est, vt coniecturis multis et nos et lectores fatigemus.

RVRICOLA epithet. aratri Ouidianum Trist. 4, 6. 1. Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri Praebet et incuruo colla premenda iugo.

S.

SACER, de fonte, qui omnes putabantur sacri. Ov. Met 2, 464. Procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes Synthia; sed h. l. forte respici possit eo quod Diana hoc fonte tinguere corpus vellet, indeque sacer dici potest. * pro sacrosanctus, inuiolabilis quasi Met. 4, 570. Num sacer ille mea traiectus cuspide serpens Cadmus ait, fuerit. Deo aut Deae cuidam sanctus, quem laesi interimendo illum serpentem. cf. scil. Met. 3. vers. 90. seqq. de ipsa vi vocis vid. voc. Sacrosanctus in Clane Cic. Ernest.

SACRIFER, epithet. classis Aeneae, quippe Sacra Troiana et penates ferentis Fast. 4, 252. cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros, Est Dea (Cybele) sacrificas pene secuta rates.

SACRIFICVS: securis sacrifica, Met. 13, 249. veluti qui candida tauri Rumpere sacrifica molitur colla securi. * sacerdos Met. 13, 590. Des mihi sacrificos, colituraque ignibus aras. * Fast. 6, 803. Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco. conf. ad totum h. l. Massoni Vit. Nasonis ad annum V. C. 767.

SALIRE, suauissime de venis, quae, vbi tactu corporis pressae fuerint, rursus quasi prorumpunt, ablato digito. Met. 10, 289. Saliunt tentatae pollice venae; bene tentatae; vult enim Pygmalion tactu experiri, an verae venae sint, qua instructam statuam cernit.

SALTVS legere Met. 5, 579. Nec me studiosius altera saltus legit nec posuit studiosius altera cas-

ses.

ses. *vid.* Legere. * dare saltum *pro* salire Met. 4, 551. *Saltum*que *datura* moueri Haud vsquam potuit, scopuloque adfixa cohaesit.

SAPA Fast. 4, 780. Tum licet adposita veluti cratere camella, Lac niueum potes purpureamque *sapam*. *Agitur de Palilibus.* Nonius 17, 14. „Sapa, quod nunc mellaceum dicimus, mustum ad mediam partem decoctum.„ cf. Plin 23, 2. „Mustum coctum ad tertiam partem, *describit. vide* Crater.

SARCINA publica; *de imperio* Pont. 1, 2, 101, Vtque diu sub eo sit *publica sarcina* rerum; Perque manus huius tradita gentis eat. *Notum est ex Liuio et aliis scriptoribus, imperium* per manus traditum *dici, quod continuo ordine ex patre filius, nepos &c. accipit; atqui hic ipsa verba explicant.*

SARCVLVM, *Instrumentum rusticum quo segetes purgantur.* Hor. od. 1, 1, 11. Agros findere *sarculo* patrio. Ouid. Met. 11, 36. dispersa per agros *sarcula. et alibi.*

SARISSA, *hasta, lingua Macedonum.* Met. 12, 466. Qui clypeo, galla, Macedoniaque *Sarissa* Conspicuus. cf. Lucan. 8, 298. *et* 10, 47. *Adde* Met. 12, 479.

SAVCIVS, *saucia* incerto sole *glacies.* Ov. Met. 2, 808. *habet hic tropus h. l. elegantiam multam, quoniam refertur ad Herses inuidiae veneno liquentem; inde haec comparatio maiorem lucem accipit, vt aduerti his monitis, perlegendo integrum locum accuratius potest.*

SAXIFICVS, *qui in saxa conuertit homines, mirandam rem miro vocabulo, et nouam rem noua voce notat* Ouidius Met. 5, 236. remoue tua monstra; tuaeque *saxificos* vultus, quaecunque ea tolle, Medusae. cf. praeced. vers. *Ante Ouidium nemo ea voce, ni fallor, post eum plurimi vsi sunt.*

SCELERATVS, sedes scelerata, *locus singularis orci, vbi scelerati luunt* poe-

poenas. Met. 4, 455. Surrexere Deae (*Furiae*) *sedes sceleratas* vocatur; (*Vnde surgunt.*) Sic Virg. Aen. 6. , . . sceleratum limen, et Tibull. 1, 3, 67. At *scelerata* iacet *sedes*, in nocte profunda, Abdita. cf. Pf. Senec. Hippolyt. 1728.

SCORPIVS, *coeleste signum, de quo Ouid.* Met. 2, 195. Est locus in geminos vbi brachia concauat arcus *scorpius* &c. et Virg. Georg. 1. ipse sibi iam brachia contrahit ardens *scorpius*; *vbi Probus* haec: *Scorpius duorum signorum spatium tenet, in cuius brachiis duobus posita patera, signum librae, quam graeci ζύγον vocant: hoc enim spatium ab eo detinetur, vt et testatur Ouidius*, (scil. c. l.)

SCRIPTVM, *de figura in flore Hyacintho; quae refert* ai ai, Met. 10, 206. Flosque nouus (*hyacinthus dictus vt puer mortuus*) *scripto* gemitus imitabere nostros. conf. vers. 215. ipse suos gemitus foliis inscribit et ai ai Flos habet inscriptum. *Pleni sunt libri poëtarum huius rei memoriis, quos viri docti ad h. l. Ouidii iam laudauerunt. Sophocles in Aiace. Theocrit. Idyll.* 10. *Moschus in Epicedio Bionis et alii; Plinius libr.* 12. *c.* 2. *de hoc flore:* ita discurrentibus venis, vt graecarum literarum figura Ai legatur inscripta. *Pessima igitur et nostra et vulgaris lectio, quae prodit*: Ipse suos gemitus foliis inscribit et *hya* flos habet inscriptum. *Comparandus omnino cum h. l. est alter Ouidii*, Met. 13, 394 sqq. *vbi* Aiax *in eundem florem mutatur.* Labefactaque sanguine tellus purpureum viridi genuit de cespite florem, qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus *h. e. ex vulnerato Hyacintho, Oebalio.* Litera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis: haec nominis illa querelae: *duplex* ai ai *notat tum primum nomen Aiacis, primum nempe* Ai, *tum deinde querelam*

Apol-

Apollinis de hyacintho, scilicet alterum ai, *notam exclamationem graecam dolentium. Ad illum commemoratum locum Met.* 13. *suspicit etiam quod dicit Apollo apud Ouid.* Metam. 10, 207. Tempus et illud erit, quo se fortissimus heros Addat in hunc florem; folioque legatur eodem. *Praeclare vates et scite Apollinem haec vaticinantem inducit.* cf. Fast. 5, 223.

SED *cum elegantia et vi ad coaceruandas res, et altius menti infigendas.* Met. 5, 16. Quam *(virginem)* tibi non Perseus, verum si quaeris, ademit: *Sed* graue Nereidum numen, *sed* corniger Ammon, *sed* quae visceribus veniebat bellua ponto Exsaturanda meis. *Laudat h. l. vt exemplum geminationis, qua aceruantur non verba modo, sed et sensus et res congeruntur.* Quintilian. 9, 3. p. 448. ed. Gesn. *Et habet praeterea haec vocula h. l. eam virtutem, vt bene pingat sedantem iratum hominem, qui repetat semper aliquod verbum, vt eo magis res feriat animum. Similem elegantem congestionem inuenies apud Nostrum saepius, vt* Met. 1, 595: Nec de plebe Deo, *sed* qui coelestia magna spectra manu teneo, *sed* qui vaga fulmina mitto. *Adde* libr. Met. 6, 611. It. 7, 718. Epist. Pont. 2, 2, 118. et 3, 4, 25. *Alia inuenies apud* Gronou. ad Liv. 3, 11.

SEMICREMVS, *quasi* semicrematus, *torris dimidia parte crematus, vocab. Ouidianum.* Met. 12, 287. *semicremoque* ponat repetitum stipite vulnus.

SENTIRE moram *suauiter dicitur, qui aegre fert, moram in aliqua re fieri* Met. 8, 652. *Sentirique moram* prohibent. *Philemon et Baucis; dulcibus colloquiis curant, ne molesta sit mora, dum praeparatur coena. Nonnulli legg.* Et sentire moram prohibent. *bene!*

SEPTEMPLEX clypeus *ad graec. Homer.* ἑπταβοιον, *septem boum coriis*

coriis tectus. Met. 13, 2. consedere duces, et vulgi stante corona Surgit ad hos Clypei Dominus *septemplicis* Aiax. cf. Homer. Iliad. η. 219.

SERMO. *plur. pro verbis.* Hor. Art. 69. Nedum *sermonum* stet honos et gratia viuax. Sic. Met. 4, 19.

SERPENS Met. 9, 695. plenaque somniferis *serpens* peregrina Veneni. *In comitatu Isidis* conf. *praeced. Adscribamus hic notam Heinsii:* „Aspidem innuit, quae Isiaci sacri pars habetur. *Peregrina* dicitur, non quod Aegypto peculiaris, vt Salmasius ad Solin. pag. 243. interpretatur, sed quod Creta serpentes non alit: aut saltem non venenatos. Est enim Naso nunc in narratione rei apud Cretenses gestae. Oblitus erat et Solini et sui ipsius Salmasius, cum id effutiebat. Solinus quippe cap. 11. de Creta: *Serpens nulla, larga victis, mira soli indulgentia. id ipsum de Creta et alii scriptores testantur, quos inter Aelianus et Strabo.* additur *plena* somniferis venenis (*in Heins. et Burm. edit.* somniferi veneni) *quod hoc proprium aspidi, vnde Lucanus 9, 701. Aspida somniferam* dixit; et Cinna in fragmento apud Priscian. *Somniculosam vt Poenus* aspidem Psyllus. Aspidis morsu in somnum solutam Cleopatram expirasse Historici omnes testantur. In Isiaca tabula, Bembina, quam Pignorius edidit, frequenter aspis haec occurrit. *Argenteam serpentem* Iuuenal. Sat. 6, 38. dixit. Valer. Flacc. de Iside libr. 4, 418. Aspide cincta comas, et ouanti persona sistro. * quies, *cum quies* serpere *per artus eleganter dicatur.* vt Virg. Aen. 2, 269. *bene quidem per se ipsa appellaretur, sed in contextis male legitur apud Ouid.* Met. 7, 186. Soluerat alta quies, nullo cum murmure serpens Sopitae similis, nullo cum murmare serpit: Immotaeque silent frondes, silet humidus aer. *Insiceta haec esse et sensu carentia nemo non videt.*

Sed

Sed tanta est Codd. varietas, vt copia ipsa noceat, et difficile sit veram lectionem tutam stabilire; medium versum tollunt omnes critici, (sopitae, similis nullo cum murmure serpit) *at* serpens nullo cum murmure *quies vt dici recte possit, non credo. Burm. edidit:* homines volucresque ferasque soluerat alta quies: nullo cum murmure sepes. Immotaeque silent frondes, silet humidus aer. *voc.* Sepem *sustentat loco* Virg. Eclog. 1, 54. *pro* immotaeque silent frondes *legendum coniicit* Sopitaeque s. s. *non temere, propter MSS. constantiam in voc. sopitae in vers.* 187. *Iure extruso a criticis vt meam addam sententiam, acquiescendum puto in lectione Burmanni, quia non spes est, reperiendi certo signo veram Ouidianam; arbitror enim hunc locum vnum ex iis esse, quos ipse poëta nondum satis elaboratos variis ipse sententiis iuxta se positis, interim composuerat, vt postea lima emendaret cum, et meliora poneret. Cum vero non datum esset Musae Ouidii hoc opus Metam. morae et limae labore perficere, lector quiuis modo hac, modo illa lectione, prout sibi optima videbatur, vsus est; hinc tam mirabilis varietas lectionis, quae, si coniectura mea consistit, a poëta ipso igitur ambigente adhuc de veritate, et plura verba iuxta se interim ponente, proficiscitur. Confido opinioni meae eo magis, quo magis diuersae lectiones in Ouidii Metam occurrunt, quam in vllo alio poëta antiquo.*

SERPENTIGENA, *nouum vocab. Ouidii in re noua, nominantur enim* serpentigenae *illi viri ex dentibus draconis geniti, quos sparsit in agro Iason vellus aureum sublaturus.* Met. 7, 212. Vos (*Hecate et Dii magicis incantationibus praesentes*) serpentigenis in se fera bella dedistis cf. Met. 7, vers. 137. seqq.

SER-

SERVARE, *obseruare*, Met. 5, 631. *seruat* nubemque locumque. *pulchre! de Alpheo: seduło locum illum, quo sibi erepta erat Arethusa, et nubem, qua inuoluta erat, obseruat, et videt, quid sibi tandem haec velint, quorsum euadant?*

SESQVIPEDALIA VERBA. Hor. Art. 97. Proiicit ampullas et *sesquipedalia verba*. i. *longa, dithyrambica*, Turnebus *intelligit de tumidis: sed et longa atque composita verba, qualia inuenies apud poëtas, lyricos inprimis, fastum habent. Nostra aetas effudit inanium horum carminum infinitam fere vim. caue tumidos Youngii imitatores!*

SIBILARE *de ferro candenti, tincto aqua*. Met. 12, 279. at illud *ferrum* stridet: et in trepida submersum *sibilat* vnda. *eleganter* trepida vnda; *imago vera! tota vero comparatio longe pulcherrima.*

SIC VBI, *connectendi particula solemnis*; Met. 7, 505. *Sic vbi* mandatam iuuit facundia causam. *Saepius occurrit apud Ouid.*

SIDERIVS *vox Ouidio perquam familiaris*. Met. 1, 779. Ignes siderii. Met. 4, 160. lux sideria; *de sole* &c. &c.

SIDVS *de tempestate dici sciunt docti; namque quem fugit, ab occasu et ortu siderum oriri tempestates? Hinc* Met. 5, 281. Nec dubitate, precor, tecto *graue sidus* et imbrem, imber erat, vitare meo. *Succedite tecto meo dum pluit, et graue quoddam sidus feram tempestatem concitat. Nec tamen* Burmannus *non putauit veram lectionem.* „An hoc conueniat imbri, dubito. quia, cum ille cadit, vehementia sideris frangi solet.„ *Nonne autem tum est graue sidus, cum pluit et tonat, et fulgurat? Sed satis est, notasse Burmanni philosophiam. Emendat ipse*: graue frigus et imbrem; *forte ipse friguit, cum haec scribebat. Probat postea, et quidem*

multis argumentis, et locis, et virorum doctorum obseruationibus, probat, inquam, vocabula Sidus *et* frigus *saepius confundi solere; adeoque quippe sibi licere h. l. res confundere.*

SIGNVM Ov. Met. 2, 18. *Signa*que sex soribus dextris, totidemque sinistris, *de regia solis: respicit poëta autem orbem signiferum in coelo, quem Graeci zodiacum vocant.* vid. Manil. 1, 263. * *omen*, Met. 10, 452. Ter pedis offensi *signo* est reuocata. *Offendere pedem, impingere, maxime sinistrum omen habitum; aut non bene futurum, aut non fore, vt contingeret, quod incipiebant, inde coniicere solebant: Bene hinc et ingenioſe poëta* Trist. 1, 3, 55. ter limen tetigi, ter sum reuocatus et ipse Indulgens animo pes mihi tardus erat. *Vnde, signo pedis offensi poëta, qui in exilium electus erat, auguraus, conqueritur, se ab eo nunquam reuocatum iri.* * *quod ab aliquo indicatum, repertum est.* Fast. 5, 8. Dicite, quae fontes Agonippidos Hippocrenes Grata Meduſaei *signa* tenetis equi: *quos fontes repererat Pegasus, Meduſaeus equus, vngula terram percutiens. Fabula nota* cf. Fast. 3, 456. et Met. 4. *belle* grata signa *dicuntur fontes, quibus vatum irrigantur ora.*

SILENS: *silentes simplic. pro* mortuis Met. 5, 356. Rex pauet ipse *silentum* (Plutus) Ne pateat latoque solum retegatur hiatu; Immissusque dies trepidantes terreat vmbras. *totus locus adumbratus siue expressus ex nobili illo Iliad. Β. 783. et imago ipsa ex decantato loco* Iliad. a Long. laud. *Rei vero ipsius mentionem factam videbis, aut narratam apud omnes fere Mythologos, poëtas, Geographos &c. Inprimis* cf. Ouidius ipse Fast. 4, 491. Pontic. Epist. 2, 3, 23. Met. 9, 265. 13, 770. 14, 211. Virg. Aen. 3, 32. Valer. Flacc. 2, 30. Sil. 12, 149. *Inprimis* Claudian. de Raptu Proserpi-

serpinae. *statim ab initio* &c. *vid. etiam* Burm. ad Petron. c. 120.

SILEX, *de calce cocta.* Met. 7, 107. Aut vbi terrena *silices* fornace fo-lnti Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum. *Calcem coctam, postquam arserit in fornace, aquis accendi, notum, et narrat* Plin. libr. 36. 23. *quem locum iam laudauerat Burmannus, sed comparatio non exiguum honorem addit ingenio Ouidii, rem e medio sumtam tam poëtice, describentis, et hoc loco cum re comparantis, qua nihil magis par esse videtur. Cogita tibi* igniuomos tauros, et flammas voluentes gutture vasto, *non puto quidquam esse in rerum natura cui sit tam similis, quam calci coctae fornace solutae ardenti. Burmannus vocem* Terrena *labefactare conatur, sed frustra: vide* Terrenus.

SILVICOLA *epithet. Deae Palis* Fast. 4, 746. Dapibusque resectis *Siluico-lam* tepido lacte precare Palem. *vide* Dapes.

SIMPLEX crinis Met. 8, 320. crinis erat *simplex*, nodum collectus in vnum: i. *inornatus, passus.*

SIMPLICITAS Met. 5, 400. Tantaque *simplicitas* pulcribus adfuit annis Haec quoque virgineum mouit iactura dolorem. *Sed ipsa illa imago tanta pulchritudinis venusta* simplicitate *decorata est, vt rideat. vid. infra* Virgineus. * Trist. 1, 5, 42. causa mea est melior, quia non contraria tuli Arma, sed hanc merui *simplicitate* fugam. *candore mentis, quo omnia plane euulgaui; quae sensi, cecini nimium aperte amores. Sed fere praeplacet ita intelligere. Alii contra Augustum coniurauerunt vt* Cinna &c. *ego* in mea simplicitate, licet simplex essem, merui fugam.

SIMVL *pro* simulac. Met. 6, 252. *et saepius vid.* h. voc. *in Part. I. Clauis.* Fast. 6, 469. At *simul* auritis violae demuntur asellis Et Cereris fruges aspera saxa ferunt, *et sic*

alibi vid. I. Part. Clauis.

SIMVLAMEN *vocab. Ouidianum pro* simulacrum. Met. 10, 727. luctus monumenta manebunt semper, Adoni, mei: repetitaque mortis imago Annua plangoris peraget *simulamina* nostri. *Singulis quibusque annis* Adonia, i. *Sacra in Adonis honorem celebrabantur, in quibus Adonis plangebatur ac luctus Veneris referebatur. vide plura de his festis in* Archaeol. Potteri libr. 2. c. 20. p. 347. Tom. XII. Thes. Gronou. et apud Marsham. in Canone Chron. p. 31. conf. vero inprimis cum h. l. Ouidii Theocriti Idyll. 3.

SIMVLARE, *pingere, sed cum vi ad indicandam artem res scite imitandi* Met. 6, 80. Percussamque sua *simulat* de cuspide terram Prodere cum baccis foetum canentis oliuae. * simulatum corpus, *pictum et quidem veritati naturae simile* Met. 10, 53. hausit pectore Pygmalion *simulati corporis* ignes.

SINCERVS, Minerua sincera. Met. 8, 667. ponitur hic bicolor *sincerae* bacca *Mineruae*. Pontanus *et* Crispinus *intelligunt sinceram Mineruam*, castam, integram. Inepte, *dicit Burmannus, ego non laesam*, incorruptam *interpretor. Nempe trahit voc.* sinceram *ad* baccam. *et* bacca bicolor sincerae Mineruae *est* bacca non laesa, recens. *Ergo* bacca corrupta *est* bacca laesae et corruptae Mineruae? *Ergo amplius Minerua* incorrupta *est, si bacca oliuae corrumpitur? Inepte fere dixerim.* Sincera *Minerua est h. l.* integra; *ita etiam, qui h. l. attulit, accepit* Gesnerus *in Thesauro.* * *illaesus*, Met. 17, 100. rursus siue vulnere corpus *Sincerum*que fuit, *non tinctum, foedatum sanguine.*

SINGVLTARE, *cum accus.* Met. 5, 134. *singultantem animam* et versantem lumina; *cum singultu emittentem. Actionem*

nem morientis, vt solet Ouidius, bene pingit h. v.

SINISTER: studiosa *siniſtri*, i. *sceleris, adulterii.* Triſt. 2, 257. Quodcunque attigerit, ſi qua eſt ſtudioſa *siniſtri*, Ad vitium mores inſtruet inde ſuos.

SINVARE arcum, *incurvare, quod facere ſolent, qui mittunt tela, ſed rem pingit vocabulum.* Met. 8, 30. Impoſitis calamis patulos *ſinuauerat* arcos. *lege cum Burm.* Impoſito patulos calamo ſin arc. *Sic* Met. 8, 381. *Sinuato* expulit arcu &c. * Met. 11, 553. ſpoliis animoſa ſuperſtes Vnde velut victrix *ſinuata*que deſpicit vndas. *Sed lege* ſinuatas, *et* cf. Superſtes.

SITVS Cicero de Leg. 2, c. 22. ſiti, *inquit*, dicuntur ii, qui conditi ſunt, nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt, quam facta iuſta et corpus incenſum eſt. *Proprie* ſiti *dicuntur mortui et ſepulti.* Ov. Met. 2, 327. Hic *ſitus* eſt Phaëton, currus auriga paterni. *Sed etiam de mortuo nondum ſepulto occurrit.* Ter. Phorm. 1, 2, 47. Ea *ſita* erat ex aduerſo neque quisquam aderat qui adiuuaret ſunus.

SOCCVS: notum calceamenti genus, quo vtebantur comoedi. hinc ſaepiſſime pro comoedia ponitur. Hor. Art. 91. digna *ſocco* carmina ſunt tenuia et pedeſtri ſermone ſcripta.

SOCIALIS amor, *de coniuge* Triſt. 5, 14, 28. Eſſe bonam facile eſt vbi quod vetet eſſe, remotum eſt. Et nihil officio nupta quod obſtet, habet, Cum Deus Intonuit non ſe ſubducere nimbo, Id demum pietas, id *ſocialis* amor.

SOL ADVERSVS Met. 3, 183. Qui color infectis *aduerſi ſolis* ab ictu, Nubibus eſſe ſolet, aut purpureae aurorae, Sic fuit in vultu viſae ſine veſte Dianae. *Deſcriptio Iridis cuius colorem, ſimilem fingit cum Dianae erubeſcentis vultu; quam ſuauis eſt haec comparatio! quantum ſummi ingenii teſtimonium! altera cum Aurora com-*

paratio vt bella ita est nota et iam a recentioribus poëtis saepius iam vsurpata. Praeterea habet collidentes vocales literae purpureae aurorae, quo augeant pudorem Deae et illustrent, vt saltem notauit vir doctus. vid. Neue Bibl. der schoenen Wissenschaften IV. B. I. P. p. 38.

SOLARIS lumen solare Trist. 5, 9, 37. Dumque (quod o breue sit) *lumen solare* videbo, seruiet officio spiritus vsque tuo.

SOLIDVS. solida imago Lunae *est vbi plena luna dicitur* Met. 7, 181. *solida* terras spectauit imagine *luna.* * moenia solida Met. 4, 645. Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas Moenibus, et vasto dederat seruanda draconi. *Perperam enim apud nos legitur*, montibus *pro* moenibus. *Quid sibi vellent?* montes solidi; *ac si hoc audiretur quid?* claudere montibus solidis pomaria, *de* Atlante. *coniectura consequutus, erat hanc lectionem* Ciofanius, *quam deinde comprobauerant vltra decem MSS.*

SOLITVS *poëtice*, vnda *solita, ad quam saepius aliquis venire solitus erat* Met. 3, 499.

SOLLICITARE *cum sit saepius mouere, eleg.* sollicitare chordas, *dicuntur, qui eos pulsant, s. mouent et excitant* Met. 11, 171. flamina docto pollice *sollicitat.*

SOLLICITVS: sedes sollicita, *ab effectu, vt mos poëtis* Trist. 4, 1, 85. Hic ego *sollicita* iaceo nouus incola: *sed hic, bene* iacere. *dicuntur enim* iacere *infelices, fortunae malignitate oppressi.*

SOLVERE ieiunia Met. 5, 535. ieiunia virgo Soluerat et cultis dum simplex errat in hortis (*optime h. l.* simplex, *talis enim natura, forma,* χαρακτὴρ *puellae*) Poeniceum curua decerpserat arbore pomum. * Carmina, *explicare, interpretari oracula.* Met. 7, 761. Carmina Naiades non intellecta priorum Soluerat ingeniis, et praecipitata iacebat Immemor ambagum vates obscura sua-

suarum; Scilicet alma Themis nec talia liquit inulta. Protinus Aoniis immissa est altera Thebis. *sic locum exhibet editio nostra, a qua longe recedit Burmanniana et aliae, Heinsii coniecturam sequutae, quae talia dant:* Carmina *Laiades* non intellecta priorum Soluerat ingeniis, et praecipitata iacebat Immemor ambagum vates obscura suarum. Protinus Aoniis immittitur altera Thebis Pestis &c. *diuersissimo plane eoque falso sensu. si plura cupis, adi voc.* Obscurus.

SONABILIS: sistrum sonabile *pro* sonans Met. 9, 785. Crepuitque *sonabile* sistrum. *proprie in tali re* crepare, et sistrum *Isidis ornatum vel comitatum vid.* Met. 9, 694.

SONARE sonans os Met. 8, 532. Non mihi si centum Deus ora *sonantia* linguae Ingeniumque capax totumque Helicona dedisset &c. *vide* Os. * sonare aliquem, *pulchre dicitur qui nomen eius canit, repetitque saepius* Met. 10, 705. Te lyra pulsa manum *te* carmina nostra *sonabunt.* * sonantia fila, *fides; belle et poët.* Met. 10, 89. fila *sonantia* mouit. * Met. 15, 734. Tura super ripas; aris ex ardine factis, parte ab vtraque *sonant*, et odorant aëra fumus. *Eleg. sonare de crepitantibus in igne turibus, et ad rem scite delecta imago!*

SOPOR *pro* somnium Pont. 3, 3, 4. seu corporis vmbra seu veri species, seu fuit ille *sopor.*

SORBERE *segnate, paullatim deuorare* Met. 9, 172. Nec modus est, *sorbent* auidae praecordia flammae. *Heins. emendat:* Nec modus, exsorbent auidae &c. *quia* exsorbent *occurrit* Fast. 6, 145. *nec opus est, inde h. l. corrigi.*

SORDIDVS: terga *sordida* suis Met. 8, 65. *sunt* fumosa. *vide de toto loco voce.* Furca et Bicornis.

SOROR triplices sorores Met. 8, 453. *vid.* Triplex.

SORS *de prole dicitur et quidem parte prolis* Met. 13, 651. Foemineae sor-

tis, i. *proles* Fast. 6, 30. si genus aspicitur, Saturnum prima parentem Feci, Saturni *sors* ego prima fui; *prima Saturno data sum fato* filia, *loquitur luno.* * Trist. 4, 5, 1. O mihi dilectos inter, sors prima sodales, *qui datus amicus princeps mihi es, quasi a fato, a sorte. bene! namque quodcunque* sors dat, sortem *dici apud Latinos posse constat* vt *loco citato* Fast. 6, 30. Saturnum prima parentem feci; Saturni sors ego prima fui.

SPARSVS, caput sparsum Ouid. Met. 3, 194. Dat *sparso capiti* viuacis cornua cerui. i. *maculato aqua. in quod sparserat Diana vltrices vndas.*

SPATIANS, alae *spatiantes bene tributae aquilae.* Met. 4, 364. *tam late extenduntur, vt quasi spatiari videantur.*

SPATIARI, spatiantia brachia arborum i. *luxuriose in omnem partem excrescentia.* Met. 14, 630. *spatiantia* passim Brachia compescit. Sic Met. 4, 364. *spatiantes* alae.

SPATIOSVS, frons spatiosa *eleg. de boue!* Ouid. Met. 3, 20. Bos stetit et tollens *spatiosam* cornibus altis ad coelum *frontem; ita enim certo leg. cum Burm. Perperam in aliis* speciosam. *resp. spatiosae fronti* εὐρυμέτωπος βοῦς *Moschi in Europa* * spatiosum corpus Id. Met. 3, 56. Vidit victorem supra *spatiosi corporis* hostem. *vid. supra h. v. multa profecto dicta a Salmasio in Exercit. Plin. p. 714. et a Gronou. ad Senec. Hyppolyt. p. 895.* * Senectus spatiosa. Met. 12, 186. At si quem potuit *spatiosa senectus* Spectatorum operum multorum reddere, vixi Annos bis centum, nunc tertia viuitur aetas. *Posuit aetatem pro seculo.* Homer Iliad. α. 247. *de Nestore* τῷ δ' ἤδη, δυο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων ΕΦθιαθ' οἳ οἱ πρόσθεν ἅμα τραφέν ἠδ' ἐγένοντο ἐν πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

γεν. *quem locum imitatur noſter; ita tamen, vt ex vulgari notione faceret Neſtora trecentos annos natos; cum antiquus Schol. et alii interpretes, Euſtathius, Seruius &c. Homeri* γενεὰν *modo* 30 *annorum intelligant, faciantque Homereum Neſtora* 90 *annorum. Atqui ego ipſe in ſententiam Ouidii iuerim, quippe non indignum Homero, imo vero laudabile fuerit, ſi intelligamus Homerum Neſtora* 300 *annorum ſenem finxiſſe. Quis neſcit tales et adhuc exſiſtere?* * bellum ſpatioſum. Met. 13, 206. *ſpatioſi* tempore *belli.* * vetuſtas ſpatioſa. Met. 5, 623. Scitis enim, nec vos fallit *ſpatioſa* vetuſtas.

SPATIVM, *pro magna longitudine* Ouid. Met. 2, 197. Porrigit in *ſpatium* ſignorum membra duorum. * Metam. 11, 177. Nec Delius aures Humanam ſtolidas patitur retinere figuram. *Sed trahit in ſpatium, extendit, eleg.* villisque albentibus implet, Inſtabilesque imo facit; et dat poſſe moueri &c. *Deſcriptio ſuauiſſima auris Midae mutatae in aurem Aſininam.*

SPECIES: *decor, formae vigor, et pulchritudo.* Faſt. 5, 353. Et monet aetatis *ſpecie*, dum floreat vti. * Faſt. 5, 12. vt primum data ſunt tria corpora mundo Inque nouas ſpecies omne receſſit opus.

SPECIOSVS, Ov. Met. 3, 20. Bos ſtetit et tollens *ſpecioſam* cornibus altis Ad coelum *frontem. Sed vid. voc.* ſpatioſus.

SPECTABILIS, *qui videri poteſt, viſibilis.* Triſt. 3, 8, 35. Haeret et ante oculos, veluti *ſpectabile* corpus. (*ſpectrum*) Adſtat fortunae forma legenda meae. * *pulcher* Faſt. 4, 223. Phryx puer in ſyluis facie *ſpectabilis* Altis Turrigeram caſto vinxit amore Deam. i. *Cybelen. vide* Turrigera.

SPECTANDVS: *idem ac* conſpicuus, *qui in aliorum hominum oculos incurrit admirandus.* Triſt. 2, 511. Haec tu

ſpectaſti pectandaque ſaepe dediſti.

SPES, *pro re quae ſperatur.* Ov. Met. 3, 417. *de Narciſſo.* Viſae correptus imagine formae *ſpem* ſine corpore amat. h. e. *rem ſperatam, quae exſtat nusquam; corpus ſperabat eſſe, ſed non erat niſi vmbra.*

SPIRAMENTVM Met. 15, 343. Nam ſiue eſt animal tellus et viuit habetque *Spiramenta*, locis flammam exhalantia multis. *explicant ſeqq.* Spirandi mutare vias, quotiesque mouetur Has finire potest, illas aperire cauernas.

SPIRARE, *pulchre de apro furibundo.* Met. 8, 357. Emicat ex oculis, ſpirat quoque pectore flammas. *Etiamſi omnes codd. ita legerent, cum tamen nonnulli diſcrepent; emendandus eſſet in honorem Ouidii verſus; et tum foret vnus ex iis, quos rudes poſuerat, nondum limatos* Lux micat ex oculis *ſpirat*que e pectore flamma. Schepper. apud Tan. Fabr. libr. 2. Ep. 71. *legend. putat:* Fax micat ex oculis. *Non conſentio.*

SPLENDIDVS, oſtro crinis. i. *purpureus* Met. 8, 8. cui *ſplendidus* oſtro Inter honoratas medio de vertice canos Crinis inhaerebat, magni fiducia regni; *quia* fatalis crinis, cf. verſ. 80. et 85. 93.

SQVALERE, ora ſqualentia hyemi *tributa pulchre!* Triſt. 3, 10, 9. At cum triſtis hyems *ſqualentia* protulit ora, terraque marmoreo candida facta gelu eſt.

STABVLARI Metam. 13, 822. Multas (oues) ſilua tegit, multae *ſtabulantur* in antris. *Miror nulli interpretum in mentem veniſſe, hoc omne carmen imitationem eſſe Idyllii* XI. Theocritei, *quo Polyphemus eosdem amores queritur et orat, ſed plurima ingenium Naſonis ipſum, vt* patet, addidit.

STAMEN *ſimpliciter de fato, nota ſunt ſtamina et fila Parcarum, vnde ductum* Triſt. 4, 1, 64. Hic quoque cognoſco natalis *Stamina* noſtri ſtamina de nigro vellere facta

ĉta mihi. cf. Trist 5, 3, 25. seq. * *filum Lyrae* Met. 11, 171. *stamina* docto pollice sollicitat. *vid.* sollicitare.

STARE: stans tibicine villa Fast. 4, 695. *vide* Tibicen.

STATIO *est pugnantium, vbi positi eo gestu quo luctari solent* Met. 9, 33. tenuique a pectore varas in statione manus. *vide* Varus. * statio imperii; *de rebus publicis agendis; summa rerum.* Trist. 2, 219. Scilicet imperii princeps, *statione* relicta, Imparibus legeres carmina facta modis. * in statione manere, i. *excubare* Fast. 2, 65. Dent tibi coelestes, quos tu coelestibus annos, (*quia Augustus Deorum delubra condidit et restaurauit*) proque tua *maneant in statione* domo. * Ibid. 2, 674. Termine, (*Deus*) post illud Ieuitas tibi libera non est: Qua positus fueris in statione mane. * statione nouissimus exit. Met. 2, 115.

STATVS *copiae et arma regni* Met. 7, 510. Vires quas haec habet insula vestras ducite et omnis eat rerum *status* iste mearum. *Vobiscum eant duces mei et arma et belli auxilia cetera. Non video vllam sensus difficultatem aut mendi suspicionem. At videt Heinsius; ille enim detrahendo, addendo, mutando, effecit talem.* Ducite, communis rerum status iste mearum est, scil. *communis vobiscum. Qui potest, credat.*

STELLATVS *guttis, maculis velut, pellis infectus* dic. Met. 5, 461. Aptum colori nomen habet, variis *stellatus* corpora guttis. *Appellatus scil.* stellio; *quod est lacertarum genus, quia guttis maculis variis, pellis infectus erat. Pertinet huc locus Isidori iam a Ciofanio cit.* Libr. 3. c. 4. *stellio* de colore inditum nomen habet, est enim tergore pictum lucentibus guttis, hic autem scorpionibus adeo contrarius traditur, vt viso eo pauorem his afferat et torporem *leg. forte:* vt visus eius pauorem

rem &c. *cf. etiam* Isidor. libr. 13. c. 4., *Plura, quam necesse sit forte, dat de voce* stellatus Salmas. ad Solin. pag. 533. *Ceterum ex hoc emendari quidam Terentii locus bene potest; de quo diximus* Clav. Part. I. *in voc.* Mustellinus.

STERILIS, *suauiter de amore, cui non respondet amata*, Ov. Met. 1, 496. *sterilem* sperando nutrit amorem.

STILLARE. Ov. Met. 2, 364. *stillata*que sole rigescunt De ramis electra nouis, *de lacrymis sororum Phaëtontis in electrum mutatis.* Horat. Art. poët. 429. Etiam *stillabit* amicis ex oculis rorem. h. e. *illacrymabit in iis locis, vbi vis lacrymas excitare, simulans te sibi adeo placere, vt plane vbicunque velles animum ducere posses.*

STOLIDVS, palma stolida, Met. 6, 50. *est, quae stolidum reddit. Hypallagen alii quaerunt; sed saepius poëtae solent rebus talia verba adiicere, quae, quod efficiunt, designant, occurrit statim ex* Horat. Sat. 1, 3. cum stupet *insanis* acies fulgoribus; *h. e. insanos reddentibus homines; hoc itaque modo et h. l.* stolida palma *intelligenda. Probat et ipse locus:* Perstat in incepto, stolidaeque cupidine palmae In fata sua ruit.

STRIDERE, stridentia plaustra. Trist. 3, 10, 59. Ruris opes paruae, pecus et *stridentia* plaustra Et quas diuitias incola pauper habet.

STRIDVLVS, fax stridula, *eleg.* Met. 10, 6. Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso *stridula* fumo Vsque fuit, nullosque inuenit motibus ignes. *vide* Lacrymosus.

SVB: *per breuiloquentiam* sub igne, *quasi igni suppositus, aut quidquid voles: verbo, amans.* Met. 9, 465. Nondum manifesta sibi est (*Byblis*); nullumque *sub illo* igne facit votum: *nihil adhuc, quamuis amans, optat;* veruntamen aestuat intus. *grauiter, et ad rem signate* aestuat. *Sed totus ille locus de Byblide et*

et Cauno longe pulcherrimam narrandi artem docet; eſtque, ſi quidquam aliud, ſummi poëtae pignus. Aduerte praeſertim animum narratae innocentiae Byblidis et primae quaſi ſcintillae amoris deſcriptioni. Quam pulchre! Sed nondum manifeſta ſibi *amabat, ſed adhuc neſciens, quid ſibi vellent dolores, coniuncti cum deſiderio, et adfectio animi mira, qua inter omnes ſibi praeſens ante oculos, dilectusque erat Caunus.* Nullum ſub illo igne facit votum; *Suauiter; nihil optat, nam neſcit ſe ipſa, et amorem ſuum.* Veruntamen aeſtuat intus. *Nihil ſuauius dici poterat, quaſi mutatur in puellam ipſam vates, vt debet vates optimus quisque, ſenſus eius exprimit. Vides ipſam Byblida querentem!* Iam dominum appellat: *docet eam amor dicere, quae ipſa nondum intelligat.* Iam nomina ſanguinis odit; *nomen ſororis ſibi non placet.* Byblida iam mauult, quam ſe vocet ille ſororem. *Expoſuimus artem poëtae hoc loco, quo adſuefiant iuniores lectores ad notandas elegantias, et legendos poëtas cum diligentia iudicii. Quae ſequuntur de ſomniis non minore arte inuenta: namquè ſic demum omnia cadunt in ingenuam Byblida, quae poſtea narrantur.* * *ex* Met. 5, 62. Exhalantem *ſub* acerbo vulnere vitam. *Et ita eleganter, vt reſpondeat graeco ὑπο v. c. Sophocl. Aiac.* 1037. *et ſaepius apud Homerum, voculam* ſub *poni, vt cauſam et inſtrumentum indicet, notauit* Burm. ad h. l. et ad verſ. 71. eiusd. libri. * *propter* Faſt. 6, 643. Haec (*domus*) aequata ſolo eſt, nullo *ſub* crimine regni, Sed quia luxuria viſa nocere ſua. *Deiecta eſt domus, non quia arcis ſpeciem praebebat, nec ita affectati regni poſſeſſorem reum facere poterat, ſed quia aliis exemplum luxuriae praebere poſſet. vide* Lipſ. ad Tacit. Annal. 1, 10.

SVBDERE quieti, *insolentius dictum, nec tamen cum aliis mutare locum velim.* Pont. 2, 2, 78. Adde triumphatas modo Poeonas, adde quieti subdita montanae brachia Dalmatiae. *Potest bene de Dalmatia pacata intelligi, nec tamen opus vt legatur siue* quieti Reddita; *siue* quiriti subdita. Quiritem *vero in singulari dici posse docet Pars I. Clav. in Voc.* Quiritis. *At* quieti subdere *cur exulet, cum nullus fere alius scriptor tot noua det linguae suae, quam Ouidius; vt vel ex hoc libro patebit? Quae alii dicunt hanc quietem potius iugum Dalmatis fuisse, ridicula sunt. Pari insolentia dixit Ouidius,* carmina subdere iudicio Pont. 2, 4, 14. Saepe tuas factum venit modo carmen ad aures; Et noua *iudicio subdita* Musa tuo est.

SVBIGERE digitis lanas, *pulcherrime, de Arachne lanas ducente et texente; sed totus locus summa venustate ornatus.* Met. 6, 20. Tantus decor abfuit. arti, seu digitis *subigebat* opus; repetitaque longo vellera mollibat nebulas aequantia tractu; siue leui teretem versabat pollice fusum; seu pingebat acu; scires a Pallade doctam. *Vix maior ars in re leui adhiberi possit! Quam noua et elegans comparatio;* vellera repetita longo tractu nebulas aequantia! *tenera fila et tenuissima, quis melius, hoc est, magis poëtice describat? vix videri possunt, sunt illa fila quasi nebula! Sequens versus:* Siue leui teretem versabat pollice *fusum, expressus mihi quidem ex Catullo videtur,* eiusque Nuptiis Pelei libratum tereti versabat pollice fusum. *Bene vero etiam* leuis fusus, *quia ex pino fieri solebat* vid. Plin. 11, 23. *Auctor sim ei, qui amat poëtas, vt comparet laud. Catulli locum cum nostro, et animum summa voluptate inde profecta expleat. Nobis hic non licet esse verbosioribus.*

SVBLIMIS, nomen sublime *pro* claro; *Fama*, Trist. 4, 10, 121. Tu mihi, quod rarum, vivuo *sublime* dedisti nomen, ab exsequiis quod dare fama solet. * sublimis rapitur *pro* in sublime, *sed poetice, sed rem pingente oratione.* Met. 7, 222. *Sublimis* rapitur (*Medea, curru draconum*): sublataque Thessala Tempe Despicit et visis regionibus adplicat angues. *MSS. pleraque habent* cretis *pro* visis *nostra lect., quod quidem idem ac* visis *a* cernere, *sed parum digne Ouidio, antique, et male! Heinsius constituit* creteis regionibus *i. e. cretosis. Sed durius hoc et ipsum Ouidium longe faciliorem male refert.* Burmannus *putat nomen proprium latere, cum et sit in codice Rottorphiano, ad hoc verbum adscriptum* isti montes circumeunt Thessaliam; *coniicit legend.* Oetaeis regionibus applicant angues. *illa regio nota vel ex* Strabone libr. 9. p. 429. *Ego lectionem veram coniectura talem sistam, si licet:* Despicit et *certis* regionibus applicat angues. h. e. *sibi notis, quarum certa medicamina vtilia ei erant. Nec tamen sola coniectura est; ipse Burmannus se hanc lectionem in quinque libris inuenisse testatur. Cur itaque verba perdidit in aliis coniecturis? Vox* certus *ita vsurpari probat* Epist. Ouid. 6, 90. *vbi, in eadem causa,* certa ossa *sunt quorum vsus certus, exploratus, erat in arte Magica.*

SVBSIDERE *eleg. de carmine Elegiaco* Trist. 3, 1, 11. clauda quod alterno *subsidunt* carmina versu, vel pedis hoc ratio, vel via longa facit. *Quantum placet descriptio Pentametri,* subsidunt carmina clauda versu alterno; *tantum displicet adiecta ratio:* Vel pedis hoc ratio vel via longa facit. *Alterum audiam certe! Longe venustius est, et facetius, quod dicit in libro* Amor. Eleg. 1, pr. Par

erat

erat inferior versus: risisse Cupido Dicitur, atque vnum surripuisse pedem. *Quam suauiter! Adeo laetis rebus, non tristibus natus erat Ouidius! * bene, deorsum labi ibique subsistere, sich niedersencken.* Fast. 5, 13. Pondere terra suo subsedit et aequora traxit.

SVBVEHI Met. 6, 422. Obstitit officio bellum *subuectaque* Ponto Barbara Mopsopios terrebant agmina muros. Subuecta ponto *agmina, per mare aduentantia, quae fuerint, quaeritur. Sed siue Amazonas intelligas cum Mycillo, siue Thracas Eumolpi temporibus contra Athenienses bellum gerentes, profecto Ouidius permittet.* Meursius de Reg. Attic. libr. 1. c. 14. *bellum cum Labdaco fuisse docet. Sed haec non sunt* agmina barbara, *subuecta* ponto. *Sunt etiam qui legant:* Subiectaque ponto Barbara Mops. &c.

SVCCEDERE, *de laeta quadam fortuna contingente* Met. 6, 485. et *successisse* duabus (*sibi Philomelae et sorori Prognae*) Id putat infelix, quod erit lugubre duabus. *Not. Ouidianum lusum, h. l. non vituperandum, in verbis* duabus. * Met. 13, 135. Quis magno melius *succedat* Achilli; quam per quem magnus Danais *successit* Achilles. Tan. Faber libr. 2, Epist. 69. *emendat. Danais* accessit Achilles; *non renuente Burmanno. Faber haec:* „Neminem natum arbitror, a quo doceri possim, quid sibi hoc velit: *Danais* successit Achilles.„ *At me eum natum puto, vtinam res grauior esset! namque hoc sibi vult:* Successit Danais Achilles; *aduenit ad Graecos bella gerentes, auxilium latum.* „Di„cam, *pergit Faber*, „quid mihi in mentem „venit. Illud s, in quod „desinit *Danais* gemina„tum fuit, ita vt vox „sequens corrupta fuerit. „Cum enim ab Ouidio „scriptum fuisset, *Da„nais accessit* Achilles; „(*quod vehementer ne„go*);

„go); ex geminato illo „S factum fuit *acceſſit*, „quod cum nihili eſſe vi„derent, latinum qui„dem verbum fecerunt, „ſcribentes *Succeſſit*, ſed „ſententiam latinitatis „perdidere.„ *Vellem tacuiſſet vir doctus; nec alia eius Verba ideo adſcribam, quum* ſuccedere *pro* accedere *ſaepius apud Poëtas occurrat.* e. g. Hor. 1, 6, 35. Tertia *ſuccedat* et quae pars quadret aceruum. *Quid iam apertius quam locus Ouidii? norunt omnes, Achillem inter poſtremos veniſſe et* ſucceſſiſſe *Graecis, cui non cognita Scyros?* cf. verſ. 165. ſeq. *Praeterea eſt Ouidianum ludere verbis, vt h. l.* quis magno melius *ſuccedat* Achilli; quam per quem magnus Danais *ſucceſſit* Achilles. *Non equidem probo hunc luſum verbi* ſucceder. *in ore Vlyſſis hoc certamen de Clypeo ſuſtinente: at eſt, vt dixi, Ouidiana ratio* * Met. 15, 199. Quid? non in ſpecies *ſuccedere* quattuor annum Aſpicis, aetatis peragentem imitamina noſtri. *qui ſequitur locus, pulcherrimus eſt!* * Met. 11, 80. dum pes vbi quaerit, et vngues, Aſpicit in teretes lignum *ſuccedere* ſuras. *Alii ſuccreſcere, quae eſt bona Gloſſa.*

SVCCESSOR *eleg. ſucceſſor Maji Iunius* Faſt. 5, 77. Nec leue propoſiti pignus ſucceſſor honoris Iuuenis, a iuuenum nomine dictus, habet. * ſtudii *ſucceſſor* Met. 3, 589. Accipe, quas habeo, ſtudii *ſucceſſor* et heres, Dixit, opes.

SVCCESSVS anni, *de fertilitate terrae* Met. 8, 173. Oenea namque ferunt pleni *ſucceſſibus* anni Primitias, frugem Cereri, ſua vina Lyceo Palladios flauae latices libaſſe Mineruae.

SVCCIDVVS poples, *labans, deflexus; in imagine picta trementis non ſine magna vi* Met. 10, 458. Iamque fores aperit, iam ducitur intus: at illi Poplite *ſucciduo* genua intremuere; fugitque Et color et ſan-

guis: animusque relinquit euntem.

SVCCVMBERE oculi *dicuntur somno oppressi, aut plane se claudentes, eleg. in inundatione descripta* Met. 1, 714. Talia dicturus vidit Cyllenius omnes *Succubuisse* oculos, adopertaque lumina somno.

SVFFITVS, *fumo curatus, aut purgatus.* Fast. 5, 676. Huc venit incinctus tunica mercator: et vrna Purus *suffita*, quam ferat, haurit aquam. *vid.* Incinctus.

SVMERE auxilium; *opp. τῷ* petere, *notans, vltro, non precibus praemissis capere; sed in ore Aeaci habet sensus pulchritudinem.* Met. 7, 507. Ne petite auxilium, sed *sumite*, dixit, Athenae. *cf. contexta.* * momentum; *est mutare, huc et illuc moueri, noue dictum.* Met. 10, 376. *vide* Momentum. * tempora, *occasione data vti.* Fast. 3, 7. Palladis exemplo ponendae *tempora fume* Cuspidis. inuenies quod et inermis agas. * gaudia sumere Met. 11, 310. Phoebus animum simulat, praeceptaque gaudia *sumit.* Met. 2, 175. sumere iras. Met. 3, 341. sumere tentamina.

SVMMA sceptri *pro* imperio Met. 13, 192. Hunc tamen vtilitas populi fratrisque datique *Summa* mouet *sceptri*; laudem vt cum sanguine penset. *eleg.* pensare laudem sanguine! * belli summa *de duce, auctore belli* Pont. 2, 1, 46. Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt: In quibus et *belli summa*, caputque, Bato. *fuit* Bato *Pannoniorum*, *vel, vt alii, Dalmatarum dux; cuius Dio, Paterculus, Suetonius, aliique meminerunt.* vid. Vellej. *Pat.* 2, c. 110. * *pro* summa re. i. *potestate* Fast. 5, 72.

SVMMANVS *quis Deus fuerit non satis certum* Fast 6, 731. Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur, Tum, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras. *Nocturna huic Deo fulmina quosdam tribuisse, auctor est*

est Plin. 2, 52. *Plutonem putant nonnulli quasi* summum Manium; cf. Cael. Rhodigin. lect. Ant. 10, 18, p. 463. et Alex. ab Alex. Gen. Dier. 4, 13. *In Capitolio eius statua fictilis erat, de coelo aliquando tacta.* Cic. de diuin. 1, 10. et Liv. 32, 29.

SVPERATOR populi, *pro* victore, *noue!* Fast. 1, 641. Furius antiquum populi *superator* Hetruſci Vouerat, et voti ſoluerat ante fidem. *vide* Antiquum.

SVPERSTES *pro* ſuperior, *eleganti et rara ſignificatione.* Met. 11, 553. Frangitur et regimen; ſpoliisque animoſa *ſuperſtes* Vnda, velut victrix, ſinuataque deſpicit vndas. *Primum το* Sinuataque *mutandum; namque nullum plane dat ſenſum, vnda elata cur dici poteſt ſinuata, et praecipue h. l. nec fauent MSS. huic lectioni; omnes fere legunt*: Sinuatas deſpicit vndas; *recte.* Spoliisque animoſa ſuperſtes Vnda velut victrix ſinuatas deſpicit vndas. *Heinſius emendat* ſuperſtans *et ita edidit Burm; perperam: eſt enim gloſſa, explicatio τε ſuperſtes.* Statius 8, 470. Ille ingens in terra iacet, ſtat fronte *ſuperſtes* lancea. *Eleganter victrix vnda dicitur* ſuperſtes. *Burmannus ad h. l. haec:* Neſcio qui placere potuerit, *vnda deſpicit vndas?* in duobus codicibus erat, *deſpicit vmbras*, in Baſileenſi *deſpicit aruа, et pro varia lectione alnum*, forte, *ſinuatas deſpicit alas*, vt de antennis iam *vi venti curuatis agat, ſuper quas vnda ſurgebat*„ Haec Burmannus: *Peſſime! mihi egregie placet* vnda deſpicit vndas, *et placebit vnicuique, qui Ouidianam conſuetudinem frequentiſſimam, repetendi verba, cognorit. ſenſus: Vnda illa, quae regimen fregerat, quaſi victrix ſuperſtans, et elata quaſi animo, deſpicit, ſpectat ex alto deorſum, vndas, aquas ſinuatas, in ſinu flexas iuxta nauem. ita ſi-*

nuatus *apud ipsum* Ouid. Met. 14, 52. gurges *sinuatus* in curuos arcus. *At qualis imago Ouidiana! cf. inprimis seqq. summa laude digna et admiratione.*

SVPERARE *pro* supereſſe Faſt. 1, 460. Poſtera lux hyemem medio diſcrimine ſignat, Aequaeque praeteritae quae *ſuperabit*, erit.

SVPERVOLARE Met. 4, 623. Deſpectat terras, totumque *ſuperuolat* orbem.

SVPINVS curſus, *de fluuiis retro labentibus, et quaſi ſurſum ad fontes ſuos* Pont. 4, 5, 44. - Flumina in fontes *curſu* reditura *ſupino* Gratia quam meriti poſſit abire tui.

SVPPLERE *proprie et elegantiſſime de Thisbe plorante, et largo effundente flumine lacrymas.* Met. 4, 140. Vulnera *ſuppleuit* lacrymis. *pari elegantia* Met. 7, 291 Pulſa fugit macies: abeunt pallorque ſitusque. Adiectoque cauae ſupplentur ſanguine venae.

SVPPONERE Faſt. 4, 756. Da veniam culpae, nec, dum degrandinat, obſit, Agreſti ſano *ſuppoſuiſſe* pecus. *vide* Degrandinat.

SVPPOSITVS, *ſubiectus imperio alicuius.* Triſt. 4, 8, 48. Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit Non ſit vt inferius *ſuppoſitum*que Deo. Sic et Faſt 6, 48. * Met 12, 34 *Suppoſita* fertur mutaſſe Mycenida cerua. *loco Iphigeniae poſita, data cerua. Fabula notiſſima eſt, de Iphigeniae immolatione; tota narratur ab ipſo noſtro poëta.* Triſt. 4, 4. et Pont. 3, 2. cf. Cic. offic. 3, 25. Higyni fab. 89 *Euripidis Tragoedia omnibus nota.*

SVPREMVS, *ignes ſupremi, de rogo.* Met. 29, 620 ſenſit et arſuros *ſupremis ignibus* artus. * ſupremi vultus, *de moribundo.* Met. 11, 547. Patriae quoque vellet ad oras Reſpicere, inque domum *ſupremos* vertere vultus. Verum vbi ſit neſcit &c. *Tota ſcena illa adeo παθητικη, vt*

vt dulcissimum misericordiae sensum moueat.

SVRGERE, *de carmine: incipere.* Fast. 5, 111. Ab Ioue *surgat* opus. *sic etiam* Trist. 2, 559. surgens ab origine prima mundi opus &c.

SVSPECTVS Fast. 5, 31. Protinus intrauit mentes *suspectus* honorum Fit pretium dignis: nec sibi quisque placet. *reuerentia, cultus honorum homines cepit. Suspicere est* mirari. *Id enim quod miramur, sublatis oculis intuemur.*

SVSPENSVS gradus Fast. 6, 338. Et fert *suspensos* corde micante, gradus; *pulchre, leuiter sublatis et facile, et quasi suspensis pedibus adrepit; nec minus belle,* corde micante, *de Priapo legendus totus locus, si vis persentiscere venustatem.*

SVSPIRARE in aliqua Fast. 1, 417. Hanc cupit: hanc optat: sola *suspirat* in illa. *Gesnerus cum aliis legit,* in illam. *Verum vocab.* in *saepius ita cum ablatiuo causae iungitur.* In illa suspirat *est, in ea sibi cogitanda, imagine fingenda, suspirat et ingemiscit.*

SVSPIRATVS haurire Met. 14, 129. Respicit hunc vates: et *suspiratibus haustis* Nec Dea sum dixit &c.

SVSTINERE Met. 1, 530. Non *sustinet* vltra Perdere blanditias iuuenis Deus, h. e. *non potest; namque Daphne aufugerat.* * *sursum tollere* Met. 4, 363. serpens, quam regia *sustinet* ales (*aquila*) sublimemque rapit. * *eadem significatione de volante.* Ibid. vers. 411. *sustinuere* tamen superlucentibus alis. * *eleg. de eo, qui cum altero pugnat, resp. nostro: einen auf sich nehmen.* Met. 13, 88. Hunc (*Hectora*) ego poscentem cum quo concurreret, vnus *sustinui.* cons. Hom. Iliad. η. pr. * *cum lusu quodam verbi, sed non inconcinno.* Met. 13, 385. Hectora, qui solus qui ferrum ignemque louemque *Sustinuit* toties; vnam non *sustinet* iram. * *pro solari, erigere.* Trist. 1, 5, 4.

Attonitum qui me (memini) cariſſime primus Auſus es alloquio *ſuſtinuiſſe* tuo. * Pectore in aduerſo quos fecit *ſuſtinet* angues; *i. in Aegide ſuo tenet.* Met. 4, 807. *vid.* Attonitus.

SVTILIS corona, *a ſuendo ſic dicta, adhibita in Floralibus.* Faſt. 5, 355. Tempora *ſutilibus* cinguntur tota *coronis*, Et latet iniecta ſplendida menſa roſa. *Heinſ. legit* pota *pro* tota. *certe elegantius, niſi verius.*

SVVS, *Notum quidem eſt, ſed tamen* notandum hoc libro, *apud Ouidium hoc voc. ita diis tribui, vt* propitium, qui preces audiat, *ſignificet* Sic Vota ſuos habuere Deos. Met. 4, 373. *et ſaepiſſime!* * Met. 8, 35. Vix *ſua*; i. e. *Vix ſanae mentis compos; vt ipſe poëta explicat.* * Faſt. 4, 368. *ſunt* ſua verba, *legitima ſolemnia, ita et voc. occurrit* Faſt. 2, 542. et 4, 660.

SYRTIS inhoſpita Met. 8, 120. Non genitrix Europa *tibi* ſed inhoſpita ſyrtis. Armeniaeque tigres, Auſtroque agitata Charybdis. *Salluſtius de* Bello Iugurth. cap. 78. *duas Syrtes ponit, maiorem, et minorem; atque ait a tractu nominatas. quicum conſentire videtur ipſe poëta* Amor libr. 2, 16, 21. *Adde* Pont. 4, 14, 9.

T.

TABESCERE, *liqueſcere* Met. 8, 227 *Tabuerant* cerae: nudos quatit ille lacertos.

TACITVS pallor, *venuſte; tacent enim, qui metuunt pallidi* Faſt. 6, 19. Horrueram, *tacito*que animum *pallore* fatebar. * *qui non ſentitur* Faſt. 6, 771. *tacitis*que ſeneſcimus annis.

TACTVS Met. 9, 36. Inque vicem *tactu* ſuluae flaueſcit arenae. *Conſpergitur multa arena, vt ſolebant luctantes, quo capere hoſtem melius poſſent. Plurimi legunt* iactu *pro* tactu. *Res eadem, idem ſenſus, vox* tactus *tamen hat ſignificatione rarior, et durior; fuſe tamen defenſa eſt a* Gro-

Gronouio obseruatf. 3, 18. *Burm. edidit* iactu; *quod quidem vocabulum in tali re frequens est et facile intellectu. Si vnquam*, hoc loco ego ἐπέχω.

TANDEM, *aliquando, vnquam.* Met. 9, 8. Nomine si qua suo *tandem* peruenit ad aures Deïanira tuas. *obiter noto, rem, quam de se ipso narrat Archelous, ex Sophocle ductam, vbi Deiana loquens inducitur in fabula*, quae Trachiniae *inscribitur; statim ab initio*, μνησῃ γαρ ἦν μοι ποταμος Ἀχελων λεγω κ. λ. cf. Schol. ad h. l. *Alio modo et diuerso ab eo, quem hic leges, narratur fabula* Fast. 5, 115. seq. *quem loc. cf.*

TANGERE, *excitare, commouere* Met. 2, 527. contemtus vos *tangit.* * metam vitae Trist. 1, 9, 1. * tangi *noue et eleg. dicitur qui mouetur vt aliquid credat.* Fast. 5, 74. Hinc sua maiores posuisse vocabula Maio *Tangor* (*inducor vt credam*) et aetati consuluisse suae.

TARDVS *pro* serus, *at poët. et eleg.* Met. 15, 868. *Tarda* sit ille dies, et nostro serior aeuo, Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto Accedat coelo.

TECTVM, tecta pinea, *naues* Met. 14, 531. sert ecce auidas in *pinea* Turnus *tecta* faces. *Burm. tamen edidit* texta *secutus quosdam libros. Ego vulgatam perdere cur velim, non video; quamuis occurrat* Fast. 1, 506. Pinea non sano ter pede texta ferit. *et* Trist. 1, 3, 3. Pinea texta sonant.

TEDA *de amore.* Met. 4, 60. Tempore creuit amor, *tedae* quoque iure coissent; Sed vetuere patres, quod non potuere vetare. *vide* coire.

TELVM, *de ense* Met. 13, 393. Nec valuere manus infixum educere *telum* cf. vers. praeced.

TEMERARE, *stupro polluere apud* Ov. Met. 2, 592. patrium *temerasse* cubile Nyctimenem? Id. Met. 15, 501.

TEMERATVS, temerata aera, ſ. *pulſa*, *concuſſa*. Met. 7, 207. quamuis (*luna*) *temerata* labores *Aera* tuos minuant. *temerare dicuntur aera, cum pulſantur, ne cantiones magicas luna audiret, et periret, cum deficiebat; pleni ſunt libri antiqui deſcriptionum huius moris, et ipſi patres vide* Plutarch. de facie appar. in Lun. Tom. 2. p. 933 Ed. Xylandr. et Lactant. de orig. Error. c. 16. et 17. et cet. *Farnab. et Burm. cum aliis temere h. l.* Temeſaea *legg. pro* temerata *ab* Temeſa, *Brutiorum oppido aere claro, et aerifodinis vbere; ſed ipſi conſtitentur, omnes libros ſcriptos conſtanter tenere* temerata. *Cur itaque mutandum? An quia Ouid. alio loco* Faſt. 5, 441. *dicit*: Rurſus aquam tangit; Temeſaeaque concrepat aera. *Ergo quod illo loco ſcripſerat poëta, neceſſe fuit hoc etiam loco ſcribere? Quod vero ſignificatio τῆς* Temerarie, *qua huc occurrit, rara ſit, illud vel debebat eſſe lectionis commendatio; cum vero* temerare *vſurpetur de quacunque violatione, pollutione, inprimis ſacrorum*, v. c. apud Ouid. Epiſt. 17, 3. Virg. Aen. 8, 840. *recte Medea dicit h. l.* temerata aera, *quaſi violata, quae ſacra ſua* i. *Hecates corrumpere, et turbare conabantur.*

TEMPERARE citharam, *pulſare* Met. 10, 108. Qui citharam neruis et neruis *temperat* arcus. *Apollo. Nota luſum in verbo* neruis; *priori loco pro fidibus, altero pro* arcus proprie dict. nervis poſitis. *et vox* temperare *ſcite poſit h. l.*

TEMPESTIVVS Met. 14, 584. *Tempeſtiuus* erat coelo Cytherëius heros.

TEMPLVM, *locus manu auguris in aëre deſignatus, vt notum*, Ouid. Met. 1, 381. diſcedite templo, *de more ſolenni in hac religione. vide antiquitatum doctores complurimos.*

TEMPORIVS, *vox ab Ouidio forte facta, nam ante*

ante eum, quod sciam equidem, nemo, post eum et alii ea vsi. Sed legendum est siue dubio apud Ouidium temperius; *postero enim demum tempore factum esse* temporius *pro antiquo* temperius *auctor est* Manutius ad Cic. Epist. 9, 16. *et ex eo* Taubmannus ad Plaut. Pers. 5, 1, 16 *qui haec*: „Temperius *antiquius*: a tempus temperis: vt pignus pigneris, et verb. pignero.„ Ouid. Met. 4, 198. modo surgis Eoo *Temperius*, (*maturius, celerius*) coelo: modo serius incidis vndis. *Imitatus h. l. Pseudo-Seneca est:* Nec suum tempus tenuere noctes, Et dies tardo remeauit ortu. *Notandum*, Senecam Ouidium *frequenter, plerumque in iis locis imitari, qui ambitiosa ornamenta habent.*

TEMPVS *apud Ouidium, inprimis in numero plurali de calamitatibus, rerum statu, et quas vulgo barbari vocant circumstantias, frequentissime, vt apud scriptores prosaicos, Ciceronem et alios poni, semel monuisse sat erit, namque infinita adscribere loca non attinet.* * medium Met. 4, 167. *vid.* Medius.

TENAX passus. Pont. 2, 6, 21. Turpe referre pedem, nec *passu* stare *tenaci. Eleg. ad amicitiam translatio constantiae in militia.*

TENDERE, *extendere.* Met. 4, 175: Dixit et vt serpens in longam *tenditur* aluum; *eleganter, sed* cf. voc. Porrigere.

TENERE, i. *detinere* Ov. Met. 1, 600. *tenuit* fugam. Virg. Aen. 6, 722. Dicam equidem: nec te suspensum, nate, *tenebo.* * *pro* obtinere. Ov. Met. 2, 328. Hic situs est Phaëthon, currus auriga paterni, Quem si non *tenuit*, magnis tamen *excidit ausis. h. e. Si non feliciter et satis prudenter rexit, vt obtineret eum rector.* * tenere *eleganter dicimus eum, quem iam nostrum obtinemus victum aut nobis donatum &c. hinc* Met. 143. gratantur Achi-

ui: *Victoremque tenent, quasi suum recipiunt, periculis summis liberatum, at simul respicitur ad amplectentes, qui vere iam* leuent *manibus Iasonem, bene hinc add.* auidisque amplexibus haerent. * Met. 4, 284. dulci animos nouitate *tenebo; tenere studebo; et delectare.*

TENERI lege, *formula iuris apud elegantes scriptores perquam frequens, de iis, qui subiecti sunt legi*, Met. 10, 203. Atque vtinam pro te vitam, tecum que liceret Reddere, sed quoniam fatali lege *tenemur; ita enim legendum est, non* lege vetamur, *vt habet nostra editio. Iubent enim omnes fere veteres codd. et planum est*, TO vetamur *esse glossam exquisiti et elegantioris verbi* tenemur. *vide* Fatalis.

TENOR, *ordo, forma*, Ov. Met. 3, 114. *placido* educta *tenore* tota patent, (signa) *de aulaeis in theatro sublatis, vbi signa forma quadam continuata et sensim sensimque magis, tandem tota apparent. elegans ad viros e terra oriundos et cadmo paullatim crescere e terra visos accommodata comparatio!*

TENTARE, *tenere, frequent.* Ov. Met. 2, 390. vt saltem dum *nostras tentat* habenas orbatura patres aliquando fulmina ponat. *Phoebus iratus Diis et Ioui propter occisum filium haec; in episodio quod neci Phaëtontis adnectit, sed vereor, vt satis laudabiliter; nam totum illud episodium commode poterat abesse, Phoebus irascitur, non vult regere amplius solis currum*, Iupiter minatur, *et rursus ad officium redit Phoebus. superflua haec itaque ad seriem narrationis plane.*

TENVATVS, luna tenuata i. *tenuis, minor, dicitur, ea quam nos appellamus decrescentem, eleg. et poët.* Met. 7, 533. Luna quater plenum *tenuata* retexuit orbem. *adscribi ille locus poterit Thesauro* Gesn. *vide* Retexere.

TE-

TENVIS, rubor tenuis. Ov. Met. 3, 482. *de Narciſſo pectus percutiente:* Pectora traxerunt *tenuem* percuſſa *ruborem*, Non aliter quam poma ſolent; quae candida parte Parte rubent &c. *comparatio digna ingenio ſummi poëtae, quae phantaſiae vim prodit ad mirabilem et nobis quaſi ſub oculis ponit rem actam! Eadem laude digna eſt quae ſequitur comparatio cum vuis.*

TEREBRATA aura, *per quam proſilit, perforatam quaſi, ſanguis recens emicans, eleg.* Met. 6, 260. Expulit hanc (*ſagittam*) ſanguis: ſeque eiaculatus in altum Emicat et longe *terebrata* proſilit aura. *Lecta cuncta et venuſta:* eiaculari — proſilire — Emicare — terebrata aura.

TEREDO *eadem quae* termes. cf. Plin. libr. 16. c. 12. *inter teredinem et tineam hoc intereſt, quod altera ſit marina, altera terreſtris; obnoxia teredo nauibus* Pont. 1, 1, 79. Eſtur vt occulta vitiata *teredine* nauis.

TERES lapillus Met. 10, 260. grata puellis munera fert illi conchas, *teretes*que lapillos. *vide* Lapillus. * acumen, Met. 4, 579. Paullatim *tereti* tenuantur acumine crura. *vide* commiſtus.

TERGVM dare *de fugientibus annis, noue!* Met. 14, 142. Sed iam ſelicior aetas (*iuuentus*) *Terga dedit* tremuloque gradu venit aegra ſenectus. *quam pulchra ſenectutis imago!* tremulo gradu &c

TERRENVS: fornax terrena; i. *ex lateribus coctis conſtructa.* Met. 7, 107. Aut vbi *terrena* ſilices *fornace* ſoluti Concipiunt ignem liquidarum adſpergine aquarum. *explicat. loc. vide in vocab.* Silex. *Mirum, Burmannum de mutanda lectione cogitaſſe, cum ipſe concedat*, terrenam fornacem *eſſe poſſe, ex lateribus coctis conſtructam. Quod cum optimum ſenſum fundat, cur ponamus* Tyrrhena *pro* terrena? *Sed decepit virum*

virum obseruatio et ipsa falsa, vocem terrrenus *apud Ouidium fere solere occurrere pro* subterraneo; *quod interdum sic obtingat, recte sentit, quod plerumque, fallitur; vt alio loco ostendi, quo ita explicabat voc. nempe pro* subterraneus. Met. 7, 107. *terrena* silices fornace soluti. Ibid. 248. *terrena* numina. It. Met. 15, 273. *terreno* lycus est epotus hiatu. Met. 11, 849. fuit ingens monte sub alto Regis Dercenni *terreno* ex aggere bustum.

TERRERE Ov. Met. 1, 727. profugam per totum *terruit* orbem. h. e. *(per breuiloquentiam) teruuit ita vbique vt per totum orbem vagaretur.*

TEXTVM pineum, *nauis* Trist. 1, 3, 3. pinea *texta* sonant. Adde Fast. 1, 506. *et vide* Tectum.

THYONEVS *epithet. Bacchi* Met. 4, 13. *(nominibus praeced. vers. add.)* Nyseus, indetonsusque *Thyoneus. causam affert laudatus ab* Micyll. ad h. interpres Apollonii libr. 1. Argonaut. 636. ὅτι Αἰσθυλος ἐγκυον αὐτην παρεισηγαγεν ἐλθουσαν, καὶ ἐνθεαζομενην, ὁμοιως δε καὶ τας ἐφαπτομενας της γαστρος αὐτης ἐνθεαζομενας. *Inde etiam* Thyades *appellatas,* παρα το θυειν videlicet, το ὁρμαν καὶ μαινεσθαι.

TIBIA, *tibia* aduncо cornu; *haec secundum Plinium a Mida inuenta curua erat et in Festis Bacchi praecipue adhibita. Hinc* Ouid. Met. 3, 530. aerane tantum Aere repulsa valent et *aduncо tibia cornu; vbi de Bacchi festis agitur.* Virg. *eam* curuam *appellat* Aen. 2, 737. vbi *curua* choros induxit *tibia* Bacchi.

TIBICEN, quo stat villa Fast. 4, 695. *est columella in aedificiis, qua rustici tecta fulcire solent; a similitudine tibiae canentium, quod, sicut haec cantantes, sic illa aedificiorum tecta sustinet. Ita Festus. Ouidius ita:* Haec modo verrebat stantem *tibicine* villam.

villam. Nunc matris plumis ova fouenda dabat. *Suauiter!* Scal. poët. libr. 4, p. m. 462. *praefert antiquam lectionem*: verrebat raro cum pectine terram. *Sed peſſime! Tuentur, praeter ſenſum, et optimi libri noſtram lectionem. apud* Iuuenal. Sat. 3. *interpres vetus explicat* vrbem tibicine fultam, tibicinatam. „Vertere villam *bene* conuenit ruſticae; nam hoc officium diligentis matris familiae humilioris: in potentiorum domibus id ancillae obibunt, vt Polyxena apud Euripid. Hec. 362.

TIMIDVS deorum; *religioni deditus.* Met. 5, 100. Emathion aequi cultor, *timidus*que Deorum. *Obiter notand. et h. l. Ouidium inde a verſu* 47 *imitari Homericam rationem deſcribendi pugnas, qua narrantur ordine longo et qui collapſi ceciderunt, et ſimul deſcribuntur breuiter, et ex natura, genere, virtute cet. Virgilius eandem in Aeneide rem ſaepius praeſtitit.*

TITVLVS. *ſunt* tituli *librorum apud veteres, non primae ſolum paginae, ſ. inſcriptiones, quae* indices *dicuntur, ſed maiores operum partes, vt* capita *ſunt minores. Plura dabit de varia huius vocis ſignificatione* Muncker. ad Hygin. Fab. 80. Sed apud Ouid. Triſt. 1, 1, 7. *malim tamen* titulum *intelligere primam libri paginam.* Nec *tituli* minio nec cedro charta notetur. *propter geminum illum Martialis locum* Epigr. 3, 2, 10. Et cocco rubeat ſuperbus Index. *vide* Cedrus. * *fama* Triſt. 1, 1, 53. Donec eram ſoſpes *tituli* tangebar amore Quaerendique mihi nominis ardor erat. * praedae, *glorioſa praeda* Met. 4, 644. hunc praedae *titulum* Ioue natus habebit. *vera erat etiam ſors, oraculum Themidos,* cf. Met. libr. 9, verſ. 190. *oraculum ipſum habes* Met. 1, verſ. 321. * honor alicui *tributus, vt* menſis titulus Faſt. 4, 115. Hanc quisquam *titulo* menſis ſpoliare ſecundi

cundi Audeat? a nobis sit procul iste furor. * *pro laudibus* Fast. 2, 16. At tua prosequimur studioso pectore Caesar; Nomina: per *titulos* ingredimurque tuos. Sic et Fast. 1, 15. *inde &* titulus *dicitur* cognomen, *quo eiusmodi honorifica appellatio, ab aliquo merito petita, continetur.* Fast. 1, 602. Ex vno quidam celebres aut torquis ademtae, aut corui *titulos* auxiliaris habent. „*Denotat Manlium Torquatum, Valerium Coruinum: quorum tituli (cognomina) in eorum posteros aeternum translati.* Vid. de Coruino Valer. Maxim. libr. 8. c. 13. et 15. * *omnino pro nomine* Fast. 4, 44. Isque (Siluius) Latine, tibi pater est; subit. Alba latinum. Proximus est *titulis* Epitus, Alba tuis. * *pro quauis, etiam ignominiosa* appellatione. Fast. 6, 190. Vixit, vt occideret damnatus crimine regni. Hunc illi titulum longa senecta dabat. conf. vers. 189 * Pont. 2, 1, 50. Pertulit huc idem nobis Germanice rumor Oppida sub *titulo* nominis isse tui. *deuicta a te accessisse honori tuo amplificando. locutio singularis.* „Designat Seretium, et alia oppida Pannoniae a Germanico capta; qui tamen et cladem in illa expeditione est passus. Sed missus in Illyricum Tiberius et Germanico coniunctus Dalmatas et Pannonios variis proeliis attriuit. Batonem quoque, ducem hostium cum filio cepit, et in triumphum egit, vt ex hoc loco patet. Imperatoris nomen et triumphus tam Augusto, quam Tiberio decretus. Germanico triumphalia ornamenta, honoresque praetorii, et vt sententiam primus post Consulares diceret, vtque Consularum legibus solutus posset ambire. Plura Paterculus, Dio, Tacitus, Suetonius, Appianus.„ *Heinf. ad h. l.*

TOGA libera *pro* virili Trist. 4, 10, 28 Interea tacito passu labentibus annis *Liberior* fratri toga mihique sumta est. *vide*

Masso-

Massoni Vitam Ouid. ad Ann. XVI. ad h. l. *et totam Elegiam. Toga virilis illa pueris Bacchi Festo dari solita* cf. Fast. 3, 771. 788. *cuius rei causam habes a vers.* 773-784.

TOLLERE *accipere* Fast. 4, 560. Ille (Triptolemus) quidem mortalis erit, sed primus arabit Et seret, et culta praemia *tollet* humo. * tollere preces *pro* precari desinere Fast. 3, 198. Indolui: patriamque dedi tibi, Romule, mentem. *Tolle* preces, dixi: quod petis, arma dabunt.

TOROSVS *epith. elegans colli taurorum; quia habet* toros *plurimos. i. musculosam pulpam carnis, puluillorum instar eminentum; vide* Columel. 6, 13. *qui eiusmodi boues tali collo laudat, et commendat emendos.* Met. 7, 429 feriunt secures colla *torosa* boum, vinctorum cornua vittis.

TORVS; *toros appellant, vt iam e Gesnero liquet, pulpam carnis musculosam, et praesertim vbi adstringuntur et contenduntur nerui, puluillorum instar eminentem, vnde robur animalium quorundam cernitur. Ita accip. locus* Ov. Met. 2, 854. *de Ioue in taurum mutato:* colla *toris* exstant, armis palearia pendent. et apud Virg. Aen. 12, 7. comantes *tori.*

TORPERE, *lapidescere* Met. 5, 196. vitioque animi, (*timiditate*) non crinibus, inquit Gorgonei *torpetis.*

TORTILIS Met. 13, 915. Vltimaque excipiat quod *tortilis* inquina piscis, *qui se torquere soleat.*

TOTIDEM *cum ablat.* Met. 4, 752. Dis tribus ille locis *totidem* de cespite ponit, Laeuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo, (*Pallas*) Ara Iouis media est. *Primus locus medius, proximus sinister.* vid. Lipsi. Elector. libr. 2. c. 2. *Assignatur h. l. Palladi prior locus, quam Mercurio, non solum ab ratione victimae, cf. Met.* 12, 151. *sed etiam, quia* Ioui proximos occupauit honores. Hor. od. 1, 12, 19.

TO-

TOTVS Ov. Met. 2, 537. fuit haec quondam niueis argentea pennis Ales, (coruus) vt aequaret *totas* sine labe columbas. *Sed mihi suspectum voc.* totas, *quanquam alii docti viri plane tacent. Quid? si leg.* totus, *h. e. in vniuersum, qs. in totum coruus per omnes partes aequat colore columbas. Certe hic sensus videtur esse h. l.* * Totus in prece Fast. 6, 251. In prece *totus* eram coelestia numina sensi Laetaque purpurea luce refulsit humus

TRABES, *de arboribus* Met. 14, 360. praeter oculos transcurrere regis Iussit et in densum *trabibus* nemus ire videri.

TRAHERE lunam, *proprium verbum de magis, lunam et sidera mouentibus, alias* deducere *eodem sensu dicitur. Medea apud* Ov. Met. 7, 207. Te quoque, Luna, *traho*, quamuis temerata labores Aera tuos minuant. *te de coelo deduco, quanquam aera pulsa, concussa, (vt moris erat in defectu Lunae) minuant vim, et defectum, labores tuos. Pulsabantur cymbala et tintinnabula, ne Luna incantationes magicas audiret, atque ita periret, cum deficeret. vide voc.* Temeratus. * vultus, *de eo qui aegre fert, indignabundos vultus* Pont. 4, 1, 5. Sine *trahis* vultus: equidem peccasse fatebor Delicti tamen est causa probanda mihi. * ignes, *de amore* Met. 4, 674. Marmoreum ratus est opus et *trahit* inscius ignes. * Fast. 4, 662. Nox venit et secum somnia nigra *trahit, comites.* * trahere animum et tempus, *i. leuare animum dum trahitur, consumitur tempus.* Trist. 5, 7, 65. Sic animum tempusque traho: meque ipse reduco A contemplatu, submoueoque, mali. * trahere colorem, *solemnis locutio*, Met. 2, 236. calorem Met 11, 305. suspiria trahere i. *aegre ducere* Met. 2, 753. * trahi *pro capi ad aliquam artem complectendam* Pont. 1, 5, 50. Mo-

ris

vis an oblitus patrii contendere discam Sarmaticos arcus: et *trahar* arte loci!

TRANSFORMIS, *qui mutari in alias formas potest.* Met. 8, 879. Ast vbi habere suam *transformia* corpora sensit. *Eodem sensu Proteus dicitur* transformis Fast. 1, 373.

TRANSCRIBERE, *eleganti Metaphora, ab iis qui nomina, siue pecuniam aliis creditoribus transscribunt,* ducta; *ad annos vitae alteri demtos, alteri datos.* Met. 7, 173. ergo ego cuiquam Posse tuae videar spatium *transscribere* vitae. *eleg. h. l.* ergo, *in ore indignantis; petierat Iason* vers 168. Deme meis annis; et demtos adde parenti.

TRANSIRE in iram Met. 8, 106. Consumtis precibus violentam transit in eram. *eleg.* consumtis precibus! * Met. 15, 226. Inde valens veloxque fuit; spatiumque iuuentae *Transit.*

TRANSLVCERE *pro* perlucere, Met. 4, 354. Desilit in latices: alternaque brachia ducens In liquidis *translucet* aquis: vt eburnea si quis Signa tegat claro, vel candida, lilia vitro *Excellens imago! ipsa etiam verba suauitatem spirant, et augent quasi visum imaginis.*

TRANSSVO eleg. Fast. 2, 363. Dumque sacerdotes verubus *transsuta* saliginis Exta parant, medias Sole tenente vias. *Imitatus hanc metaphor. est* Senec. Phoeniss. 254. pedes ferro *transsuit.*

TREMERE, tremens axis; *de frigida terra Getica.* Trist. 3, 10, 12. Dum patet et *Boreas* et nix iniecta sub Arcto, tum liquet, has gentes *axe* tremente premi. *Heinsius totum distichon adulterinum esse iudicat. Burm. renuit, at corruptum fatetur esse; et Heinsii coniecturam laudat quae talis est*: Tum pariter Boreas, et nox habitate sub Arcto: *vt* habitare *pro* habitat *sit positum; quod durius, quia mox*: liquet has gentes *sequitur. Emendat deinde ipse ita*: Tum pari-

pariter Borean et noctem habitare sub Arcto, Tum liquet has gentes axe rigente premi. *Ego vero nihil mutandum, nisi forte vocab.* Dum *censeo: vt legatur:* Tum patet et Boreas &c. *nullam iam video obscuritatem. Cum tristis hyems, inquit poëta, apparuit, et terra candida facta est gelu; tum patet Boreas, late regnat, vbique est, et patet, vbique fusa nix iniecta sub Arcto, in regione tota sub Arcto; tum liquet has gentes sub axe frigido premi, Bene autem axis tremens, ab effectu, vbi tremunt homines prae frigore.* * aliquem. Pont. 1, 4, 30. Caesaris ira mihi nocuit, *quem* solis ab ortu, Solis ab occasu vtraque terra *tremit.*

TREMVLVS Met. 15, 212. Inde senilis hyems *tremulo* venit horrida passu. *Suauissime;* hyems senilis; *et venit* horrida, *et* tremulo passu! *Pergit poëta:* Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos; *elegans comparatio: sed legendus totus locus.*

TREPIDARE, *prae metu celeriter moueri.* Ouid. Met. 1, 506. sic aquilam penna fugiunt *trepidante* columbae. *vt* Virg. Aen. IV. 121. Dum *trepidant* alae saltusque indagine cingunt &c. *et festinare quacunque de causa; poetice* ap. Hor. Carm. 2. 4. 23. cuius octauum trepidauit aetas claudere lustrum. Id. 3. 27. 17. * *belle dicuntur pennae fugientium; tales enim videntur.* Met. 5, 605. Vt fugere accipitrem penna *trepidante* columbae, Vt solet accipiter trepidas agitare columbas. *Vult figura sibi frequentissima poëta fugientem Arethusam et insequentem Alpheum pingere; et habet imago quae accedant ad veritatem, nec tamen non timeo, vt satis bene hi versus audiantur a nympha simplici, ingenua, narrante alia cum summo simplicitatis candore. Lusus denique hoc loco erga Mineruam non placet.*

TREPIDVS fletu. Met. 4, 673. *trepido* manabant lumina *fletu.*

TRIDENTIGER, *epith. Neptuni ab Ouidio factum, a tridente, quem gerit, vt notum est, ille Deus.* Met. 11, 203. Cumque *tridentigero* tumidi genitore profundi Mortalem induitur formam.

TRIFIDVS, flamma trifida. Ov. Met. 2, 325 *trifida* fumantia *flamma* corpora dant tumulo.

TRIONES, Septentrionis *appellatae stellae illae septem a figura boum iunctorum*, (*qui* ſ *antiquis* teriones, i. triones.) *quam fingunt* v. Varro L. 6 4 *In tmesi et compositione* trio *in sing. saepius reperitur. Hinc* Ouid. Met. 1, 64. Scythiam *septemque trionem* Horrifer inuasit Boreas. *leg. pro septemque triones. v. Heins. ad c. l. Virgil. Georg.* III. 381. *septem* subiecta *trioni* gens effrenata virûm &c.

TRIPLEX, sorores triplices *sunt* Parcae. Met. 8, 453. in flammam *triplices* posuere Sorores. Ibid. vers. 481. *vbi* triplices Poenarum Deae, *furiae dicuntur.* * opus, *mundus vniuersus, quia constat tribus elementis,* mari, coelo, terra; *ex sententia scil. Lucretii, ad quem respicit Ouidius* Trist. 2, 426 Explicat vt causas rapidi Lucretius ignis Casurumque *triplex* vaticinatur *opus. bene* vaticinatur, *quia Lucretius canit de futuro fine mundi, quem alii aeternum arbitrati erant. Respicit* Lucret. R. N. 5, 95. naturam *triplicem, tria* corpora Memni, Tres species tam dissimiles, *tria* talia texta Vna dies dabit exitio. *Ceterum idem versus Ouidii recurrit in Elegia de* Morte Drusi ad Liuiam vers. 462. Ecce necem intentam coelo terraeque, freto que Casurumque *triplex* vaticinantur *opus; quanquam ibi de oraculis Sibyllae Cumaeae. Occurrunt etiam* Deae triplices. i. *Parcae, qui tres.* Ov. Met. 2, 655. *triplicesque Deae* tua fila resoluent. *generatim enim*

plex est, vbi tria distingui possunt.

TRISTIS, *infelix*, Met. 6, 140. Postea discedens succis Hecateïdos Herbae spargit; et extemplo *tristi* medicamine tactae Defluxere comae. *Scheperus legit* Oraque *pro* postea; *cui fauere videtur* vers. 141. *versus certe elegantior redditur, et melius cetera cohaerent.* * *ab effectu, infelix.* Met. 15, 43. Nunc quoque sic lata est sententia *tristis:* et omnis calculus immitem demittitur ater in vrnam. * *Trux, immanis*, Trist. 3, 11, 39. Saeuior es *tristi* Busiride: saeuior illo Qui falsum lento torruit igne bouem. * sopor. Trist. 4, 6, 12. Tempus et in canas semen producit aristas. Et ne sint *tristi* poma *sopore* facit. * absinthium Pont. 3, 1, 23. *Tristia* per vacuos horrent absinthia campos. Pont. 3, 8, 15. *idem fere versus recurrit, sed ita solet tristis, miser Tomitanus poëta.* * *suauiter* Deus non tristis *pro* leuis, *rebus lu-dicris, amori deditus. notissima illa figura Euphemias, vt grammaticorum filii loquuntur.* Met. 4, 187. Illi iacuere ligati Turpiter, atque aliquis de *Dis non tristibus* optat; (*alii legunt* optet, *Sed certo ex Luciano constat fabula, qua vere optasse hoc Mercurium et Apollinem credebatur, adeoque praeualet* optat) *Sic* fieri turpis: *Quid scil. Venus erat amica. facete, et Ouidianum hoc! vide de ipsa re* Hygin. fab. 148.

TRISVLCVS, ignes trisulci, *de fulgore* Ov. Met. 2, 8, 48. cui dextra *trisulcis ignibus* armata est. *et sic saepissime.*

TRVNCARE Met. 8, 650. *Truncat (Baucis)* olus foliis, *peiora, inutilia folia decerpit; elegans rei minutae descriptio, qua arte maxime pollet Ouidius. bene additum: olus*, Quod suus coniux riguo collegerat horto.

TVMERE, *elegant.* Fast. 152. Noua de grauido palmite gemma *tumet.*

TVMIDVS. Ov. Met. 1, 460. Pytho *tumidus, pro-*

propter venenum, non superbia elatus, vt quidam voluerunt. Ita Id. Trist. 2, 13. Pestiferum *tumido* vulnus ab angue datum, i. *veneno inflato.* * *epithet. Furiarum, quia anguibus tument.* Met. 10, 313. Stipite te stygio *tumidis*que adflauit Echidnis E tribus vna soror.

TVMVLARE *pro* sepelire, condere tumulo, *ni fallor, princeps dixit Ouidius* Met. 11, 566. Optat, et exanimis manibus *tumuletur* amicis.

TVMVLTVS, aetherei tumultus; *de tonitrubus, fulminibusque.* Ov. Met. 3, 308. corpus mortale *tumultus* non tulit aethereos; donisque iugalibus arsit.

TVRBA rotarum; *de curribus saepius aliquo loco euntibus, frequentantibus locum.* Met. 6, 219. *turba rotarum* Duraque mollierant subiectas vngula glebas; *belle de celebri via regia!*

TVRBARE, *quum vox de aqua turbida reddita dicatur vt* Phaedr. fab. 1. libr. 1. *omnino notat* polluere, *vt sacra* &c. Met. 6, 537. Omnia *turbasti*, pellex ego facta sororis: tu geminus coniux. non haec mihi debita poena. *antea* vers. 336. coniugalia iura *nominauerat; haec itaque, et omnia* turbauerat, *polluerat, violauerat Tereus.* * notas; *confundere.* Met. 8, 160. *de Labyrintho daedaleo.* Ponit opus *Turbat*que *notas*, et lumina flexum Ducit in errorem Variarum ambage viarum. *Turbauit notas, dum similes effecit, quae in flexos ambages duceret, vnde redire non possis.* * festa, *profanare* Met. 4, 33. Solae Mineïdes intus (*intra domum clausae, cum aliae omnes se in Cithaeronem contulissent*) Intempestiua Minerua, (*lanificio non tempori sacro conuenienti*) *turbantes festa.*

TVRBINEVS, vortex, *qui ceu turbo in gyrum vertitur, eleg.* Met. 8, 556. Multa quoque hic torrens niuibus de monte solutis Corpora turbineo inuenilia *vortice* mersit.

Vocab. a Ouidio natum feliciter, eique, ni fallor, proprium.

TVRBO, *Meta, ſ. conus, qui in ima parte acutus, in ſuperiori latior eſt* Ov. Met. 1, 335. caua buccina ſumitur illi Tortilis, in latum quae *turbine* creſcit ab *imo*. *Eſt enim concha, quae ab imo ita creſcit, vt et torqueatur in gyrum propemodum, paullatimque fiat latior.*

TVRGESCERE, *eleg. de pullulantibus arboribus*, Triſt. 3, 12, 15. Quoque loco eſt arbor, *turgeſcit* in arbore ramus. Nam procul a Geticis finibus arbor abeſt.

TVRRIGERA Dea, *Cybeles nomen; talis etiam, quae turrim gerat, pingitur in tabella aenea quadam, quam excuſam dedit Burmannus* ad Faſt. 4, 224. *Cur ita dicatur, ipſe Ouidius talia:* At cur turrita caput eſt ornata corona? An Phrygiis turres vrbibus illa dedit? Adnuit - Phryx puer in ſiluis, facie ſpectabilis Attis *Turrigeram* caſto vinxit amore Deam.

TVTVS, *qui ſe tuetur, prouidus.* Ov. Met. 2, 53. non eſt tua *tuta* voluntas, *dein Wunſch iſt unvorſichtig* Sic Hor. Sat. 2, 3, 137. Oreſtes male *tutae* mentis. i. *male ſanae.* Id. A. Poët. 28. Serpit hunc *tutus* nimium, timidusque procellae, i. *nimium ſibi cauens.* vid. ibid. v. 265.

V.

VACARE flere, *eleganter dicitur, vbi tempus eſt lacrimarum; contra* non vacare flere, *vbi res non lacrymas poſcunt, ſed actionem, poenam, iram &c.* Met. 6, 585. nec *flere vacat. (neque iam prae animi dolore furibundo flere licebat)* Sed faſque nefasque confuſum ruit. *Sic* Met. 10, 387. (*nutrix*) mortis paratae Inſtrumenta videns ſpatio conclamat eodem, Seque ferit ſcinditque ſinus, creptaque collo Vincula dilaniat; tum denique *flere vacauit.*

uit. longe elegantissime; vbi nutrix paullo se collegerat, discideraat vestes, vincula dilaniauerat, atque se leuarat summo stupore primo, tum demum potuit, licuit, tum denique flere *vacauit. Nonnulli legunt* vetauit; *pessime!*

VACCINIVM Trist. 1, 1, 5. Nec te purpureo velent *vaccinia* fuco. *Nec ligaris membrana tincta colore purpureo vaccinii; quo solebant velari libri.* Martial. epigr. 3, 2, 10. Et te purpura delicata velet.

VACVVS, vacui saltus, *apud* Ov. Met. 2, 165. onere adsueto *vacuos* dat in aëre *saltus*. Succutiturque alte, similisque est currus inani. *Sed vereor, vt dixerit Naso*, onere adsueto Vacuos saltus. *audacior sane esset haec poëtica licentia. quidni legis?* onere adsueto *vacuus* — est currus inani; *vt vacuus referatur ad currus, tum omnia plane, elegantia.* *aures vacuae Met. 4, 41. Perque vices aliquid, quo tempora videri Non sinat in medium *Vacuas* referamus ad *aures*. in medium referre *abundanter dictum!* * Vacuis inobseruatur in herbis Met. 4, 341.

VALIDVS ignis, *de amore* Met. 7, 9. concipit interea *validos* Aeetius *ignes*.

VALLARE Fast. 3, 449. Iam vbi caeruleum *vallabunt* sidera coelum. *Ita certe* Burm. Fischer. *et nostra ex ea expressa editio. Sed ego non probo.* Burmannus *varias lectiones adfert duas:* Variabunt sidera coelum, *et* vallabunt sidera coelum. *et addit:* „*Variabunt* mihi non displicet, vt flores enim prata variant et distinguunt, ita stellae coelum.„ *Recte quidem probat hanc lectionem, at cur non recepit? Equidem concoquere illud* Vallare *non possum, inepta, saltim male docta translatio mihi illa videtur.* Vallant stellae coelum? *circumdant? aut quidquid voles, imago erit mala. lege tutus* variabunt si-

dera coelum, *ita* variare *pro* distinguere *centies occurrit apud ipsum solutae orationis scriptorem* Plin. 14, 2. varians coelum.

VALLIS fluuii, Ov. Met. 2, 256. Septem sine flumine *valles*, i. *aluei aqua carentes. Passim poetae valles vocant alueos fluuiorum, quia inter duas ripas vallium speciem habent. Sic et* * valles antri *sunt loci maxime depressi* Ov Met. 2, 761. imis in *vallibus* antri.

VARIARE Met. 12, 465. Huic aetas inter iuuenemque senemque, vir iuuenilis erat. *variabant* tempora cani. *descriptio senioris.* cf. Isidor. libr. 11. c. 2.

VARIVS sermo, *colloquium*, Met 4, 39.

VARVS, varae manus *dicuntur proiectae, et recuruae, quales sunt pugnantium.* Met. 9, 33. tenuique a pectore *varas* In statione manus.

VASTVS draco; *epith. bene lectum* Met. 4, 646. et *vasto* dederat seruanda *draconi.* cf. cum h. l. Apollon. Rhod. Argon. 4, 1396. *Sunt qui legant*, dederat seruare; *quod magis poëticum, sed nescio, an hic magis verum.*

VATICINATOR Pont. 1, 1, 42. Ante Deum Martem cornu tibicen adunco Cum canit; exiguas quis stipis aera neget? Scimus ab imperio fieri nil tale Dianae: Vnde tamen viuat *vaticinator* habet. *Vaticinator Dianae nomine, exigit stipem siue pecuniam a consulentibus, seu iis, quibus vaticinia edit. Et tamen scimus, ipsam Dianam nil tale imperare. In Aricino nempe nemore iuxta Romam, habuit Diana templum, ibi erant vaticinatores. cf. Gronou. obseruatt.* libr. 4, c. 7.

VBER, dare vbera. Met. 4, 324. siue es mortalis quite genuere beati, Et frater felix et fortunata profecto Si qua tibi soror est, et quae *dedit vbera* nutrix. *Videtur ista salutatio Salmacidis esse imitatio illius laudis*

quam

quam dat Hero Leandro apud Musaeum vers. - -

VEGRANDIS, vegrandia farra colonae Quae male creuerunt, vescaque parua vocant. Fast. 3, 445: *Dicta ait antiquitus, quae male creuerunt, id est, male grandia, minuta; nam veteres syllabam ve ad rei paruitatem praeponebant. vnde minutam fabam vegrandem quoque dixerunt; minores flamines vesflamines, Veiouem paruum louem.* cf. vers. 448. loc. laud. *Apprime huc facit Festus:* Vegrande frumentum *pro* paruo et minuto. *Grandire* apud Antiquos est idem, quod *crescere.*

VEHERE ventrem, *de grauida, si vera est vulg. lectio.* Met. 9, 686. Iamque ferendo *vexerat* illa grauem maturo pondere ventrem. *Sed* vehere ferendo *hac significatione, qua occurrit h. l. non ferendum videtur. Esset enim locutio indigna vel minimo poëta, indigna etiam latino scriptore. Libri maxime variant. Alii legg.* Gessерat; *alii* auxerat: *plurimi* vixerat. *Vnde Heinsius mihi satis callide et docte restituisse videtur:* Iamque ferendo Vix erat illa grauem maturo pondere ventrem. Esse ferendo, *non insolita locutio, nec ab ipso Ouidio aliena. Ipse enim* Met. 15, 403. Cum dedit huic aetas vires, onerique ferendo est.

VELIVOLVS, *epith. nauis, quippe velis volat,* Pont. 4, 5, 42. Prius vmbrosa carituras arbore montes Et freta *velinolas* non habitura rates. Sic. Pont. 4, 16, 22. Veliuolum mare *est, vbi volant vela.*

VENATVS durus, Met. 4, 307. *vide* durus.

VENERATOR, *vox ab Ouidio forte facta* Pont. 2, 211. Ille domus vestrae primis *venerator* ab annis Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti.

VERBERARE Fast. 1, 77. Flamma nitore suo templorum *verberat* aurum, Et tremulum summa spargit in aede iubas. *Intell. inaurata sacrarum aedium lacunaria.*

VERBOSVS, forum verbosum, *bene* Trist. 3, 12, 18. Otia nunc istic: iunctisque ordine ludis Cedunt *verbosi* garrula bella *fori. iuncti ordine ludi sunt*, Megalesia, Cerealia et Floralia, *qui ludi Aprili et Maio mensibus, fere continui erant. bene igitur* ex ordine iuncti. Trist. 4, 10, 18. Fortia *verbosi* natus ad arma *fori; ad eloquentiam forensem.*

VERNARE *cum proprie sit, vernum esse, vere renouari*, vt Met. 7, 284. humus *vernat. eleg. dicitur de laetis, lasciuientibus auibus tempore verno.* Trist. 3, 12, 8. Prataque pubescunt, variorum flore colorum Indocilique loquax gutture *vernat* auis.

VERRERE *bene de vento Borea* Met. 6, 706. pulvereamque trahens per summa cacumina pallam *Verrit* humum; pauidamque metu, caligine tectus Orithyian amans soluit amplectitur alis. Dum volat; arserunt agitati fortius ignes. *Quae descriptio! quales imagines! quam apta omnia Borea, tum* palla *illa, et quidem*, pulverea, *quam* trahit, *et quidem* per summa cacumina, *et qua* verrit, (*signans verbum!*) humum; *recte et ipse* caligine tectus *fingitur*, et fulvae alae *decent eum mirifice. sed nescio an eandem summam laudem mereat versus:* Dum volat arserunt agitati fortius ignes. *ignis amoris non bene* volatu agitatur; *melius amplexu Orithyiae, aut adhaerendo ei dum volat cum ea; optem alios a parte Ouidii contra me stare.* * humum *suauiter dicitur syrma pallae longae, quod trahitur humi;* Met. 11, 166. *Verrit* humum Tyris Saturata murice palla. *vide hanc vocem in I. Parte Clauis.* * *de caesarie promissa adeo, vt labatur deorsum.* Met. 13, 961. Hanc ego tum primum, viridem ferrugine barbam, caesariemque meam quam longa per aequora *verro*, Ingentesque humeros et caerula brachia vidi.

VERTERE, ante ora verti, *ante aliquem versari* Met. 5, 275. Omnia terrent virgineas mentes: dirusque *ante ora* Pyreneus *Vertitur*: et nondum me tota mente recepi. *Explic: et adhuc etiam ante ora mea versari videtur Pyreneus, adeo territa sum, vt eius imago mihi adhuc ante oculos versetur; nondum me collegi ex illo terrore. mollis, timibunda, foeminea, dicens fingitur. Habes hic eam orationis virtutem, quae natiua pulchritudo est, quam nos appellamus Naiuitaet. Incipit* vers. 269. O, nisi te virtus opera ad maiora tulisset; *quod et ipsum initium mulieris est*, — Et gratam sortem, tutae modo simus, habemus — sed — vetitum est adeo sceleri nihil, omnia terrent Virgineas mentes &c. *Non videre videris Musam illam verecundam, timidam, parce querentem?*

VERTEX moribundus Met. 5, 84. Et resupinus humum *moribundo vertice* pulsat. *Bene* pulsare; *actionem morientis totus versus et* palpitantis *pingit. vide* Palpitare.

VESCVS, *antique pro* paruus, imbecillus, exsuccus, *ipso Ouidio notante* Fast. 3, 446. *vescaque* parua vocant.

VESTIGIA, *pro passibus*, l. *gressibus*. Ov. Met. 2, 21. Protinus ad patrios sua fert *vestigia* vultus, * *pro ipsa planta* Met. 4, 343. in alludentibus vndis Summa pedum taloque tenus *vestigia* tinguit. *Adde* Met. 5, 591. primumque pedis *vestigia* tinxi.

VESTIS rudis Fast. 4, 639. *Veste rudi* tectum supra noua vellera corpus ponit. *vide* Rudis.

VETITVM Ov. Met. 2, 172. tum primum radiis gelidi valuere Triones, et *vetito* frustra tentarunt aequore tingui. *respicit* vetitum aequor *ad mandatum iratae Iunonis, quod, et omnem historiam vid.* apud Eund. Metam. 2, 530. et praeced. *est itaque priori loco Anachronismus, siue*

ue potius occupatio, (πρόληψις) *quae frequens est optimis quibusque scriptoribus, Ouidio praeprimis.*

VETVS, anni veteres *pro multi* i. *senectus poet. et eleg.* Met. 9, 420. queritur *Veteres Pallantios annos* coniugis esse sui. *Aurora, Soror patruelis Pallantis, vid.* Hesiod. Theog. 371. sq.

VEXARE, *venuste*, Trist. 2, 318. Cur non Argolicis potius quae concidit armis *Vexata est* iterum carmine Troia meo. *Burmannus haec*: „Indicat hoc verbo, *Vexata*, materiem ad satietatem a poëtis tractatam, vt iam fatigati sint lectores. ita fere Iuuenalis Sat. 1, 2. se *vexatum toties Thesiden Codri* dixit.„ *Sed ego non probo illum lusum; nec cadit in hunc locum, et omnem contextum; quare, vt et ipse Burmannus posse accipi dicit, dudum intellexi, nempe* vexare Troiam, *esse*, canere vexatam Troiam et euersam; *vti saepius poëtae facere dicuntur, cum ab aliis facta canunt.* cf. Ouid. Epist. 8, 13.

VIBRARE, *elegantissime et poëtica vena digne de ventis sursum agitantibus et expandentibus vestes currentis Daphnes* Ou. Met. 1, 537. Nudabant corpora venti, Obuiaque aduersas *vibrabant* flamina vestes. *Est vero tota illa fugientis puellae imago, si quaequam alia, suauis aptaque ad demonstrandam vim phantasiae, qua valere debeat poëta bonus, vt capessat omnes res mente, quae visa dulcedinem haberent. Est vero vnicuique fere verbo laus sua propria, vt* obuia *flamina*; aduersae *vestes*, impexi *capilli. omnia hic exquisita inuenies.*

VICEM peragere Met. 4, 218. Nosque *vicem peragit.*

VICES reddere, i. *par pro pari.* Met. 14, 36. Vt tua sim voueo: spernentem sperne? sequenti *Redde vices*; vnoque duos vlciscere facto.

VICINIA *cum plur. verbi.* Met. 4, 635. humum *vicinia* nulla premebant. *Ita enim legendum pro* premebat, *quod est in nostra editione. vide* Premere.

VIDVA puella Fast. 2, 557. Dum tamen haec fiunt (*Feralia s. parentalia*) *viduae* cessate *puellae:* Expectat puros pinea taeda (*praeferri nuptiis solita*) dies. *His igitur diebus vitabantur viduis nuptiae, forte manes defunctorum eas pati non crediti.*

VIGILATVS, labores vigilati; *de lucubrationibus* Trist. 2, 11. Hoc pretium curae *vigilatorumque laborum* Cepimus: ingenio poena reperta meo. * carmen vigilatum; *quod nocte vigilata factum est aut decantatum.* Fast. 4, 109. Primus amans *carmen vigilatum* nocte negata Dicitur ad clausas concinuisse moras: *Ita* vigilati labores Trist. 1, 1, 108. Hoc pretium curae *vigilatorumque* laborum, *de carminibus. de more canendi ante fores clausas* amicarum *res nota est.*

VILLOSVS colubris, i. *cui pro pilis colubri ac serpentes; de Cerbero.* Met. 10, 21. nec vti *villosa colubris* Terna Medusaei vincirem guttura. Cerberus *est monstrum Medusaeum, quia Echidna, quae Cerberum et Orthum, Gorgonis canem peperit; ex Typhaone Medusae progenies fuit.* cf. Hesiod. Theog. 295. et vers. 306. *Dicit Orpheus se non venisse, vt Herculem, ad extrahendum Cerberum.*

VINCVLVM, *funiculus, quo canes ducuntur inter venandum.* Met. 8, 332. *Vincula* pars adimunt canibus. *vide* copula. * vincula digitorum, *pulchre de eo qui alterum tenaciter tenet, et premit manu, vt luctantem.* Met. 9, 77. summo *digitorum vincula* collo iniicit.

VINDICARE se a crimine, *bene et eleg.* Met. 10, 312. Ipse negat nocuisse tibi sua tela cupido Myrrha, facesque suas a crimine *vindicat* isto:

pur-

purgat se; suasque faces tale crimen mouisse negat.

VIOLENS. *violentior.* i. *magis se vlciscens, iniustior.* Ov. Met. 3, 253., aliis *violentior* aequo Visa Dea *est*; *Diana vindictam nimis rigidam sumens de Actaeone.*

VIDERE Met. 4, 131. Vtque locum et *visam* cognoscit in arbore formam. *quae visa forma? quid sibi vult* visa? *emenda velociter cum Heinsio* versam. Vtque locum et versam c. &c. *Arbor enim colorem rubrum contraxerat cf. vers. praeced.* 125. sq.

VIOLENTVS, lingua violenta, *procax est, conuicians* Trist. 3, 5, 47 Non aliquid dixi *violentaque lingua* locuta est; Lapsaque sunt nimio verba profana mero. * *nocens, qui dammum, poenam infert.* Met. 5, 491. Neue tibi fidae *violenta* irascere *terrae. Vitiauerat enim irata fruges et fertilitatem ademerat &c.* cf. vers. 429. sqq.

VIPEREVS, sorores vipereae, *Furiae, propter implicatas crinibus, vt notum, viperas.* Met. 6, 662. Vipereasque ciet Stygia de valle sorores, *clamat, aduocat vltrices.*

VIRES, *potentia, de Baccho, nouo Deo, miraculis edendis se profitente Deum.* Met. 4, 417. cf. vers. 427.

VIRGA, *caulis*, Met. 10, 191. Vt si quis violas rigiuoue papauer in horto Liliaque infringa fuluis haerentia virgis, *(suauiter* fuluae virgae; *Lilia candore albent;)* Marcida demittant subito caput illa grauatum; Nec sustineant, spectentque cacumine terram; Sic vultus moriens iacet: (Hyacinthi) *longe pulcherrima comparatio, forte expressa ex* Virg. Aen. 10, 433. sq. *quacum comparabis; ego quidem longiorem discussionem amborum locorum alii loco reseruo.*

VIRGINEVS liquor. Pont. 1, 8, 38. *vide* Virgo aqua. * *Heliconis epithet. pulchrum, cum incolant eum Musae* Met. 5, 254. *Ibid.* vers. 274.

vir-

virgineae mentes; *eleganter:* omnia terrent virgineas mentes. * dolor; *suauiter!* Met. 5, 401. Haec quoque *virgineum* mouit iactura *dolorem*; *Venustissima illa iam aliis celebrata imago Proserpinae raptae a Plutone; summam simplicitatem pulchram, pulchre sistens. Explicuit iam h. l. et venustatem enodauit* Racininius dans les Reflexions sur la poëtie, des Oeuvres Tom. 5. pag. 195. *praeposuitque merito Nasonem Claudiano, qui* de Raptu Proserpinae libr. 2. vers. 250. *inducit eodem statu Proserpinam loquentem sinistra plane dicta, et grandiloqua, offendentia omnem veritatem poëticam. Dicit enim Claudiani Proserpina, conquesta de raptu:* Non ego, cum rapido saeuiret Phlaegra tumultu, Signa Diis aduersa tuli, non robore nostro Ossa pruinosum venit glacialis Olympum &c. *Quam ridicule puella clamat, se non esse Gigantem, quasi id coecus Pluto non vidisset. Sed solet fere Claudianus in ore personarum saepius ponere, quae poëta ipse vix hoc loco cogitare debebat. Laudauit etiam Ouidii locum ob eandem simplicitatis venustatem* Klotzius in Epistol. Homeric. pag. 19. seqq. * volucres virgineae *S. Harpyiae.* Met. 7, 4. Phineus visus (*S. potius* vltus) erat; iuuenesque Aquilone creati (*Calais et Zethes cf. libr. 6, Met. vers. 712. seqq.*) *Virgineas volucres* miseri senis ore fugarant. *Rem narrat* Valer. Flacc. 4, 431. seqq. cf. Virgil. Aen. 3, 212. *qui* virgineas volucrum vultus *narrat fuisse, vide h. l.* virgineae volucres.

VIRGO aqua Trist. 3, 12, 22. Nunc vbi perfusa est oleo labente iuuentus defessos artus *virgine* tinguit aqua. *Notum est, Romanos iuuenes post exercitia campestria nare solitos fuisse, et aqua pulueren et sudorem abluere. Aquam virginem intellige, quam*

Agrip-

Agrippa aedilis in agro Lucullio collectam Romam perduxit Coss. C. Sentio et Sp. Lucretio; vt auctor est Frontinus. Virgo *autem appellata fuit, quod quaerentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstrauit, quas secuti, qui foderant, ingentem aquae modum inuenerunt.* Frontinus. cf. Fast. 1, 464. Te quoque lux eadem; Turni soror, aede recepit; Hic vbi *Virginea* campus obitur *aqua.* Pont. 1, 8, 38. virgineus liquor, *eadem aqua est.*

VIRIDIS, *de prato solemne verbum, sed fere ridiculum apud Ouid. Met.* 1, 297. Figitur in *viridi* (hic sors tulit) anchora *prato; namque quomodo pratum, aqua inundatum; adeo, vt anchora figi debeat, cerni potest viride? Peccatur a poëta contra leges pingendi. Sed totus iste locus etiam in seqq. vers. luxuriam poëtae nimiam prodit, quam iam carpsit* Seneca III Nat. Quaest. 27. et Barth. Aduers. 58. 10. * *de capillis deorum marinorum, satis poëtice; est enim color iste proprius eis rebus, quae ex aqua proueniunt.* Ov. Met. 2, 12, Pars in mole sedens *viridis* Siccare *capillos. Imitati sunt iam hoc epitheton nostri poëtae.* * capillus, *bene de nympha fluuii, est enim iste color et caeruleus earum rerum; quae diu in aqua fuerunt.* Met. 5, 575. *viridis*que manu siccata *capillos* Fluminis Alphei veteres narrauit amores. *Alii et Burm. legg.* Elei; *sed in hac re hercle ero facilis. conferri autem pulchre potest cum omni hoc nostro loco* Statius libr. 1. Silu. 2, 203. *vbi venuste amores Alphei et Arethusae narrat. Sed pleni hac historia sunt libri fere omnes et mythologici, et poëtici, et qui de his locis egerunt. Ex duodecim auctoribus laudatis h. l. a Burmanno duo modo libet notare:* vid. Seru. ad Virg. Eclog. 10, 1. et Cluuer. Sicil. Ant. libr. 1, c. 12.

* dii

* dii virides *aequorei dicuntur, a colore maris*, caerulei *etiam dicti.* Trist. 1, 2, 59. Proh Superi, *virides*que Dei, quibus aequora curae!

VIRILIS. Ov. Met. 3, 189. Vultumque *virilem* Perfudit, *pro* viri.

VIS, *de mirabili virtute, Eigenschaft.* Met. 4, 287. causſa latet: *vis* eſt notiſſima fontis. * *pro* copia *ſaepiſſime occurri, notum, nos vero notemus, etiam apud Ouidium ſaepius ita occurrere, vt* Met. 14, 274. *et alibi.*

VITIARE, Ov. Metam. 2, 295. Fumat vterque polus, quos ſi *vitiauerit* ignis, Atria veſtra ruent. i. *arripuerit.*

VITIATVS Ov. Met. 3, 76. Quique halitus exit Ore niger ſtygio, *vitiatas* inficit auras. h. e. *vitiat, dum inficit auras. Apud poëtas talia epitheta plura animaduertenda.*

VITTA Faſt. 4, 134. Rite Deam (*Venerem*) Latiae colitis matresque nurusque Et vos quîs *vittâ* longaque veſtis (*ſtola*) abeſt. *Meretrices ſcil. deſigna, quae nec vittis, nec longa veſte vtebantur.* * *cum ſit tegmen capitis Veſtalium, et matronarum, non virginum; hinc* Pont. 3, 3, 51. Scripſimus haec (*Artem*) iſtis, quarum nec *vitta* pudicos contingit crines, nec ſtola longa pedes; *et hoc feminarum nobilium veſtimentum.*

VIVAX, *rara ſignif. Geſnero ipſi non notata, de eo, quod vitam alicuius promouet, alit, vires dat viuendi.* Ov. Met. 1, 419. fecundaque ſemina rerum *Viuaci* nutrita ſolo, ceu matris in aluo creuerunt. * ceruus viuax, *epithet. vulgare h. animalis, quia ſcil. ceruus ſolet, ex obſeruatione multorum virorum, quam longiſſimè aetatem hominis viuendo ſuperare. Hinc Auſonius de hominis aetate loquens: Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix,* Et quater egreditur cornicis ſaecula *ceruus.* vid. Virg. Eclog. 7, 30. Ov. Met. 3, 198. *et ſaepe.* * ſulphura *viuacia*

uacia Ov. Met. 3, 374. i. *acriora, quæ facile ignem capiant, vt apud* Quinctil. *viuaciores* sunt *animosiores, lebhafte, muntre, elegantissimum hoc sensu sulphuris epitheton.*

VLTRIX Rhamnusia Trist. 5, 8, 9. Exiget o dignas *vltrix* Rhamnusia poenas! Imposito calcas qui mea fata pede. *Nulla placet emendatio! Rhamnusiam vocat poëta Nemesin, a pago Rhamnunte, vbi templum illius fuit. Attulit huc facientem Pausaniae in Atticis locum* Micyllus, *quem adscribere placet:* μαραθωνος δε ἀπεχει ςαδιȣς μα λιςα ἑξηκοντα ῥαμνȣς, την παρα θαλασσαν ἰȣσιν ἐςι Ωρωπον, και αἱ μεν οἰκησεις ἐπι θαλασση τοις ἀνθρωποις εἰσι, μικρον δε ἀπο θαλασσης ἀπο Νεμεσεως ἐςιν ἱερον, ἡ θεων μαλιςα ἀνθρωποις ὑβριςαις ἐςιν ἀπαραιτητος &c. *Oceani filiam et Noctis faciunt, et a* νεμεσαθαι h. e. *indignando dictam volunt.*

VNCVS, telum vncum, *de ense falcato* Met. 4, 665. *teloque* adcingitur *vnco* cf. vers. 726. * aratrum vncum Met. 341. prima Ceres *vnco* glebam dimouit *aratro.*

VNDA feruens, *suauissime de aqua calida feruente* Met. 5, 653. Seruatoque diu resecat de corpore partem exiguam: sectamque domat *feruentibus vndis. vide* Domare.

VNICOLOR, *vox ab Ouidio forte nata* Met. 11, 612. In medio torus est hebeno sublimis in antro, Plumeus *vnicolor*, pullo velamine tectus. *In nobili illa descriptione sedis Dei somni. Mire se torserunt et frustra interpretes in h. l. Offendit plerosque vox* vnicolor, *quare reposuerunt multa eruditione effusa* atricolor. *pessime! Primum illud vocabulum in Plinio etiam occurrere testatur vel Thes. Gesner. deinde huic loco maxime consentaneum est. Sensus facillimus:* in me-

medio *antro erat torus sublimis, hebeno, i. ex hebeno, qualia loca plura occurrunt.* Plumeus *erat* i. *plumis consitus*, vnicolor, *recte, namque* hebenum *est* vnicolor, *et* pullo velamine *tectus. Valeant igitur omnes interpretes, vbi eis non opus, vbi sana ratio, prudentia vnus verus interpres. Noto itaque tantum, Burmannum Heinsium secutum, edidisse* At medio torus est, hebeno sublimis in atra. *Nihil dicam de absurda lectione* atra hebenus, atricolor; *nihil de phrasi* sublimis *in* hebeno. *Locus non eget pluribus verbis.*

VOCABVLVM Met. 14, 621. Qui, (*Auentinus*) quo regnabat eodem monte iacet positus; tribuitque *vocabula* monti; *nomen. it. nomen*, Fast. 3, 511. Tu mihi iuncta toro, mihi iuncta *vocabula* sume, (*cognatum nomen*) iam tibi mutatae Libera nomen erit.

VOCALIS, *qui canit.* Met. 5, 332. Hactenus ad citharam *vocalia* mouerat ora; *accinebat cantui citharae voce.* * murus, *resonantia saxa muri, coll.* Met 8, 18 *et* Met. 8, 14. *namque Apollo Alcathoo Megaras moenibus cingenti operam nauans lyram deposuit, sonus autem lyrae in lapides subiectos transiit, vt, si quis calculo eos percusserit, eundem, quem pulsae fides, sonum redderent. vide* Pausan. Attic. c. 15. cf. in Met. 8. vers. sq. 15. et 16. * *epithet Orphei, vide h. voc. in Ima Parte Clauis.* Met. 11, 8. hastam vatis Apollinei *vocalia* misit in ora; *canentia. Sic* vocale carmen Met. 11, 318. carmine *vocali* clarus citharaque Philammon. *Dissentiunt critici de nomine, sitne scribendus* Philammon, *an* Philemon, *an* Palemon &c. *Cuius interest, adeat is Burmannum ad h. l.* de fabula cf. Pausan. libr. 4, c. 33. et libr. 10. c. 7. et Fabric. Bibl. Graec.

libr. I. c. 26. * Dodonis Met. 13, 716. *dicitur propter notam quercum, vnde celebratissima oracula edebantur* cf. Sophocl. 174. Trachin. Ὡς τὴν παλαιὰν φηγὸν ἀνθῆσαι ποτὲ Δωδωνι, δισσων ἐκ πελειαδων ἐφη. *Nempe columbae, aut mulieres, siue aniculae, ita* πελειαδες *dictae responsa deorum edidissent. Consule Antiquitt.* libr. inpr. Potter. Archaeol. * Fast. 2, 91. Cynthiae saepe tuis fertur *Vocalis* Arion Tanquam fraternis obstupuisse modis. *confer hanc narrationem Ouidianam in seqq. versibus cum Hygino.* c. 194 *et Gellio* 16, 19 *qui quidem sumsit omnia ex* Herodot. libr. 1, c. 23.

VOLATILIS aetas, *infantia, eleg. praesertim in ea descriptione* Met. 10, 519. Labitur occulte fallitque *volatilis* aetas. *vide* Fallere.

VOLVERE, flammas pectore Met. 7, 109. Pectora sic intus clausas *volventia* flammas, Guttuaque vsta sonant; *de aeripedibus tauris; tota descriptio longe pulcherrima est, atque praesertim comparatio cum* silicibus solutis terrena fornace, *excellentissima est* cf. voc. Terrenus. * *de fluuio*, pingens voc. Met. 1, 570. Peneus ab imo effusus Pindo spumosis *voluitur* vndis.

VOLVMEN, *de sinuante sese serpente, eleg.* Met. 4, 509. Et subito duo sunt; iunctoque *volumine* serpunt. *bene* iuncto volumine, *ad significandum mariti et vxoris etiam commutatorum amorem* * fumi, *poët. et eleg.* Met. 13, 601. Corruit igne rogus: nigrique *volumina* fumi Infecere diem.

VOVERE sortem, *vota pro sorte vouere, rara locutio* Met. 13, 88. Hunc ego poscentem cum quo concurreret, vnus Sustinui, sortemque meam *vouistis* Achiui. *Nihil propter locutionis infrequentiam mutandum. Heinsius male* fouistis. cf. Hom. Iliad. η, 179. sqq. et 202.

VOX

VOX Ov. Met. 1, 678. *Voce nouae* captus custos Iunonius *artis, Sic. legg. pleraeque edd., at iam Burmannus monuit, non satis latina haec esse, reposuitque ex Codice Thuaneo,* voce noua captus custos Iunonius; At tu; *quod mihi quidem amplectendum sane videtur, reddit praeterea locum elegantiorem.*

VRERE doloribus i. angi. Fast. 3, 489 Trist. 3, 2, 8. Plurima sed pelago terraque pericula passum. *Vstus* ab assiduo frigore Pontus habet.

VRGERE, accelerare Fast. 6, 520. Audit, et ad vocem concitus *vrget* iter. * *cum virtute pingendi, pro* impellere Fast. 3, 520. Altera gramineo spectatis Equiria campo. Quem Tybris curuis in latus *vrget* aquis. *Sic etiam* Fast. 2, 858. * *angi* Trist. 5, 6, 23. Non adeo toti satis *vrgemur* iniquis, vt mea sit longis mens quoque mota malis.

VT, *etiamsi, quamuis, vt millies alibi,* Trist. 1, 1, 35. *Vt* peragas mandata liber, culpabere forsan. *Etiamsi omni, quo dixi, modo te commendare volueris, tamen te vituperabunt homines et ingenium Nasonis requirent. Sic vt eadem Eleg. vers.* 61. &c.

VVIDVS *epithet. gemmae, quae tumet e palmite* Fast. 3, 238. Arboribus redeunt detonsae frigore frondes *Vuida*que e tenero palmite *gemma* tumet. Heinsius *legit* viuida; *non bene meo quidem iudicio, licet multas eruditionis copias ad hanc lectionem stabiliendam effuderit.*

VVLNIFICVS sus. Met. 8, 360. In iuuenes certo sic impete *vulnificus* sus. *Pingens in fine versus numerus. Lege autem, vasto* sic impete, *pro* certo; *et ad rem aptiori, et codice sustentato epitheto. Saepissime hoc verbo vtuntur scriptores, vt Ouid.* Met. 3, 89. libr. 11, 530. Valer. Flacc. 2, 534. &c.

VVLNVS; *homo aut res quae angit, et maxime molesta est.* Ov. Met. 2. Nuper honoratas summo, *mea vulnera*, coelo, videritis stellas illic. *Sic et* mea cura palumbes, *et similia occurrunt.*

VVLTVS: vultum recipere *dicitur Ceres cum pallore fugato hilaritatem recipit*, et *sollicitam frontem explicat* Fast. 4, 615. Tum demum *vultus*que Ceres animumque recepit Imposuitque suae spicea serta comae.

Z.

ZONA, teres, *epitheton elegans, et lectum, cum sermo de femina pulchra, tenuis corporis, et gracilis.* Fast. 2, 370. Dat tenues tunicas, Gaetulo murice tinctas, Dat teretem *Zonam* quo modo cincta fuit. *Tota scena est plena ioci et amoena; qui cupit scire, quales fuissent* tunicae tenues, *et cuius generis vestis* fuerit, *plura disputata inueniet apud* Casaub. ad Athen. 14, 6.

CLAVIS VIRGILIANA

SIVE

INDEX

PHILOLOGICO-CRITICVS

IN

VIRGILII

ECLOGAS, GEORGICA, AENEIDA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650014-p0329-0



A.

AB *breuiloquent.* Aen. 12, 603. Et nodum informis leti trabe nectit *ab* alta. *nectit et suspendit ab trabe.* * Ge. 1, 20. Et teneram *ab* radice ferens, Siluane cupressum. *i. e. radicitus erutam. Sic apparet quoque Siluanus in marmoribus antiquis.* * ab vsque Aen. 7, 2, 89. Dardaniam prospectat *ab vsque* Pachyno.

ABDERE *excludere, remouere. vide de ea significat.* Gronou. de Sestert. 4, 8. *Occurrit aliquando etiam haec significatio apud alios poëtas.* Plaut. Pseudol. 4, 4, 5. *abdere* se e conspectu heri sui. *Ita etiam Georg.* 3, 96. Hunc quoque vbi aut morbo grauis aut iam segnior annis Deficit *abde* domo; nec turpi ignosce senectae. i. *exclude, remoue domo, vende. Pluribus haec ostendit ad h. l.* Heynius.

ABIVRATVS Aen. 8, 263. Abstractaeque boues *abiurataeque* rapinae. *Seruius* abiuratas *contra ius retentas intelligit. Alii* abiuratas, *abductas, atque alieni iuris factas interpretantur. Errant vtrique. Simpliciter enim vox capienda.* Cacus, *latro famosus saepius* abiurare *facile potuit rapinas, negare, dum aut comprehendebatur, aut cum aliis loquebatur. Inauditae sunt aliae istae significationes. Hinc omnia clara.*

ABOLERE Georg. 3, 560. Nec viscera quisquam Aut vndis *abolere* potest, aut vincere flamma. *Locum falsae a pluribus intellectum explicat* Heynius *recte: cadauera vndis mersa diffluí curare et sic abolere aut igne concremare.*

ABRVPTVS: abruptum *pro* profundo. *nam tota profunditas consideratur, vt locus abruptus seu praeceps.* (cf. Aen. 3, 564.) Aen. 3, 422. implacata Charybdis Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in *abruptum* &c. *Similis vere locus est, vbi* abruptus *idem ac* praeceps, Georg. 3, 289. *Abruptis* turbata *procellis* caeca nocte natat serus freta. *praeclare*, abruptae procellae! *cum impetu praecipites. Respiciunt illi versus fabulam de Leandro.*

ABRVMPERE, *diripere, perdere* Aen. 4, 631. Inuisam quaerens quam primum *abrumpere* lucem. *ad filum vitae a Parcis tractum respicitur.* * Abrupto sydere *noue, de immensa vel magna tempestate.* Aen. 12, 451. Qualis vbi ad terras *abrupto* sydere nimbus It mare per medium. *non per* sidus *tempestas ipsa, vt volunt alii, significatur, sed est poëtica descriptio: magna procella coorta, quasi* direpta, perdita *videntur* sidera; *quo significatu* abrumpere *vsurpari, vel ex loco modo laudato patet. Et eleg.* abrupta sidera *dicuntur, quae subito euanescunt, quasi vno puncto temporis* abrepta. * *noue* Aen. 3, 55. Fas omne *abrumpit*; pro *laedit.*

ABSCONDERE, *verbum nauticum, vbi relinquuntur litora, nec amplius apparent, quasi* abscondita *longinquitate.* Aen. 3, 291. Protinus aërias Phaeacum *abscondimus* arces. *Corcyram insulam dicit, sitam inter Epirum et Calabriam, vbi regnauit Alcinous.*

ABSISTERE, *decedere.* Aen. 12, 102. Totoque ardentis ab ore Scintillae *absistunt. Euanescunt. noue dictum, ni fallor.*

AB-

ABSVMERE malis, *noue dict. pro* comedere. Aen. 3, 257. Vos dira fames nostraeque iniuria caedis Ambesos subigat *malis absumere* mensas. Scaliger Poët. libr. 3. c. 28. *poëtam praedicat propter huius loci praestantiam, quam maxime; quia inexpectatae varietates et elusiones portentorum, quae mirificum adferant ornamentum. Ego vero valde tergiuersor! Primum enim* elusio portentorum *quod potest esse in epico carmine ornamentum? in tali religione? an satis decet Epopoeae seueritatem? Deinde vero etiam tota illa Harpyiarum praedictio habet plus ridiculi, si conf.* cum Aen. 7, 116, seqq. *quam dirarum. Etsi verum sit, fuisse talem* famam *de mensis comedendis, ab Sociis Aeneae, quo peracto demum sedem collocare possent, tamen hoc loco non in ore Harpyiarum illud vaticinium placet. Praeterea si nihili est tota res, si lusus verborum modo, qui vere est, cur Celaeno dicit, eam fore vindictam caedis? id futurum esse propter iniuriam Harpyiis illatam? Adeo ergo se vlciscebantur Harpyiae, vt lusu verborum punirent eos, qui se occidere voluissent Profecto non* dirae istae Harpyiae! *An vero nesciuit ipsa Celaeno quid sibi hoc vellet, et omen dixit modo ex mandato Phoebi? Cur itaque Phoebus licet* λοξίας *tamen veridicus insultauit Harpyiis, quae causa? et illuserit Aeneae? quae ratio?* conf. *inprimis vota Aeneae et quaecunque trepidus facit ibid.* vers. 261. seqq. numina magna vocat, meritosque indicit honores: Di prohibete minas! Di talem auertite casum, et placidi seruate pios! *Nonne misereris boni, pii, elusi Aeneae? si* conf. Aen. 7, 111. sqq. *At vero talem se exhibet bonus Aeneas paene vbique, vsque operatur diuis; vsque vacat potentis quaerendis; non heroem se praestat, nisi antea Veneris aut Dei*

alius

alius numine cogitur, et certus est, se superaturum hostem. Nolo plura dicere, sed expecta plura alibi. Si placet tibi vituperatio mea, cf. vocab. vncus, *sin minus, noli id vocabulum in hoc libro quaerere.*

ACANTHVS *duplex est apud Virgilium, cum arbor aegyptiaca ex acaciarum genere* Georg. 2, 119. *vbi* baccas *eius latiori significatu vocat pro siliquis; tum genus est syluestris atque hortensis herbae, Baerenklau. Ecl* 3, 45. mollis acanthus *dicitur, quia eius natura flexuosa et lubrica: inde* Georg. 4, 123. vimen acanthi *dicitur eius caulis, qui se reflectit ad humum et quasi serpit.* * Georg. 4, 137. Ille comam mollis iam tum tondebat *acanthi, pro quo tamen* hyacinthi *legendum probat Heynius.* * Aen, 1, 653. circumtextum croceo velamen *acantho. Vestibus pretiosis figuram foliorum acanthi circumtexebant. Nihil hic cum Burmanno de* vestimentis acanthinis, *de quibus* Varro *agit, cogitandum. vide hanc vocem* in Clauue Quid.

ACCIPERE, Aen. 4, 531. Oculisue aut pectore noctem *Accipit.* i. e. *se neque somno dat, neque curas missas facit.*

ACCITVS *de mandato veniendi ad aliquem* Aen. 1, 681. Regius *accitu* cari genitoris ad vrbem Sidoniam ire parat.

ACCVMBERE Aen. 1, 83. tu das epulis *accumbere* diuum. „Hoc est, tu me „Deum facis: duplici e„nim ratione diuinos ho„nores meremur, Dea„rum coniugio, et con„uiuio Deorum. Vnde „et in Bucolicis legimus: „Nec Deus hunc men„sa, dea nec dignata „cubili est„ Seruius; *non puto tamen illum ex Bucolicis locum huc pertinere.*

ACER, *strenuus,* δεινος. Georg. 3, 8. Pelops *acer* equis. *Notum e fabulis certamen equestre, quo vicit Myrtilum et Hyppodamen duxit e pacto cum Oenomao patre eius.*

Nec

Nec aliter Georg. 3, 57. bos aspera cornu. * acer metus *de vehementi* Aen. 1, 366. quibus aut odium crudele tyranni Aut *metus acer* erat. * *epithet. equi* animosi Aen. 1, 448. caput *acris* equi. * *saeuus, cruentus.* Aen. 3, 14. Thraces erant *acri* quondam regnata Lycurgo. *Notum ex mythologia est, Lycurgum Bacchum contempsisse, inde poenam meritam luisse.* cf. Iliad. Hom. ζ, 130. Plutarch. de audiend. poët. p. 6. * *acer* arcus Aen. 7, 164. Aut *acres* tendunt *arcus. i. e. bene contensos.*

ACERBA *pro* acerbe. Aen. 12, 398. Stabat *acerba* fremens, ingentem nixus in hastam. Adde Aen. 9, 794.

ACERVVS Georg. 1, 263. Aut numeros impressit *aceruis. Intelligit Cerda, quod et Heynius adfert, frumenta saccis seu vasis condita, quibus vasis inscribebat paterfamilias, quot modios continerent; Seruius de tesseris aceruis frumenti impositis, numerum designantibus, non male.*

ACLIS *Iaculorum breue genus quod nusquam commemoratur nisi* Aen. 7, 730. teretes sunt *aclides* illis Tela; sed haec lento mos est agitare flagello. *Seruius ad h. l. „Aclides sunt tela quaedam antiqua, adeo vt nec vsquam commemorentur in bello. Legitur tamen, quod sint clauae, cubito semis factae, eminentibus hinc et hinc acuminibus; quae ita in hostem iaciuntur, religatae loro vel lino, vt peractis vulneribus possint redire. Putatur tamen esse teli genus, quod per flagellum in immensum iaci potest.* Turnebus Aduers. libr. 30. c. 21. *ansatas fuisse putat. Plures descriptiones dat ad h. l.* de la Cerda.

ACVERE Martem Aen. 12, 108. Aeneas *acuit* Martem, et se suscitat ira cf. Aen. 12, 590. *acuunt* iras; et sic saepius Aen. 12, 850. *acuuntque* metum mortalibus aegris. * Aen. 7, 330. Quam luno his *acuit* verbis, ac talia fatur. *instigat, irritat.*

AD:

AD: ad prima Georg. 2, 134. flos ad prima tenax, i. e. *apprime, cum primis. In noſtra, et aliis editionibus legitur:* apprime *pro* ad prima, *ſed exulat haec gloſſa ex optimis et vetuſtioribus libris.* vid. Heynium ad h. l. * *ad* digitos *i. inter digitos.* Georg. 2, 250. * ad plenum, *elegans dictio* Georg. 2, 244.

ADDERE Georg. 1, 513. Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigae *Addunt* in ſpatia. Addunt in ſpatia, *omiſſa vocula* ſe *legunt plurimi cum multis libris. Alii vero interpretes intelligunt ſub addunt* curſum, *vt ſit: intendunt, ſumunt vires in currendo. Nonnulli* addere *hic explicant per* immittere. *Heynius pro ſimplici poſitum contendit, vt* addere *ſit* dare ſe *ex ſermonis genio intelligendum i. e. immittere ſe, ruere in decurſum, cum impetu ferri in ſpatia. Spatia enim hic pro campo decurſorio; ſed neſcio, an eo acquieſci poſſit. Subintelligendum hic aliquod verbum eſſe omnes vident.* Curſum *hic ſubintelligere iam paullo durius eſſe, animadvertit ipſe Heynius. Quare ſuſpicor, num ſit* vires *ſubſtituendum,* addunt vires, *quae locutio quum ſolita adeo ſit, potuit concidi a poëta, qui totus in eo eſt, vt vim et impetum effrenatum equorum deſcribat. Conſentire mecum videtur et Seruius, et qui eum ſequi ſolet plerumque, Pomponius Sabinus, non plane malus interpres, dum explicat: „in ipſo ſpatio currendi ſumunt vires„ In* ſpatio *vero legendum aſſerit Heinſius e Codicibus, et facillimus hic fuit error cum alii* addunt ſpatia *legere mallent, alii* in ſpatia *reponerent. Ex noſtra itaque interpretatione* addunt in ſpatio, *ſatis concinnum habet ſenſum: dum currere incipiunt equi, mox inflammantur curſu, et vires augent, quod bene* addunt *expreſſit, quod verbum quaſi abſolute dici poterat, vt noſtri:*

Die

Die Pferde ſetzen zu, quae locutio ex eadem re eſſe complenda videtur, nouas vires addunt, et duplicato quaſi curſu pergunt. Attamen difficilior manet hic locus, quam vt omnia expediri accurate poſſint. Sufficiat hic tolerabilem indicaſſe explicationem. Videtur et ipſe Silius Italicus *abſolute poſuiſſe verbum* 16, 372. *et noſtrum plane imitatus*: Iamque ſere medium euecti certamine campum In ſpatia *addebant; ibi et vetuſtae membranae habent* in ſpatio.

ADDVCERE, *conſtringere, contrahere.* Georg. 3, 483. vbi ignea venis Omnibus acta ſitis miſeros *adduxerat* artus; *aeſtus ille febrilis eos exareſcerat.*

ADEO, *ſuperſtue, coniunct. cum* ſic. Aen. 4, 533. Sic *adeo* inſiſtit ſecumque ita in corde volutat. *Et ita haec vox ſaepius, vt abundet elegantter.* Georg. 2, 323. Aen. 8, 585. &c.

ADFIGERE *pro* adfigere ſe, *poëtice* Georg. 2, 318. hiems nec ſemine iacto Concretam patitur radicem *affigere* terrae. Concretam radicem, *quae concreſcit dum adfigitur. ſimilis locutio* Georg. 2, 422. Oleae cum ſemel haeſerunt aruis, aurasque tulerunt.

ADFECTARE manus *pro* *inicere alicui* Aen. 3, 670. Verum vbi nulla datur *dextram* adfectare poteſtas.

ADFLARE Aen. 2, 649. me diuum pater atque hominum rex Fulminis *adflauit* ventis. *Fabula nota haec: Cum inter aequales exſultaret Anchiſes, gloriatus traditur de concubitu Veneris: quod cum Ioui Venus quaeſta eſſet, emeruit, vt in Anchiſem fulmina mitterentur; ſed Venus, eum cum fulmine poſſe vidiſſet interemi, miſerata iuuenem, in aliam partem detorſit; Anchiſes tamen afflatus igne coeleſti ſemper debilis vixit.*

ADIICERE *adſentire* Aen. 10, 182. Tercentum *adiiciunt*, mens omnibus vna ſequendi.

ADIRE labores, *de perpetiendis malis* Aen. 1, 14.

ADNITI *bene, et cum virtute pingendi de iis, qui remis vrguent, et insurgunt* Aen 3, 208. nautae *adnixi* torquent spumas, et caerula verrunt. *eleg.* verrunt.

ADNVERE, *dare, eleg. de Ioue, qui* κατανευειν, *nutu dare munera, promittere solet* Aen. 1, 254. Nos tua progenies coeli quibus *annuis* arcem; *quibus concedis arcem coeli habitandam.*

ADOLERE penates, *solemni et sacra quasi locutione, colere sacrificiis.* Aen. 1, 708. ordine longo (*longa serie, deinceps cf. vers.* 380.) Cura penum struere, et flammis *adolere* penates. *Alii legunt* longam — penum; *quae varians lectio iam exstitit tempore* Gellii cf. Noct. Attic. libr. 4. c. 2.

ADRECTVS, aures adrectae *sunt aures ad audiendum sollicitae* Aen. 12, 618. Commixtum clamorem, *adrectas*que impulit *aures* confusae sonus vrbis.

ADSENSVS: *de Echunte* Georg. 3, 45. Vox *adsensa* nemorum ingeminata refugit. *Miraberis saepius magnam Virgilii artem tum in exornandis partibus, tum additiunculis et conuersionibus rei nouis rem repetitam commendandi.*

ADSPECTARE antique *pro* spectare Aen. 12, 136. Prospiciens tumulo campum *adspectabat.*

ADSPICERE Aen. 12, 157. Non pugnam *adspicere* hanc oculis, non foedera possum. *Quoniam numina, quoties morituros viderint eos, quibus fauent, ab iis fecedunt. Sic Statius 7.* Theb. 789. *Apollinem inducit Amphiaraum deserentem, vbi eum vicinum morti esse cognouit.* Desiliit moerens lachrymasque auertit Apollo.

ADSTARE Aen. 3, 123. Hoste vacare domus, sedesque *adstare* relictas. Ibid. vers. 194. tum mihi coeruleus supra caput *adstitit* imber. *impendit subito.*

ADSVESCERE Aeneid. 8, 174. Annua, quae differre

ferre nefas, celebrate fauentes Nobiscum, et iam nunc sociorum *adsuescite* mensis.

ADSVRGERE Aen. 12, 494. Tum vero *adsurgunt* irae insidiis subactus. *Vocabulum* adsurgere *pingit h. l. quodam modo, et plus est quam* oriri. * adsurgere cui; *de honorifica alicuius exceptione. Consuetudinem huius rei atque significationem locis illustrauit Cerda ad Ecl.* 6, 66. Vtque viro Phoebi chorus *assurrexerit* omnis. *Inde et pro* cedere *eleganter et audacter* Georg. 2, 98. sunt etiam Amineae vites, firmissima vina, Tmolus (*ita leg.* vid. Heynium *ad h. l. alii legg.* Tmolius. *Burm.* Tmolusque) assurgit quibus et rex ipse Phanaeus. *Tmolus mons Lydiae et Phanaeus promontorium Chii Insulae; qui montes hic, de more, pro vino ponuntur, quod in eis nascitur. Amineae vites Graecae originis et Italici cultus.* Phanaeum *regem vocat, non, quod olim ille rex in illis terris regnauerit, sed transfert potius ad illud promontorium, cuius erat illud nomen; et vinum Chii praestans iam vocauerat* Lucilius. *vide* Seruium *ad h. l. Placuit itaque poëtae Phanaeum regem hic afferre, de vino, et Tmolum similiter.* Tmolus *enim erat numen illius montis. Ceterum vide, cui haec debemus,* Heynium *ad h. l.*

ADTORQVERE iaculum. Aen. 9, 52. Iaculum *adtorquens* emittit in auras, Principium pugnae. Seruius *ad morem Romanum respiciend. dicit, et ad* ius feciale, *ex quo* Pater patratus *hastam iaciebat in terram hostilem, signum belli. Plura ipse ad h. l.*

ADTRITVS, *fractus* s. *mutilatus* Ecl. 6, 17. Et grauis (*magnus*) *adtrita* pendebat cantharus ansa; *atque sic ad hoc latus inclinata pendebat, quod ad ornatum huius loci pertinet, de quo plura dicenda sub voc.* Procul.

ADVERTERE, *sic lego pro* auertere. Aen. 1, 4, 106.

Quo regnum Italiae Libycas *aduerteret* oras. *Seruio magis* auertere *probatur. Sed mihi nimis tunc dura videtur constructio, nec* auertere, *nisi me omnia fallunt, vllo loco sic reperitur, vt duplex ei adsit accusatiuus. Sensus est:* vt italicas oras ad Libycas aduerteret. * Aduertere *est dutere contra vrbem* Aen. 12, 555. Iret ad muros, vbique *aduerteret* agmen.

ADVRERE, *vt de calore, sic etiam de frigore adhibetur.* Georg. 1, 93. Ne tenues pluuiae rapidiue potentia solis Acrior aut Boreae penetrabile frigus *adurat. Plura loca collegit hic Cerda. Generaliorem hic notionem intelligendam esse monet Heynius, quae est* nocere, *quaeque ad singula vtriusque versus membra accommodari poterat.*

AEGER, *tristis* Aen. 1, 212. curis ingentibus *aeger; sic et ibid.* vers. 355. *Aegram* Multa malus simulans vana spe lusit amantem. * *fessus* Aen. 2, 268. Tempus erat quo prima quies mortalibus *aegris* Incipit et dono diuum gratissimo serpit.

AEQVAEVVS, *aequalis, eiusdem aetatis.* Aen. 2, 561. Vt regem *aequaeuum* crudeli vulnere vidi Vitam exhalantem.

AEQVOR, *notum est, quidquid planum et aequum, id proprie aequor dici, itaque* Georg. 1, 50. *pro agro, vt saepius quoque, at* ignotum aequor *ibi est ager, antequam naturam eius nouerant.*

AEQVVS *eleg.* constr. Aen. 12, 560. Eram et *aequa* solo fumantia culmina ponam. * *innoxius* Georg. 3, 546. Ipsis est aër auibus non *aequus.* Georg. 2, 225. Vacuis Clanius non *aequus* Accerris, *idem Horatius vocat* A. p. 67. iniquum. *Ob frequentem vero exundationem Clanii, Acerra, vrbs vicina erat vacua et deserta. Caeterum fere non dubito, quin hic deprehendere liceat Virgilium male dormitantem, tatum illum;*

illum; Talem *(agrum)* diues *erat* Capua et vicina Veseno Ora ingo, et Vacuis Clanius *(fluuius)* non *aequus* acerris. *Nihil hic obseruatum ab interpretibus; Clanius dictus a Gigante Clanio, monet Valerius Probus; inane!*

AER Georg. 2, 123. vbi *aëra* vincere summum Arboris haud vllae iactu potuere sagittae. *Summum aëra arboris dicit pro cacumine; audax locutio: aërem transigit sagitta iacta, itaque arboris aërem dixit, solam arborem intelligens.*

AERIVS, *quod ad auras surgit, in iis versatur* Eclog. 1, 59. *aëria* vlmus. *Est proprium epitheton vlmi apud poëtas.* Ecl. 3, 69. *Aëriae* palumbes, *non sunt aerii coloris, quod Seruius putat, sed potius, quae in summo aëre volitant, et nidificant.* Ecl. 8, 59. aërius mons Georg. 1, 375. aëriae grues. Georg. 3, 474. aëriae Alpes. * Georg. 4, 1. aërium mel, *quia ex rore aëre defluxo colligi credebatur.* Succum aëris *Plinius vocat.*

AES, *apud Latinos, praesertim apud poëtas, sicuti* χαλκος *apud Graecos, omne metallum dicitur, et* aeratus *inde* ferreus *saepius est; id quod vel ideo notandum duxi, quoniam eum vsum ignorantes interpretes et Graecorum et Latinorum poëtarum mire se interdum et frustra torserunt.* Ipse ὁ πανυ Ernesti ad Homerum vbi χαλκος, *saepius occurrit, vbique* fere proprie intelligit, secutus etiam Riccium, *qui in dissertationibus Homericis eo vsque progressus erat, vt crederet aliam fuisse aeris antiqui naturam, quod acui, et vt ferrum ad vsus bellicos adhiberi potuisset: quod non est. Citarem ipsos locos, si vtilitati id fore crederem: iam id notasse satis est, vocab.* aes *de* ferro, chabybe, auro, argento &c. *dici; et hinc loca esse intellig. omnia; hinc etiam ducenda est significatio, qua* aes *de* pecunia *dicitur. Sic itaque de ferro intellig.*

Aen. 5, 274. *Aerea* quem obliquum rota transiit. si *proprie intelligis ridiculum fere esset, poëtam tam pretiosa rota modo transire voluisse obliquum serpentem. Casticus locus vere ille esse potest. At vero plura in ipso nostro poeta inueniuntur, vbi* aes *tam lato significatu accipiend. Poterit ille significatus adscribi* Thesauro Gesner. * Aen. 1, 39. vela dabant laeti, et spumas salis *aere* ruebant; *aeratis, Ferro instructis nauibus, eleg.* ruere. cf. Aen. 10, 214. campos salis *aere* secabant.

AESTIVA *de pecore* Georg. 3, 72. *proprie loca sunt, vbi greges aestate pascuntur.*

AESTVS curarum, *noue et cum efficacia,* Aen. 8, 19, quae Laomedontius Heros Cuncta videns magno curarum fluctuat *aestu; bene* fluctuat, *cum* aestus *de maris vndis saeuientibus dicatur.*

AETHRA siderea, *poëtice de splendore Aetheris* Aen. 3, 585. Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus *aethra* Siderea polus: obscura sed nubila coelo. *Seruius ad h. l. Aether* est ipsum elementum; *aethra* vero splendor aetheris.

AFFIGERE flammam, *noue.* Aen. 9, 536. Princeps, (*primus*) ardentem coniecit lampada Turnus, Et flammam *affixit* lateri.

AGER: quod *vulgo dicunt* territorium, *videlicet partem illam, quae pertinet ad principem aliquam vrbem. Sic* ager Pictorienſis *apud Lalust.* ager Volaterranus *apud* Tullium. Aen. 12, 24. sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus *agris* Nec genus indecores.

AGERE Aen. 12, 530. Nomina per regesque *actum* genus omne Latinas. *Solet fieri plerumque, vt primi regis nomen reliqui etiam possideant, vt apud Romanos* Augusti *vocantur, apud Albanos* Syluii &c. *Sic huius maiores omnes* Murrhani *dicti sunt, et reges fuerunt.* * *ducere, celebrare* Georg. 2, 338. Vr magnus *agebat* orbis.

bis. *Caetera, quae hic moneri possint, videbis sub* Magnus. * *pro* regere Aen. 1, 578. Tros Tyriusue mihi nullo discrimine *agetur. forte resp. Graec.* ἀγεσθαι, *duci, regi. forte etiam, vt dicitur*, discrimen agitur. *noue dixit modo, eodem sensu, poëta* discrimine agi.

AGGER viae, *terra in via egesta* Aen. 5, 273. Qualis saepe viae deprensus in *aggere* serpens Aerea quem obliquum rota transit. * *de qualibet materia, qua implentur fossae, quae congeritur in aliquem locum.* Aen. 9, 567. Inuadunt et fossas aggere complent.

AGGLOMERARE, *eleganter* Aen. 4, 57. agmen *agit:* densi cuneis se quisque coactis *agglomerant.* * Aen. 2, 341. ablati per lunam *(agniti per Lunae splendorem)* Hypanisque Dymasque Et lateri *agglomerant* nostro. *se agglomerant, adiungunt se stipantes.*

AGITARE fugam, Aen. 2, 640. Vos *agitate* fugam.

AGMEN aquarùm Georg. 1, 322. de densissimo imbre, ibid. 333. * *impetus* Aen. 2, 212. Illi *agmine* certo Laocoonta petunt. * *velut agmine* facto Qua data porta ruunt, et terras turbine perflant. Aen. 1, 87. *hic ego proprie, ita vt imaginem fingat, verbum intelligo, non cum* Seruio *et aliis, vel de* impetu, *vel de* multitudine. *Venti, quos nominat, deinde, ruunt quasi agmen constituentes.* * *tractus* Aen. 5, 90. Ille (*serpens*) *agmine* longo Tandem lates pateras et leuia pocula Serpens Libauitque dapes, rursusque innoxius imo Successit tumulo. *Tota illa descriptio imitatio Homeri vid. et compara* Iliad. β, 308. seqq. *cum h. l. sed versum illum* 89. Mille trahit varios aduerso sole colores, *mutuatus ab Virgilio est Ouidius. Vide* sol aduersus *in l. Sectione Part. II. Clauis.* * *cum delectu adhibita vox* Georg. 3, 423. *de voluminibus et latis et fortibus*

tibus vulnerati serpentis haud exigui. Magnitudinem vero et motum repentem quasi eo verbo indicari, observarunt alii. cf. Seruius ad Aen 1, 186.

AHENVS: lux ahena, *de splendore armorum, qui ferro, et aere splendent,* αὐγη χαλκεη *Homeric.* Aen. 2, 470 Exsultat telis et *luce* coruscas *ahena Non hic cum* Cerda *plura dicam de inopia ferri tum temporis, et aere solito, vnde arma facta; qui error et ex notis pluribus ad Homerum tollendus est: vide voc.* Aes. *Breuiter,* χαλκος *et* aes *latinum de* ferro, aere *et omni materia armorum vsurpatur. Si amarem eruditionis speciem, longam notam scriberem; sed haec sufficiant.*

ALACRIS Ecl. 5, 58. alacrem voluptatem *dicit* poëta, *quia voluptate impleti quiescere aegre possunt. Quare optime sic verba coniunxit Heynius. In aliis plerisque legitur* alacres syluas, *male!*

ALAE, *venatores, qui equitabant, a celeritate sic dicti* Aen. 4, 121. Dum trepidant *alae*, saltusque indagine cingunt. *De la Cerda ait:* erant alati, qui equo succurrenti sensimque insultanti terrebant feras, ne aliorsum quam per medias tendiculas fugam arriperent.

ALBERE; *Optime, pingit enim rem.* Aen. 12, 36. Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus *albent.*

ALBESCERE, *de spuma maris incipientis saeuire, et fluctus agere.* Aen. 7, 528. fluctus vti primo coepit quum *albescere* vento Paullatim sese tollit mare, et altius vndas Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo. *Comparatio Homeric. vide* Iliad. 6, 422.

ALERE, Aen. 4, 2. Vulnus *alit* venis et coeco carpitur igni. *De la Cerda explicat illud* Venis alit *sic, vt dicat, Veteres sibi persuasisse, venis ad praecordia vulnus transfundi, et locum quendam* Apulei l. 2. *affert* „vbi primum sagittam saeui Cupidi-

pidinis in ima praecordia mea delapsum excepi, *quo suam sententiam stabilire studet. Quis vero huic loco tale quiddam inesse videt? Ego vero hic poëtam video, qui elegantissime de amante, feruide aestuante talia dicat, qualia Didonem anxiam, turbidam; amore inquietam ostendunt.*

ALIENVS Georg. 2, 149. alienis mensibus aestas, *h. e. its mensibus quibus aestas in aliis terris plerisque esse non solet.*

ALLABI Aen. 3, 131. Tandem antiquis Curetum *allabimur* oris. *appellere.* Aen. 3, 569. Ignarique viae Cyclopum *adlabimur* oris. &c.

ALLVDERE Aen. 7, 117. Heus etiam mensas consumimus? inquit Iulus. Nec plura audita laborum Prima tulit finem. *Nempe iam comedunt mensas, vti oraculum praedixerat.* cf. Aen. 3, 257. *hoc vero signum erat finitorum laborum. Iulus vero haec in memoriam reuocat, vbi dicit:* Heus etiam mensas consumimus? *Vocem autem* alludere *varie explicant viri docti. Clarum est, non posse ea notione capi, qua posteriora temporae vsa sunt, vt* alludere *significet* respicere ad aliquid. *Igitur explicat Burm.* alludens, *subridens, vt* Iustin. 1, 4. *vt resp. Graeco* μειδιαν, *et hunc esse verum significatum contendit: sed equidem puto, ita vix dici posse* simpliciter, *non sequenti* ad aliquem. *Gesnerus interpretatur:* per iocum dicens, *quicum consentit Seruius: Loquitur iocose, non respicit ad vaticinium, verum iocans exclamat:* Heus &c. Perrault in Parallele Tom. 3, 131. *reprehendit hunc locum, vt humilem; sed et ibi notatur:* Harpyiam haec praedixisse. i. nihil maius esse his oraculis, vaticiniis &c.

ALMVS, *ab alendo dictum secundum Festum, inde proprie* Georg. 2, 232. almae, vites, *recreantes.* Ecl. 8, 17. almus

dies Georg. 2, 330 almus ager * alma lux, *de vita* Aen. 3, 312. si lux *alma* recessit, Hector vbi est *et siccenties.*

ALTER Ecl. 8, 39. *Alter* ab vndecimo tum me iam ceperat annus. *h. e. duodecimus, nam vndecimus hic est quasi primus in ratione. Seruius aliique aliter intellexerunt Eleganter caeterum* ceperat *posuit, anni enim quos attingimus, accipere nos putandi sunt.*

ALTERNA: *de carmine amoebeo; vsitato et elegantissimo carminis genere inter pastores solito, quale in Eclogis aliquoties instituit Virgilius, grata imitatione Theoriti aliorumque graecorum poëtarum.* Ecl 7, 18. *Alternis* igitur contendere versibus ambo Coepere; *antea dixerat* vers 5. Et cantare pares et respondere parati, *haec est vero propria vis atque natura carminis amoebei, de quo quaedam macilenta Scaliger in arte poëtica.* Ecl. 7, 19. *alternos* Musae meminisse volebant. *Sic optime legitur; alii* volebam. *Musae vero alternis delectari praecipue dicuntur,* amant alterna Camoenae Ecl. 3, 59; *tum quia carmen amoebeum simpliciſſimum habet colorem et ingenium ornatum, tum vero ingenii praecipua est in eo licentia et aemulationis mira iucunditas, atque inter pastores haec fere vnica Musae laus videbatur. Probent, quae dixi, illa alterna, quae retulisse videtur Virgilius. Atque sic demum nostrum locum explico, vt poëta causam addiderit, per Meliboei personam, quare haec, quae cecinerant, retulisset, quia* alterni, *quos perire noluissent Musae* cf. v. 69. *vbi post cantus illas Meliboeus inquit:* haec memini. *Alii interpretantur haec aliter. Heynius: Musae, quae amant alterna* Ecl. 3, 59. *hanc legem carminis dicebant, vt alternos versus meminissent, seu recitarent* (μνησαῶθαι vt doctus qui.

quidam hic obseruat) h. e. vt versibus alternis canerent; sed sane hic frigidus sermo esset, nec eadem eius est ratio ac Ecl. 3, 59. cum iam antea dixerit alternis illos esse certaturos, et subiicit Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis. Confirmat me in hac sententia locus Theocriti Idyll. 8, 30. seqq. quem profecto ante oculos habuit Virgilius et cui tantum addi posse, ab eo videbatur, quod ad Meliboei personam, quam noue inducit, pertineret. Graecus vero simpliciter ουτω δε Μενάλκας πρωτος. * Ecl. 5, 14. Imo haec in viridi nuper, quae cortice fagi carmina descripsi et modulatus alterna notaui Experiar. h. e. alternatim, cantabam et mox incidebam in cortice, ita vt solus quasi ille carmen amoebeum tum finxisse intelligatur. Eleganter vero haec adfert; nunc experiri ea vult cum Menala. Sed mox relinquit propositum.

ALTERNARE Georg. 3, 220. Illi *alternantes* multa vi proelia miscent.

ALTVM Aen. 1, 7. Multum ille et terris iactatur et *alto. vide* Iactare.

ALVMNVS, *filius* Aen. 6, 595. Nec non et Tityon terrae omniparentis *alumnum* cernere.

AMAROR, *vox Lucretiana*, Georg. 2, 247. *Locum explicabimus sub* Tristis; *tu confer Gellium* Lib. 1, c. 21.

AMBAGES, de *ambiguis sermonibus, quibus in oraculis locus dabatur, vnde etiam et* λοξιας *Apollo appellatur.* Aen. 6, 99. Horrendas canit ambages.

AMBIGVVS, *audacter posit. pro* fallax, *aut cui non fides habenda.* Aen. 1, 665. quippe domum timet *ambiguam* Tyriosque bilingues. * voces ambiguae; *de suspicionibus ambiguum, male fidum aliquem reddentibus.* Aen. 2, 98. hinc semper Vlysses criminibus terrere nouis, hinc spargere voces in vulgum *ambiguas.* * *geminus duplex*, Aen. 3, 180.

agnouit prolem *ambiguam*. *Sic apud* Horat. od. 1, 7, 29. * Aen. 5, 326. Transeat elapsus prior, *ambiguum*que relinquat. *eleg. relinquat cum iam paene metam attingentem, sed dubia nunc et ambigua victoria. est vero imitatio illius Homerici* Iliad. 23. καὶ νηκεν ἡ παρελασσ', ἡ ἀμφηριζον ἐθηκεν; *et* τω κεν μιν παρεκασσ', ἐδ' ἀμφηριζον ἐθηκεν.

AMBIRE, *adire cum gratia*. Aen. 4, 283. Quo nunc reginam *ambire* furentem Audeat affatu. *Perbelle a more ambiendi romano*.

AMBROSIVS, comae ambrosiae Aen. 1, 407. *Ambrosiae*que comae diuinum vertice odorem Spirauere; *aut sunt* vnguento Deorum oblitae, *quod tamen minus placet, aut* diuinae *modo*. cf. cum h. l. Hom. Iliad. γ, 385. sqq. *vnde mihi certe hic locus expressus videtur. Ceterum propter suam eximiam pulchritudinem satis ab omnibus decantatus*.

AMICVS, Georg. 4, 115. ipse feraces figat humo plantas et *amicos* irriget imbres *h. e. gratos et fructiferos, quibus quasi delectantur. Heynius*: *amici imbres, aqua ex fonte aut fluuio „haec aut non intelligo, aut superant sane.* Irrigat imbres *poëtice, irrigat imbribus plantas conf.* Aen. 1, 691.

AMISSVS, *corruptus*. Aen. 4, 375. *Amissam* classem sociosque a morte reduxi. *Subintelligunt quidam in verbis* amissam classem *vocem* reparaui, *quia fortasse nimis iis durum visum est*, a morte reduxi *ad* amissam &c. *referre. Sed nonne Dido in furore loquens inducitur?*

AMOR, *amatus* Aen. 4, 414. et supplex animos submittere *amori. Alii aliter recipiunt et quidem ii, qui* animos *pro* iras *positum putant. Sed quid tunc* supples, *si id assumamus, quid* vers. 415. ne quid inexpertum frustra moritura relinquat. * *progenies amoris, caruncula nigra* fronti pullae

pullae recens natae adhaerescens, *quae si adimatur matri deuoratur ae, pulla non ab hac amatur. Haec vero in sacrificio Didonis, quod ad amorem tollendum simulate institutum, adhibebatur.* Aen. 4, 516. Quaeritur et nascentis equi de fronde reuulsus et matri praereptus amor.

AMPHRYSSVS, *Thessaliae flumen, ad quod Apollo boues pauisse dicitur, cum Admeto seruiret.* Georg. 3, 2. Et te memorande canemus Pastor ab *Amphryso. Apollo Nomius alias vocatur.*

ANHELARE, *noue et venuste de igne crepitante* Aen. 8, 421. stridunt cauernis strictura chalybum, et fornacibus ignis *anhelat.*

ANHELVM pectus Aen. 6, 48. Non comtae mansere comae, sed pectus *anhelum. Vti ex his verbis et aliis locis patet, erat anhelans spiritus vatum proprium, dico eorum qui sacerdotes Deorum voluntatem explorabant.*

ANIMA *ad Graec.* ψυχη, *de corpore aut potius homine, noue dict. ab Virgil.* Aen. 3, 67. *animam* sepulchro condimus. *Sic et idem noster poëta* Aen. 11, 24. egregias animas *dixit. Postea* Lucanus 1, 447. *et.* 3, 251. *et alii poetae hoc vocabulo, ita vt Virgilius, vsi sunt. Apud Graecos haec frequens notio* της ψυχης, *vt docet Burmannus ad loc. laud.* Aen. 3, 67.

ANIMOSVS, Georg. 4, 441. animosi Euri. *cum allusione dictum putat Cerda ad graecam vocem* ἄνεμος, *quod et Papinianus Thebaid.* 9. *animos maris dixerit; at sine graeco melius puto intelligetur translationis huius pulchritudo.*

ANIMVS *pro* vento *posit. esse omnes fere interpretes dicunt ad* Aen. 1, 61. celsa sedet *(bene* sedet *de rege)* Aeolus arce sceptra tenens mollitque *animos*, et temperat iras. *Ventos h. l. dictos* animos ἀπο των ἀνεμων *dicunt. Sed non est. elegantius*

vero

vero etiam dicit poeta, ventorum animos, *vim, saeuitiam mollit, coercet, praesertim cum addat* et temperat iras. *quae esset connexio*, Aeolus ventos mollit, (*vt nihil dicam de phrasi* mollire ventos) *et* iras temperat? *ergo* irae *forte etiam sint venti ipsi? Absit, et* animos *intelligamus, vt diri, saeuitiam, quasi excitatos mentes ventorum.* * animus, *de amore* Aen. 1, 726. lampridem resides *animos*, desuetaque corda. i. *animum erga mortuum maritum Sichaeum, qui iam resedit, amorem propemodum exstinctum, languentem*; *addit* desuetaque corda; *corda, quae* desuescere *paene inceperant amare.* * *ingenium, natura.* * Georg. 2, 51. *de arboribus*, exnerint siluestrem *animum.*

ANNALES, *pro* enarratione, *quia annales enarrant. noue, ni fallor.* Aen. 1, 377. Vacat *annales* nostrorum audire laborum. *Et* Seruius *et* Cerda *nugantur, qui multa hic de* annalibus Pontificum, *et de discrimine inter* historiam et annales, *quo allusum volunt, eruditi.*

ANNVS Magnus Aen. 3, 284. Interea magnum sol circumuoluitur *annum. vide* Magnus.

ANTEFERO Aen. 4, 371. Quae quibus *anteferam. Seruius et alii hic vsitatam huius verbi vim retinendam putant, ideoque haec verba sic explicant:* „quid prius, quid posterius, dicam. *Sed hic id non video, et licet etymologia sit satis explosa, tamen non adeo conspurcandam censeo, vt ne in vllo quidem loco sit sequenda. Quae si ita sunt,* antefero *erit mihi,* enarro; *et id maxime iis quae sequuntur respondet:* Iam iam nec maxima Iuno nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis. Nusquam tuta fides. *Nulli, vt aliis verbis dicam, haec enarrari a me possunt, neque homini, neque Diis, nam nulla fides in iis retenta inuenitur.*

AN-

ANTEIRE Aen. 12, 84. Qui candore niues *anteirent* carsibus auras. ἀπο τοῦ κοινοῦ. *Primum proprie; post idem ac* praecellere. *Sic saepius. vid.* Candor.

ANTIQVVS *pro* nobilis *et* magnus, *vt* Aen. 1, 12. vrbs *antiqua* fuit. Aen. 12, 347. *Antiqui* proles bello praeclara Dolonis.

APERIRE, *nauticum verbum, notante* Seruio, *quoties cedente eo, quo impeditur aspectus, aliquid patescit.* Aen. 3, 275. Et formidatus nautis *aperitur* Apollo. formidatum nautis *Apollinem intelligo loca saxosa, aspera, Apollini dicata. Non ego hic quaeram cum aliis templum quoddam, aut poëtae allusionem ad templum illud* Apollinis Actiaci, *quod Augustus ibi, (nam Leucate est mons prope Actium) exstruxerat. Fuit ille locus iam tum sanctus et Apollinis.* * *Eleganter* Georg. 1, 217. Candidus auratis *aperit* cum cornibus annum. *Illud fidus est signum verni temporis, aperit itaque annum pro natura temporis illius, nam tum tellus soluta flores effundit. De pulchritudine loci plura vide apud Heynium.*

APERTVS, Georg. 1, 393. aperta serena. *i. e. cum coelum nullis nubibus obductum est. Serenum absolute positum.*

APEX, *de pileo, circa medium virga eminente, vel potius illa ipsa eminens pilei virga.* Aen. 2, 681. Ecce leuis summo de vertice visus Iuli fundere lumen *apex. bene,* leuis apex *de puero.* Catroeus *et alii* apicem *intelligunt* acumen summae flammae, *sed non patiuntur verba, licet haec notio* apicis *non infrequens sit* cf. Clav. Ouid. h. v. *Seruius cum nonnullis putat, hoc prodigio respicere poëtam ad ciuile monstrum* Seruii Tulii regis, *quod ex historiis notum. Sed ego non video huius, vt dicunt,* allusionis *causam.*

APRICVS, *de eo, qui sole gaudet,* Aen. 5, 128. *apricis* statio gratissima mergis. *Alias illud vocabu-*

cabulum additur locis, qui sole vt plurimum calent; noue, ni fallor, ita eo vsus est Virgil. h. l.

APTVS, *exstructus, insignitus.* Aen. 4, 482. Vbi maximus Atlas axem humero torquet stellis ardentibus *aptum. ex Graeco* ἀπτεσθαι *nonnulli deducunt.*

ARA Aen. 6, 177. *Aramque* sepulcri Congerere arboribus coeloque educere certant. Ara *belle adhibetur ad pyram, cui imponebantur corpora, denotandam. Nonnulli malunt ideo hoc vocabulum fuisse vsurpatum, quod in formam* arae *pyra fuerit exstructa. At ego dissentio, et melius sic explicandum puto, vt hoc verbo quasi honor, quem pyrae magnitudine veteres expressum volebant, significetur, adeo vt sicut Diis arae honoris caussa exstruebantur, vt huic viro tanta dignitate et fortitudine magna pyra conficeretur. Quod vero Vlysses honorandi causa Patroclo pyram exstruendam curauit centum pedum, et quod v.* 177. *legitur:* coeloque educere certant, *id meam confirmat explicationem. Sic etiam v.* 215. Ingentis pyrae *mentio fit, vbi dignitatis causa omnes fere interpretes factum existimant.* * Aen. 9, 113. Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus *aras; scil. saxa illa latentia, quibus Notus tres abreptas naues adegit. Seruius:* „Haec saxa inter Africam, Siciliam, et Sardiniam, et Italiam sunt, quae saxa ob hoc Itali *aras* vocant, quod ibi Afri et Romani foedus inierunt.„ *Alii dicunt Graecos haec saxa* βωμες *appellare. Quidam insulam fuisse hunc locum tradunt, quae subito pessum ierit, in cuius reliquiis saxa haec exstare. Sed haec omnia ego relinquo, secutus* Scaligerum, Auson. lect. 2, 22. *qui docet,* aras *interdum vocari in scriptoribus omnes crepidines, dorsa maris, et eminentias; itaque non*

h. l. ad scopulos illos foederis recurrendum. De notione illa vocab. arae *vide etiam* Drakenborch. ad Sil. Ital. 15, 387. * *Distinguunt* aram *ab* altari *grammatici, quod notum, sed non sic semper poëtae. e. gr.* Ecl. 8, 64. *Attamen respexisse videtur ad illud discrimen Virgilius.* Ecl. 5, 66. En quatuor *aras!* Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo. *Aras itaque exstruendas eas, quae Phoebo, vocat* altaria. *Male vero in nostra ed. cum vulgaribus legitur* duo altaria: duas *recte vindicat Virgilio Heinsius, quamquam de verborum ineptiis poëta in hoc ab Heynio accusatur, recte quidem.*

ARBOREVS, cornua arborea, *de altis, vastis cornibus* ceruorum. Aen. 1, 194. capita alta ferentes cornibus *arboreis* (ceruos) sternit.

ARBVTVS, *arbor humilis, minutis foliis, seu raris frondibus, vt inquit Festus, sub cuius vmbra tamen quiesci poterat* cf. Horat. od. 1, 1, 21. *Pascebantur ea oues* Ecl. 3, 82. cf. Horat. 1, 17, 5. *et hoc intelligitur* Ecl. 7, 46. Et quae non rara viridis tegit *arbutus* vmbra. *Consectabatur eius folia pecus, et arbore obtectum stabat, sed quia rami non densi, folia minuta,* rara *eius arboris vocatur vmbra, quasi proprio epitheto, nam non rolae vrgendum, quod monet Heynius collata* Ecl. 5, 7. * arbutum *eius arboris fructus Hagapfel, Schlehe* Georg. 1, 148. 2, 520. *poma siluestria explicat Seruius.*

ARCADES Ecl. 7, 4. Arcades ambo Et cantare pares, et respondere parati. Arcades *cum vi positi, excellebant enim maxime in musica Arcadiae incolae.* Ecl. 10, 32. *Arcades* soli cantare periti. *cf. ibid. Cerdam et Horat. od. 1, 17. quae de arte musica intelligenda. Sed videtur tota canendi ars et omnis elegantia pastoris hac vote exprimi.* cf. Ecl. 7, 16. *et* 8, 21. sqq.

ARCVS

ARCVS, ingens arcus, Georg. 1, 381. *Iris bibit aquam e vulgi opinione, qua vsus poëta cum eum apparere vult dicere.* * Georg. 2, 26. propaginis arcus, *ille fit quando surculus ita inseritur, vt media pars eius terra operta radices agat.*

ARDERE, *improprie, et eleganter.* Aen. 12, 3. Se signari oculis; vltro implacabilis *ardet.* * Ecl. 2, 1. formosum pastor Corydon *ardebat* Alexim. *vehementer amabat*, cf. vrere part. I. Indicis.

ARDVVS, *elegans epitheton equi bellatoris* Georg. 2, 145. *nostri efferunt* Stolta. *Cum magno hinnitu, explicat Pomponius, male!*

ARGITIS. Georg 2, 99. *genus vitis dictum ab ἀργὸς, vinum candidum praebet. Est minor et maior. vide* Firmus.

ARGVERE, *ostendere.* Aen. 4, 14. Degeneres animos timor *arguit. Taubmannus inhaeret solitae huius vocis vi, et explicat* „Si quis degener sit, humilitatis suae conscientia premi. *Eam interpretationem licet verba patiantur, tamen cum reliquis cohaeret? Nihil refert Aeneam sibi conscium fuisse, quanta sit fortitudine; et cum v. 13. maxime conuenit mea sententia, quae est, his verbis innui: timor indicat, qui cuique sit animus, vtrum de hominibus fortibus sit natus an vero minus.*

ARGVMENTVM, *de Caelatura, vide* Clauem Ouidian. Aen. 7, 791. *argumentum* ingens.

ARGVTVS, pecten argutum i. *stridulum, sonans.* Aen. 7, 14. *Arguto* tenues peccurrens pectine telas. *Sic etiam* Ecl. 7, 1. Forte sub *arguta*, consederat ilice Daphnis. Ecl. 7, 1. arguta ilex, πίτυς μελισσοτρόφος *Theocrit. Idyll.* 1. *quem hic imitatus Virgilius, eodem modo incipit ille Idyllio* 6, *et* 8. Ecl. 7, 24. arguta fistula. Ecl. 8, 22, argutum nemus. Georg. 1, 294. argutum pecten. * *exiguum* Georg. 3, 80. argutum caput, *equi in laude est.*

ARI-

ARIDVS Georg. 1, 357. aridus fragor, *epitheton poeta dignum, cogitabis vero de aridis lignis, dum franguntur. Habet iam Homerus* ἀῦον ἄϋσεν. *s.* καρφαλεον ἀυσεν, *et Lucretius* 6, 118. * Georg. 3, 197. arida nubila, *sine pluuiis; propterea quia flante aquilone, nullae pluuiae.* * *pro* sicco, sitienti. Georg. 4, 98. ceu puluere ab alto cum venit et terram *sicco* spuit ore viator *Aridus. Caue ne plus in hac similitudine quaeras, quam inesse voluit poëta, nam ornatius eam depingit.*

ARISTA Ecl 1, 70 En vnquam patrios longo post tempore fines Pauperis et tuguri congestum cespite culmen Post aliquot, mea regna videns, mirabor *aristas* Impius haec tam culta noualia miles habebit &c. *Exscripsimus versus, vt appareret, praestantiorem esse illum sensum, quem hic inferunt Germanus, Cerda, quos sequitur Heynius. Male enim Seruius* aristas *pro* segetibus *positas contendit,* quasi *numerasset rusticus per messes. Indicabo vero eorum explicationem, quamquam non omnino probem.* Post *inquiunt loco nostro esse* posthac, *vt antea* longo post tempore, *et Georg.* 3, 476. post tanto; aliquot aristas, *quia segetes rarae erunt, agri enim male colentur a militibus. Sed sane nec sic cohaerent omnia, vt ita Virgilium scripsisse mihi persuaderem. Nam hac ratione* videns v. 70. *aegre refertur* ad v. 68. 69. *neque* aliquot mirabor aristas *pro raris dictum valde placet, h. l. Deinde vero de eo non quaeri videtur Meliboeus, quod milites neglecturi sint agros, sed quod suas segetes, sua culta noualia barbarus teneat, impie, et iniuste. Equidem* post aliquot *coniungendum puto, quod defendi credo ex vsu talium verborum absolute quasi positorum apud Virgilium posse. Dicit igitur pastor in prioribus, fugiendum*

dum ipsi et vltimas oras viſendas, nunquam ſe reuiſurum vel poſt longum tempus ſuos fines et paruum tugurium ſub quo tam beate vixerit; ſed ſit, pergit, vt et videam poſt aliquot, (antea deſperauerat ſe longo poſt tempore vnquam viſurum) intellige annos, mea regna, illud meum tugurium, num gratulabor, mirabor ariſtas, vt antea? minime, nam omnia et ſplendidiſſima tam culta noualia, miles impius habebit. * *pro* herbis. Georg. 2, 253.

ARMA, Aen. 1, 5. *Arma* virumque cano. *non proprie hic* arma *cum viris quibusdam doctis a Burm. laudatis accipio, namque ridiculum magis eſſet, quam poëticum promittere, canenda ſigna, tela, enſes. Nolo verba perdere in re nota. Caeterum haec phraſis* Arma virumque cano, *poſtea ab omnibus fere poëtis vſurpata fuit, et vel ſexcenties occurrit. Citat Burm.* Liv. 8, 5. et 13 et 25. et 9, 31, 38. 23, 30. Sil. Ital. 1, 132. 4, 2. 6, 6, 7, 8. Valer. Flacc. 4, 8. Stat. Theb. 5, 305. *De nobili autem poëtae primordio conſulendus* Boilaeus dans l'Art poët. chant. 3, v. 225. O qui j'aime mieux cet Auteur plein d'adreſſe, Qui ſans faire d'abord de ſi haute promeſſe Que dit d'un ton aiſé, doux, ſimple, harmonieux: Je chante les combats &c. * cerealia; *de omnibus quae pertinent ad epulandum*; inſtrumentis conuiuii. Aen. 1, 181. Tum Cererem corruptam vndis (*panem*) Cerealiaque *arma* Expediunt feſſi rerum. *Putat Seruius propter carminis dignitatem refugientem vilia poëtam, rem vilem, quae ad omnia inſtrumenta pertinerent, auxiſſe honeſtate ſermonis. Cerda vero cenſet dictum eſſe ad Graecum* ἔντεα δαιτος. cf. Homer. Odyſſ. 7, verſ. — feſſi rerum *item more graeco dictum.* * Aen. 2, 99. Spargere voces in Vulgum ambiguas, et quaerere conſcius *arma.*

ma. i. *parans quasi arma contra me, conscius, i. e. benegnarus, quanta fuisset eius in Palamedem iniuria. Sunt et aliae plures h. l. explicationes, quas prudens praetereo.* * *de velis* Aen. 5, 15. colligere *arma* iubet, validisque incumbere remis, *vela contrahere vt in ventum flecti possint. vide plura apud* Ruaeum. * *instrumenta*, ὅπλα, τεύχεα, Georg. 1, 160. Dicendum et quae sint ducis agrestibus *arma.*

ARMATVS auro *dicitur Orion, quia* ξιφηφη, *vt Euripides ait; h. e. balteus eius et gladius clarissimis fingitur stellis; vnde* Lucanus 1, 665. *Ensiferi* nimium fulget latus Orionis. Virg. Aen. 3, 517. *armatumque* auro *circumspicit* Oriona, *accurate contemplatur, quia nimbosus est, si occidit, eoque aut serenitas futura, aut tempestas indicatur.* * Georg. 1, 255. *armatae* classes, *Seruius et Cerda explicant:* instructae ad bellum. *Frustra. sunt simpliciter naues instructae suis armamentis.* cf. Horat. 2. od. 16, 21. aeratae naues.

ARMIPOTENS, *epitheton Mineruae; causa aperta est.* Aen. 2, 425. Diuae *armipotentis* ad aram.

ARMISONA, *nobile et a Virgilio factum epitheton Mineruae* Aen. 3, 543. Numina sancta precamur Palladis *armisonae*, quae prima accepit ouantes. *Imitatus Virgilium in hoc verbo est Claudianus.*

ARRECTVS, spes arrecta, Georg. 3, 105. *pro animo cupido et strenuo.*

ARS, *opus arte factum* Aen. 5, 395. Et clypeum efferri iussit Didymaonis *artes.* v. 1. Part. Clav. * *pro virtute* Georg. 3, 101. hinc alias *artes* prolemque parentum notabis, *h. e. virtutes considera eius equi, quem admissarium vis habere, et qualis proles sit ea, quae ab iisdem cum eo parentibus nata; hinc enim iudicium fieri potest. Bene hoc monuit Burmannus.*

ARTVS, *partes* Aen. 6,

725. Spiritus intus alit, totamque infusa per *artus* Mens agitat molem.

ARX, *collis* Aen. 6, 783. Septem vna sibi muro circumdedit *arces*. namque arx *poëtis est omnis locus excelsus*. *Sic* Georg. 1, 240. *summitates montium*. *Sed cf. Riphaeus* Georg. 2, 535. *colles quibus Roma aedificata*. Roma Septemque vna sibi muro circumdedit *arces*. *it*. Georg. 4, 461.

ASPER Aen. 1, 18. diuis opum, studiis *asperrima* belli: *de Carthagine*. *Bene monuit iam Cerda, lectum h. l. esse vocabulum, non tam a peritia bellandi, quam a bellandi cupiditate laudans Carthaginem*. * *iracundus, nocens* Georg. 3, 149. 4, 245. Aut *asper* crabro imparibus se immiscuit armis. *Sunt enim illi maiores et potentiores apibus, quibus insidiantur*, imparibus *vero* armis. *Ita iam Pomponius. Seruius male, inaequali consilio explicat, quia apes laborem illi consument.*

ASPERARE, *aequor, mare, hyems eleganter dicitur, quia ventis et tempestatibus obruit, inaequalibus, vt ait Horatius, procellis, et nauigationem impedit*. Aen. 3, 285. Glacialis hyems aquilonibus *asperat* vndas. *Imitati Virgilium plures deinde poëtae, vt docet exemplis ad h. l. Burmannus*.

ASPERGO Aen. 3, 534. Obiectae salsa spumant *aspergine* cautes.

ATRIVM Aen. 2, 483. *atria* longa patescunt. Atrium *h. l est spatium ante domum, inter duo latera aedificii porrecta, vtraque in parte*. vestibulum *pars plateae ante ianuam, sed diuisa septo a platea, per quam ianuam intratur in atrium. Nam haec tria h. l diserte commemorantur*. 1) vestibulum vers. 469. 2) atrium vers. 483. 3) interior domus vers. 486. *Accesserunt ergo* a) *ad vestibulum a platea*, b) *ad atrium per ianuam*, c) *in domum ex atrio*.

AT-

ATTOLLERE iras, *eleg.*, *ita vt pingat rem.* Aen. 2, 381. Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem Preſſit humi nitens, (*bene* humi nitens *de eo qui duris paſſibus incedens torquet pedibus anguem*) trepidusque repente refugit *Attollentem iras*, et coerula colla tumentem. *Anguis cum iras ſumit, criſtas quaſi, iubas tollit, hoc eſt* iras tollere. *Neſcio tamen ego, an iſta comparatio iuſta, et res narrata probabilis ſatis ſit.* Androgeus Danaum magna comitante caterua *forte non adeo debebat horrere cum improuiſos victos quosdam Troianos offenderet. Neque* viſu tremefactus abire *neceſſe erat victori cum* incenſa iam Troia, (*vt ipſe dicit* verſ. 375.) *pauculis vrbis incolis armatis occurreret.* * ſe terra, *eleg. dicitur iis, qui in mari nauigantes aſpiciant primum terram; namque vocab. deſumtum ex ipſa rei ſpecie.* Aen. 3, 205. * Aen. 3, 134. Hortor amare focos, arcemque *attollere* tectis. i. *aedificare domos, vt vrbs condatur.* * brachia palmis, *de pugnantibus caeſtu.* Aen. 5, 364. Adſit et euinctis *attollat brachia palmis. vide* Euinctus. *phraſis vero ad graec. formata eſt* ἀειρας Apoll. Rhod. 2, 14. cf. Iliad. ψ. 686. ἀνεχεσθαι χερσι.

ATTONITVS, *is qui terret, attonitum reddit.* Aen. 6, 52. Neque enim ante dehiſcent *Attonitae* magna ora domus. *Non ante tibi Dii reſpondebunt;* * *multa cum pulchritudine de hydris rigentibus et torquentibus ſquamis.* Georg. 3, 545. *attoniti* ſquamis adſtantibus hydri, ADSTANTIBVS, *horrentibus, erectis.*

AVCTOR, *ſponſor.* Aen. 8, 336. matrisque *egere* tremenda Carmentis Nymphae monita, et Deus *auctor* Apollo. * *qui aliquid promittit, fidem dat.* Aen. 5, 17. Non ſi mihi Iupiter *auctor* Spondeat hoc ſperem Italiam contingere coelo. *hac coeli tempeſtate. Inepte*

Scaliger *dicit*, *his verbis Palinurum mortem suam praedixisse*, *quae longe post*, *alia exorta tempestate eum inuasit*, *et vaticinatum esse*, *se non Italiam contractu-rum*, *nisi manibus et cadauere*. *Inepte dicit* Cerda, „pulchre talia notasse Scaligerum.„

AVENA, *de carmine buccolico*, Aen. 1, 1. Ille ego qui quondam gracili modulatus *auena*. *vide* Gracilis. * Auena *pro viliſſimo frumento habebatur*, *itaque et lolio adiungitur et carduis*, *atque in eam degenerare ſaepe triticum aut hordeum putant antiqui*, *de qua opinione plura habes apud Cerdam* Ecl. 5, 37. *Tantum hoc nota*, *duplex esse genus* auenae, *alterum ſemine pleno et pingui*, *alterum pulueru-lento et marcido*, *quod Graecis* ἀιγιλοψ, *cuius generis ager neglectus copiam profert*. Georg. 1, 154. ſteriles dominantur *auenae*.

AVERTERE Aen. 1, 108. Franguntur remi; tum prora *auertit*, et vndis dat latus. i. *auertitur*; *Sic ſaepius*. *vide* Praecipitare, *et* Inſinuare.

AVERTI, *actiue* Georg. 3, 499. Labitur infelix, *aeger*, equus fontesque *auertitur*, *potum recuſat*.

AVGVRARE Aen. 7, 273. Si quid veri mens *auguraat*. *Auguro dicimus*, *ſecundum Plinium*, cum praeſagio mentis futura colligimus: *auguror* vero tunc, cum futura veris captamus auguriis. *Seruius ad h. l.*

AVIARIVM, *pro nemore*, *ſecreto praeſertim*, *vbi aues morari amant*. Georg. 2, 430. Sanguineisque inculta rubent *auiaria* baccis.

AVRA, *lux*, *conſpectus hominum*. Aen. 4, 387. His medium dictis ſermonem abrumpit et *auras* Aegra fugit.

AVRATVS. Georg. 4, 371. Et gemina *auratus* taurino cornua vultu Eridanus. *Variis e rationibus explicant hic interpretes voc.* auratus. *Nonnulli ab agri qui adiacet fertilitate ita dictum*

ctum putant; Heynius aliam addit a succino sumtam, quod olim vehebat ille fluuius; de ramentis aureis explicat Cerda; alii solemne putant epitheton Deorum hic esse fluuio impositum. At quare id Pado tantum, et non aliis quoque fluuiis quos modo nominauerat? Prima illa ratio praeferenda videtur. Forte adiuuare nos potest nota Pomponii, qui animaduertit laudare poëtam fluuium patriae suae, Padum, qui est Eridanus. Hinc saltem explicari poterit, quare auratus dictus sit, cum alio Padi epitheto vti potuisset. Sed et de auro qui explicant, non improbabiles. cf. Georg. 2, 165. 166. de laudibus Italiae, Haec eadem argenti riuos aerisque metalla Ostendit venis atque auro plurima fluxit. quod ad ipsum Padum hic refert Heynius, allato testimonio Plinii 33, 4. S. 21. in Pado segmenta auri repeiri.

AVRES Georg. 1, 172. In aratro binae aures. Inde alias quaedam aratra vocantur aurita, quibus vtendum, si plana regio, et attolli humus possit. Constat non omnis aratri eandem structuram fuisse, sed qualis ea species fuerit, quam hic figurate describit Virgilius, nobis ignota est. Cerda non sordidus alias aut piger commentator in explicatione huius loci fere nihil habet, dicit in explicatione „si lector non ita probe intelligat sequentes partes aratri, sciat rem hanc potius esse oculorum, quam aurium.„ Exprimi curauit aratri formam eius, quo nunc Mantuani et Veneti vtuntur, Martinus, sed non satisfecit Heynio. Facilior itaque reddi hic locus ex aliorum commentariis non potest, neque ex veteris scriptis huc dicitur aliquid. Age vero audiamus Heynium, qui, quantum potuit, locum explicauit. Aures, inquit, esse videntur siue prominen-

minentiae duae, siue affixi vtrimque asserculi, aut ferramenta, quibus sulcus latior efficitur et porca altior. Hinc Palladius tit. 1, 43. aratra aurita *memorat.* Aratra simplicia, vel si plana regio permittit, aurita, quibus possint contra stationes humoris hiberni fata celsiore sulco attolli.

AVREVS. Ecl. 3, 71. aurea mala, *pulchra. Aurei coloris dicit Seruius, quare multum coniiciunt hic alii.*

AVRIGA *pro agasonibus positi, nam aurigae proprie sunt currus regentes.* Aen. 12, 85. Circumstant properi *aurigae* manibusque laceſ sunt pectora plausa cauis.

AVSPICIVM, *voluntas.* Aen. 4, 340. Me si fata meis paterentur ducere vitam *auspiciis.* * maiora auspicia, *quae apud Romanos fuerint, Antiquitates docent; sed quaeritur quae sint.* Aen. 3, 375. te *maioribus* ire per altum *Auspiciis* manifesta fides. *vide* Fides. *Seruius hoc loco prorsus nugatur. Burmannus explicat* maiora auspicia, *eadem quae* fata, *quibus Aeneas ereptus excidio Troiano superauit pericula, quae a minoribus imminebant, cui sententiae vt fauorem conciliet, citat* Ouid. Epist. 1, 28. et Lucan. 5, 189. *Sed temere fieri doleo. Quomodo hoc loco (confer contexta) de fatis loqui Helenus potest, quibus ereptus Aeneas excidio Troiano, cum contra vero etiam dicat:* ire per altum maioribus auspiciis? *Breuiter;* auspicia *h. l. sunt ipsa numina, siue potius eorum voluntates, decreta, ita saepius nota figura voces vsurpantur; vti* auspex *est tutor, vide* Part. I. Clav. h. v. *sic hoc loco* auspicia *sunt tutamina, siue decreta Diuum, iam* auspiciis *Heleno patefacta, quibus tutus cursum suum tenebit et tandem felix Aeneas. Si contuleris sequentia, de veritate meae explicationis dubitare amplius non poteris.* * *potestas, ius*

ius, quia maiora et minora auſpicia maiorem minoremue poteſtatem conſtituebant. Aen. 7, 256. paribus in regna vocari *Auſpiciis Aeneam ſecum.*

AVXILIVM viae, *de opibus, theſauris, quaſi ſubſidio itineris conficiendi* Aen. 1, 362. *auxilium*que viae veteres tellure recludit Theſauros, ignotum argenti pondus et auri. *mire* recludit *pro indicauit quo loco poſiti ſint theſauri; quaſi* recludit *theſauros, dum dixit, vbi conditi.*

AXIS medius Aen. 6, 537. Hac vice ſermonum roſeisque aurora quadrigis Iam medium aethereo curſu traiecerat *axem. Miſſis hic omnibus litibus inter doctos agitatis, quod nonnulli* v. g. Galeotus, *hunc verſum ſic intelligunt, vt hic iudicetur, iam eo peruenisſe auroram, vt meridies dominetur, et mox appareat noctis dominium; ſic enim* nox ruit *interpretantur; aliam adducam interpretationem, quoniam mihi enarrata non placet: Nullo modo effici poteſt, vt aurora meridiei accommodari ſoleat. Si occurrit aurora, aut de primo diluculo, aut de huic proximo enunciatur tempore. Et nonne* nox ruit *melius explicari poteſt* fugit nox? *Sensus is erit itaque: iam venerat aurora in eam coeli plagam, vt parum abeſſet quin lux illuceſceret.* * axis aetheris. Aen. 2, 512. Aedibus in mediis nudoque ſub aetheris *axe* Ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus. *Sub* axe nudo aetheris *eſt* ſub diuo, *quidquid tandem* axis aetheris *Seruio ſit. Eſt vero deſcriptio* impluuii, *quo Penates coli ſoliti. vide* Impluuium *in Claue Cicer.* Erneſt. * Aen. 4, 482. *Axem* humero torquet ſtellis ardentibus aptum. *coelum.*

B.

BACCATVS, *ornatus margaritis; noue dict.* Aen. 1, 659. colloque monile *baccatum: namque* baccae *appellatae*

propter similitudinem gemmae. Imitatus Virgilium est Sil. Ital. 8, 134. *baccatum* induta monile.

BACCHATVS, *fictum vocab. ab poëta*, Naxos *bacchata*. Aen. 3, 125. *Bacchatamque* iugis Naxon; viridemque Donysam. *Aut in cuius iugis bacchatum est a Libero, cum ibi a deuictis Indis vel Gigantibus ageret triumphum; aut referendum epithet. ad fabulam, qua fertur Bacchus ibi Ariadnam adamasse, relictam a Theseo, et postea in coelum retulisse; aut ad solitum morem bacchantium hoc loco. Mihi placet* Bacchatam Naxon *omnino intelligere, celebra propter Bacchum, qui ibi bacchatus est, et magis ad historiam de Ariadne referam, quam ad alias causas, minimum ad vites ibi plurimas et fertiles*; Gesnerus in Thesauro, „*vbi bacchari et choros exercere solent*„ at *vero id etiam in aliis pluribus locis facilitatum; vt inde epitheton peregrinum nasci non facile potuerit.* * *passiue* Georg. 2, 487. o vbi campi spercheosque et virginibus *bacchata* Lacenis Taygeta, *Iuga seu montes per totam Laconiam procurrentes, in quibus virgines Lacenae orgia Bacchi celebrare solebant.*

BALANTES, *simplic. pro* ouibus. Aen. 7, 538. quinque greges illi *ballantum*, quina redibant Armenta, et terram centum vertebat aratris. *opp.* armenta *et* greges, *vt solito.*

BALATVS, exercere balatum Aen. 9, 62. tuti sub matribus agni *Balatum* exercent.

BELLARI *pro* bellare, *passiu. pro actiui verbi significat.* Aen. 11, 660. Et pictis *bellantur* Amazones armis. *bellant.*

BELLIPOTENS Aen. 11, 8. tibi, magne, tropaeum *Bellipotens.* Non *sunt cum Seruio haec duo verba epitheta habenda, sed* bellipotens *nomen, idemque est ac Mars.*

BICORNIS, *epithet. Rhoni* Aen. 8, 727. Extremique

que hominum Morini Rhenusque *bicornis. puto eandem ob causam Rhenum dictum* bicornem, *ob quam aliis fluuiis* cornua *tribuuntur, vide* Corniger.

BIDENS, *ligonum genus, quod ex altera parte duos dentes, ex altera latiorem aciem ad incidendas glebas habuisse videtur, vt annotauit Heynius* Georg. 2, 399. *sic enim inuersioni bidentis subinde locus fuit in solo duro. Inde l. c.* glebaque versis aeternum frangenda *bidentibus.*

BIFER Georg. 4, 119. biferum Paestum, *διφορον. Clarum est a rosarum bonitate.*

BIFORIS cantus Aen. 9, 618. O vere Phrygiae, neque enim Phryges ire per alta Dindyma, vbi adsuetis *biforem* dat tibia cantum. *priorem appellationem* O vere Phrygiae, neque enim Phryges, *esse ductam ex Homero* Iliad. α, 96. *iam alii notarunt. biforem* vero cantum *ad duplex foramen, quo instructa erat tibia solemnis in sacris Cybeles Dindymenes, respicere clarum est; Seruii tamen liceat adscribere notam:* „bisonum imparem, (biforem). *Et seruauit eis tibiarum suarum i. e. Phrygiarum naturam. Tibiae aut* Serranae *dicuntur, quae sunt pares, et aequales habent cauernas; aut* Phrygiae, *quae impares sunt et inaequales habent cauernas. Ergo* biforem, *dissonum, dissimilemque: non enim sunt pari modulatione compositae; vt enim ait Varro:* Tybia Phrygia dextra vnum foramen habet; sinistra duo, quorum vnum acutum sonum habet, alterum grauem.

BIIVGVS, equi biiugi, *de curru Cybeles* Aen. 10, 253. Cui Dyndima cordi Turrigeraeque vrbes, biiugique ad frena leones. Lucret. 2, 601. Hanc Veteres Graium docti cecinere poëtae, Sedibus in curru *biiugos* agitare leones. *Eleg.* ad frena, i. *frena patientes, docti ferre frena.* * biiugum certamen, *noue dictum*

ab

ab Virgilio. Aen. 5, 144. Non tam praecipites *biiugo* certamine campum Corripuere ruuntque effusi carcere currus. *non tanto curſu ruunt in certamine bigarum currus, quam ſcilicet iſtae naues volant. Sed placet tibi comparatio? nonne nauem volantem viuidius cogito, ſi ipſam fingo, quam ſi comparo cum curru currente. Profecto non video, quid iuuet et amplificet rem illa comparatio? Velim me refutatum ab Heynio.*

BILINGVIS, *pro* fallace. Aen. 1, 665. quippe domum timet ambiguam, Tyriosque *bilingues.*

BIMEMBRIS, *epithet. Centaurorum, quia duplici corpore, humano et equino, formati.* Aen. 8, 293. Tu nubigenos inicte, *bimembres,* Hylaeumque Pholumque manu, tu Creſia mactas Prodigia. *Herculis labores ex Mythologia noti. de* Centauris bimembribus conf. Macrob. Saturn. 6. c. 5.

BIPATENS Aen. 10, 4. Conſidunt tectis, *bipatentibus; Dii; duae coeli portae, ab ortu et occaſu, creditae vulgo, vide ad h. l.* Cerdam.

BIPEDES, *equi.* Georg. 4, 389. *monſtra, vide ſub* metiri *plura.*

BONVS, *ad Graec.* ἀγαθος, *peritus, ſciens alicuius artis.* Aen. 9, 572. Hic iaculo *bonus,* hic longe fallente ſagitta. *Recte* Cerda, *eumque ſecutus* Burm. fallentem longe ſagittam *intelligunt, quae procul emiſſa fallit hoſtem, improuiſo ferit. Sic* Valer. Flacc. 3, 182. *fallere* neruo Tum primum puer auſus Hylas. * *liberalis, largus.* Aen. 1, 199. ſocios partitur in omnes. Vina *bonus, quae* deinde cadis onerarat Aceſtes Litore Tinacrio, dederatque abeuntibus, heros Diuidit, et dictis moerentia pectora mulcet. *Ordo verborum talis:* in ſocios omnes partitur ceruos, deinde heros diuidit vina, quae bonus Aceſtes &c. *Non nego tamen, mihi lectionem*

nem Ruaei, *quam etiam vnus codex tuetur, valde arridere.* Deinde bonus quae vina. &c. * *peritus, doctus.* Ecl. 5, 1. *boni* conuenimus ambo, tu calamos inflare leues, ego dicere versus. *graeca constructione, amata latinis.* cf. Horod. 1, 29, 9. * Georg. 2, 447. bona bello cornus. *cf.* rubescere.

BREVIA, breuia et Syrtes *pro* breuia syrtium. Aen. 1, 115. tres Eurus ab alto In *breuia et Syrtes* vrget miserabile visu! *breuia syrtium sunt vadosa loca syrtium, vbi potest transire pedibus.* Tacit. Annal. 2, 70. breuia et profunda *dicit. respond. latina vox graecae τα βραχεα, quae sic vsurpatur. vide* Herodot. 12, 17. *et. conf. Pompon. Mela* 1, 7. *Adde* Aen. 10, 289.

BVXVS, Berecynthia, *de tibia in sacris Cybeles vsurpari solita.* Aen. 9, 619. Tympana vos *buxus*que vocant Berecynthia matris Idaeae. *vide* Turneb. Aduers. libr. 4. cap. 10. Barthius ad Theb. Stat. 5, 93. *buxum a tibia diuersam fuisse ex hoc loco vult docere, sed perperam, ni fallor. Quiuis enim, qui comparat loci tenorem, videbit,* buxum *hoc versu idem cum* tibia *versu praeced. esse posse. Priori dicit, vos ire soletis, vbi tibia sonat; altero explicat quasi sententiam, vos vocare solent Tympana et tibia Cybeles ad has ambitiones.*

C.

CADERE, *residere.* Georg. 1, 354. quo signo *caderent* austri. *Contrarium est* surgere. *Aliam significationem affert* Cerda, *inductus ordinis difficultate in sequentibus versibus; quod et* Burmannus *notat, sed subtiliter illam explicationem* Heynius *exprobrat. Duplicem enim rem secundum poëtam statuit pater: primo (quam scientiam ex astrologia, vt ipse* Cerda *monuit in explicatione, assequimur)* quid menstrua luna moneret, quo signo

signo *caderent* auſtri, *quod praeſertim e ſtellarum quarundam ortu praeſcitur; deinde vero magis vulgaria ſigna dedit pater*, quid ſaepe videntes agricolae, *quae ſubinde obſeruantes ruſtici, ſibi gradatim quaedam mutandae tempeſtatis certa auguria quaſi experiundo collegerunt.*

CAECVS, *ignotus, improuiſus, obſcurus*; *ſed neſcio, anne etiam maior ſit verbi vis in* Georg. 2, 503. ſollicitant alii freta *caeca. id ſane eſt turbida, furentia, nemini parcentia, et ſic periculoſa. Bene hic quendam Grammaticum animaduertiſſe video, tentant aleam marinam.* Georg. 1, 464. ſol etiam *caecos* inſtare tumultus ſaepe monet. * Georg. 4, 237. *caeca* ſpicula apum, *tenuia, quae non animaduertuntur ante quam punxerint.* * Aen. 12, 617. Adtulit hanc illi *caecis* terroribus aura Commixtum clamorem. *Sic et, vt ſit, cuius ratio non habenda, qui non timendus* Aen. 4, 209. *Caeci* in nubibus ignes terrificant animos. * caeca veſtigia ſunt, *greſſus, de quibus, quo ducant, neſcimus.* Aen. 6, 30. *Caeca* regens filo veſtigia. * *obſcurus, non perſpicuus.* Aen. 6, 157. *caecos*que volutat Euentus animo ſecum. * *de eo quod celatur.* Aen. 4, 2. Vulnus alit venis, et *coeco* carpitur igni.

CATEIA Aen. 7, 741. Teutonico ritu ſoliti torquere *cateias.* Seruius *ad h. l.* „tela Gallica, vnde et Teutonicum ritum dixit; *cateiam* quidam aſſerunt teli genus eſſe tale, quale *Aclides* ſunt, (vide h. voc. ſupra) ex materia quam maxime lenta, cubitus longitudine, tota fere clauis ferreis illigata, quam in hoſtem iaculantes tineis, quibus eam annexuerant, reciprocam faciebant. *Cateide* autem lingua theutiſca haſtae dicuntur.„ cf. Lipſii Poliorcet. 4, 4.

CALIGARE Aen. 2, 606. Mortales hebetat viſus tibi, et humida circum *caligat. vide* Hebetare.

CALX.

CALX, *de pede, aut potius* planta pedis Aen. 5, 324. Ecce volat *calcem*que terit iam *calce* Diores Incumbens humero, *vide* Terere.

CAMINVS, *ad graec. de fornace, carcere.* Aen. 3, 580. ruptis flammam exspirare *caminis.*

CANDERE, Aen 9, 626. statuam ante aras aurata fronte (*de more*) iuuencum *Candentem*, pariterque caput cum matre ferentem. *Quae* Cerda *profert de more superstitionis, quo factitatum, vt et creta adhiberetur ad candorem victimae, ea mihi nimis docta visa sunt.* Candere *de* alba victima *simpliciter, saepissime occurrere, quis nescit? illa verba* vero, pariterque caput cum matre ferentem, *recte confert cum loco* Theocrit. Idyll. 10, *vnde ducta putat,* ἰσοματερα ἀμνον, agnum aequalem matri.

CANDIDVS, *micans, vt sidus, epitheton deorum.* Ecl. 5, 56. *Candidus* insuetum miratur limen Olympi Daphnis. *Eodem referatur* bonus. v. 61. 65. *Dii enim* boni *proprie. Daphnim vero inter numina agrestia collocatum, Deum coelestem dici* candidum, *hic annotauit* Morus, bonum, *vero fauentem, propitium.*

CANDOR: *Homericus versus, verbo ad verbum relato.* Iliad. κ. 437. λευκοτεροι χιονος θειειν δ' ανεμοισιν ὁμοιοι Aen. 12, 84. Qui *candore* niues anteirent, cursibus auras.

CANERE vota Aen. 3, 438. Iunoni *cane* vota libens dominamque potentem Supplicibus supera donis. *Non hic locus cum* Seruio *referendus est, et cum aliis, ad bellum Punicum, quo matrimi et patrimi cantauerunt Iunoni, sed* vota canere *simplici sensu accipiend. dicare.*

CANERE, *belle de oculis moribundis, albentibus.* Aen. 10, 418. Senior leto *canentia* lumina soluit.

CANTARE, *incantare.* Ecl. 8, 71. *et hac quoque*

que in re ſolemnia carmina v. 69. 70.

CANVS, *epithet. fidei* Aen. 1, 296. Cana fides et Veſta, Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt; nam fides albo velata panno incedit. Hor. od. 1, 35, 22.

CAPERE, *eleganter de eo, quod attingimus, aſſequimur.* Ecl. 8, 39. Alter ab vndecimo tum me iam *ceperat* annus. *conf.* alter. * *eligere oculis, ſpectando locum ſibi eligere.* Aen 1, 399. nunc terras ordine longo Aut *capere*, aut *captas* iam deſpectare videntur. *electas iam intentius deſpicere.* * Aen 9, 644. Nec te Troia *capit. Eleganter* Brod. Miſcell. 1, c. 26. *iam laudatus a* Cerda, *haec ſumta coniecit a Philippi ſermone laudantis generoſam indolem Alexandri filii,* ζητει σεαυτω βασιλειαν ισην, Μακεδονια γαρ σε ου χωρει.

CAPITA *vitium, radices. Inuerſum hunc ordinem multi ſecuti in arboribus, vide* Cerdam *ad* Georg. 2, 355. Supereſt deducere terram ſaepius ad *capita. i. e. fodiendo aggerere ad radices.*

CAPRIGENVM pecus, *pro* capris, „*ſatis noue et affectate.*„ Seruius *ad* Aen. 3, 221. armenta videmus *Caprigenum*que pecus nullo cuſtode, per herbas. *Sed neque affectate, neque noue dictum eſt, quandoquidem iam* Pacuuius: Quamuis *caprigeno* pecori grandior greſſio eſt.

CAPTARE, Ecl. 1, 53. frigus *captabis* opacum. Ecl. 2, 8. Vmbras et frigora *captant.* * aëra auribus *quid ſit, explicat Seruius ad* Aen. 3, 514. Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, et omnes Explorat ventos, atque auribus aëra *captat*: „naturale eſt, *inquit*, vt a qua parte flaturus eſt ventus, ad eam auris admota frigidior fiat.„ *de qua obſeruatione iudicent me doctiores phyſici. Pergit Virgilius:* Sidera cuncta notat tacito labentia coelo. *bene* labentia. tacitum coelum *explicant interpretes* ſerenum: *non bene;* nocturnum

turnum *enim coelum poëtice* tacitum *dicitur. Expendit hunc locum, et in singulis laudandis verbis pompam agit* Scaliger in Poët. libr. 3, c. 16. *Est vere locus imitatio Homeric.* Odyss. ε, αὐταρ ὁ πηδαλιω ϑυνετο τεχνηεντος Ημενος: ϗδε οἱ ὑπνος ἐπι βλεφαροισι ἐπιπτε πηλιαδας τ' ἐσορωντι καὶ ὄψε δυντα Βοωτην Ἄρτον τε κ. λ.

CAPVT, Georg. 4, 319. extremi sacrum *caput* amnis, *non ad fontem fluuii Penei referendum, qui tamen plerumque sedes Nympharum habebatur, sed ad ostium fluminis contendit* Burmannus, *assentitur* Heynius, *tum quia* extremi amnis *dicatur, tum ob versus* 359 - 362. *qui ad fontem fluminis referri nequeant. At a nobis tamen tantum impetrare non possumus, quanquam non negari liceat,* caput *de ostio fluminis dici, vix tamen apud Graecos, vt notat* Gerda. Extremus *nobis* amnis *dici videtur, quia a Tempe, vnde fugiebat, Aristaeus ad fontem tendebat, qui sic finis erat contrarii fluminis; tum vero* sacrum caput *de fonte praedicari, eo nihil est solemnius. Accedit quod versus* 365, 366. *sqq non nisi de fonte et illo antro, quo quasi plures fluuii oriantur, intelligi possunt. Quid enim poëtam mouere potuisset, vt sub medio alueo fluuii Penei, vnde hauserit suam opinionem, quaereret caeteros quoque fluminum fontes; at cum semel de fonte et Nympharum sede sermo esset inceptus, facile fuit, vt ibi videret* omnia sub magna labentia flumina terra *et* speluncis lacus clausas, *seu cauernas quibus singuli fluuii deriuarentur,* cf. v. 368. Et *caput,* vnde altus primum se erumpit Enipeus. *Quare versus illi* 359 - 362. *ad quos prouocant illi, qui contrariam a nobis sententiam tuentur, sic potius habendi, vt ibi a labendi flumine poëta credatur ornatum suum sum-*

sumsisse ad describendam magnifice viam, qua ad Nymphae sedem, sub fonte, pertransierit Aristaeus. Iis saltem argumentis, quibus vsi sunt Burmannus *et* Heynius, *vt vulgarem interpretandi huius loci rationem exprobarent, non satis acquiescere potuimus.* * Aen. 8, 44. sub ilicibus sus triginta *capitum* foetus enixa iacebat. περιφραστικως. * Aen. 12, 600. Se caussam clamat, crimenque *caput*que malorum i. auctor. *vt* Aen. 11, 361. O Latio *caput* horum. * *de imagine totius corporis*, Aen. 4, 640. Dardaniique togam *capitis* permittere flammae.

CARBASVS, *de veste linea* Aen. 8, 33. Eum tenuis glauco velabat amictu *Carbasus; (Deum Tiberinum) quali amictu vestiti dii marini solemni modo pinguntur; sicuti et mos est,* Coronam *eis dare ex arundine, loc. laud. pergit poëta:* Crines vmbrosa tegebat arundo.

CARMEN, *titulus, inscriptio, namque* carmen *est omnis solemnis formula* Aen. 3, 281. Aere cauo clypeum, magni gestamen Atlantis, Postibus aduersis figo; Donarium dono, et rem *carmine* signo. *Ridicule miratur* Seruius, carmen *hoc loco de vno versu dici; explicauimus* vocem. * *de magis, solito vsu.* Aen. 4, 486. Haec se *carminibus* promittit soluere mentes.

CARPERE, Georg. 3, 142. Acri *carpere* prata fuga. *ibid.* 191. Carpere gyrum incipiat equus. *vide* gyrum. ibid. 325. Luciferi primo cum sidere frigida rura *carpamus; cum grege scilicet, de eductione eius enim in pascua sermo, et sic eadem ratione* carpere *hic dicitur, ac* carpere viam. * auras vitales, *poëtica circumlocutio vitae.* Aen. 1, 391. Quisquis es, haud (credo) inuisus coelestibus, auras vitales *carpis.* * Aen. 4, 2. Et caeco *carpitur* igni. *Cerda vult per graecum* ἐσθίειν *explicare, nec in-*

inuenuſte! eleg. tralatione ducta ab carpendis pabulis, *quae locutio ſatis frequens.*

CASTRA, de *nauibus*, Aen. 4, 112. faces in *caſtra* tuliſſem. *Sic de ſtatione nautica.* Aen. 3, 519. nos *caſtra* mouemus. *Seruius:* „claſſem ſignificat„ Tentamusque viam, et velorum pandimus alas. i. *antennas cum velo extendimus, quae vela quaſi alae nauis.*

CATVLI, *de ſerpentium quoque ſobole.* Georg. 3, 438. Aut *catulos* tectis aut oua relinquens Arduus ad ſolem et linguis micat ora triſulcis.

CAVVS mons; *antrum.* Aen. 1, 85. *Cauum* conuerſa cuſpide montem Impulit in latus. *Alii aliter explicant, ſed fruſtra.*

CELERARE aliquid. i. *celeriter afferre.* Aen. 1, 660. Haec *celerans* (*munera, vid. verſ. praeced. afferre properans*) iter ad naues tendebat Achates. *Sic* deproperare myrtos. *vide* deproperare *in Part. I. Clauis.*

CEREALIS, Georg. 1, 212. *Cereale* Papauer, *quia Cereris ornamentum ſymbolicum eſſe ſolet in ſignis apud poëtas. Cauſam ſcrutari ſi lubet, euolue* Cerdam. * Aen. 1, 181. Tum Cererem corruptam vndis *cerealia*que arma Expediunt feſſi rerum. *vide* Arma.

CEREVS. Ecl. 2, 53. *Cerea* pruna. *Plures ad maturitatem referunt, ſed ii melius et accommodatius ad ipſum locum, qui de colore intelligunt,* cerea, *flaua et ſpecioſa, de corona enim conficienda promittit Corydon, ad quam cum flores allaturae ſint ipſae Nymphae, ſe velle ornatus quosdam addere dicit, qui diſplicere non poſſint, et odoriferas herbas. Videtur Cerda* mala, caſtaneas, nuces, pruna *pro munere accepiſſe, quod donare vellet Corydon Amaſio; ſed ſic locus multum elegantiae perderet, taceo caetera. Cara* mala, *tenera lanugine intelligebat Martinus praecocia, munera nimirum palatis*

Alexis offerenda cogitabat, de Cydoneis, cotoneis, (Quitten); quae Seruius iam protulerat. Heynius sequitur, allatis locis duobus, vbi de Cydoneis hirsutis, lanigeris. Mallem hic respici ad nullum certum genus, plura enim mala lanuginosa, praesertim ante maturitatem. Vt ornatum quendam adderet coronae, eundemque magis insolitum, coxa *promittit mala,* lanugine, *quae simul et mollia. Singulare quoddam prunorum genus flauum seu* cereum *indicat Ouidius* Lib. 13, Metam. Prunaque non solum nigro lucentia succo, Verum etiam generosa, nouasque imitantia ceras.

CERNVVS, *dicitur equus, qui cadit in faciem.* Aen. 10, 894. Iecto incumbit *cernuus* armo.

CERTAMEN Aen. 3, 128. Nauticus exoritur vario *certamine* clamor. i. *clamant certantes vario modo et sono.* * certamina ἆθλα, *praemia certaminis.* Georg. 2, 530. Velocis iaculi *certamina* ponit in vlmo. *Ponit, et ipsum graecum est τιθεναι.*

CERTARE. Ecl. 5, 8. solus tibi *certet* Amyntas, *graeco more, pro* tecum μαχεσθαι τινι. * Aen. 1, 551. Non metus officio nec te *certasse* priorem poeniteat. *Heins. mauult* ne *pro* nec. *Male.* Doruillius Iliad. λ. 647. et ψ, 205. *cum h. l. comparat; tu confer* Xenophont. Memor. 2, 1, 25.

CERTVS, Georg. 2, 329. Et Venerem *certis* repetunt armenta diebus. *haud inepte* Philargyrius: Certis *pro his, neque aliis vllis.* * Aen. 5, 2. Interea medium Aeneas iam classe tenebat *certus* iter. i. *mediam partem itineris absoluerat eodem* certo *animo, quo antea fuerat, scil. quoad amorem Didonis, non commotus animo, sed constanti mente pergens. Sic* certus *et alibi occurrit v. c. apud Cicer. pro S. Roscio c.* 19. certus accusator; *constanti mente. conf. praeced. libr.* 4. *inprimis vers.*

555.

555. *sq. Reliquae omnes interpretationes aliorum non quidquam huc faciunt. Quod vero* Burmannus *dubitat*, medium iter tenere *vix dici posse*, *valde errat.* * *fortis, animosus.* Aen. 9, 249 tales animos iuuenum, et tam *certa* tulistis pectora, *obtulistis*, *dedistis.*

CESPES. Georg. 4, 273. Herba imo ingentem tollit de *cespite* siluam. *Nonnulli de radice, alii de solo intelligunt, quo stat herba: posterius probo; ramosa enim herba inde a solo.* conf. De Part. I. Indicis.

CESSARE, *de eo, qui longos ambitus pererrat, moratus circa aliquem locum, nec in via bene pergit.* Aen. 3, 430. Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni *Cessantem*, longos et circumflectere cursus.

CETRA, *scutum, lorum, quo vtebantur Afri et Hispani.* Aen. 7, 732. Lanas *cetra* tegit. *Multus est in his* cetris *explicandis ad h. l.* Cerda, *quem confer, si placet.*

CHELAE Georg. 1, 33. Anne nouum tardis sidus te mensibus addas, Qua locus Erigonen inter *chelas*que sequentes Panditur. *Ipse* tibi iam brachia contrahit ardens Scorpius et coeli iusta plus parte relinquit. *Augustum alloquitur, an velit inter sidera numerari. Duplex vero fuit siderum numerandorum ratio, vt h. l. inculcat* Seruius. *Chaldaei vndecim numerabant, quibus scorpius cum librae stellis vnum sidus, Aegyptii vero, libra separatim posita, inter Scorpium et Virginem h. e. Erigonem, duodecim habebant signa. Hic itaque locus supererat, quo constitui nouum sidus posset, secundum Chaldaeorum rationem, et cum sub librae signo natus esset Augustus, in hoc eum sidus referri, aut ibi suum locum occupare vult poëta. At quanta cum pulchritudine, et hoc vnum dabimus exemplum, quo perspici possit, qua ratione poëtae ingenium res alias*

simplices et ieiunas, cuius generis sunt astrologica, probare delicatis auribus atque menti venustati deditae soleat. Relatus itaque inter sidera Augustus, quando libram occuparet, necesse fuisset, vt stellas, quas ad Scorpium referebant Chaldaei, eiusque forcipes repraesentabant, redderet illi signo librae; aduentanti itaque Caesari et locum illum antea vacuum possidenti contrahit Chelas Scorpius, *eae enim sic non videntur, et* plus iusta parte relinquit *ei, cum quasi e reuerentia in chelarum suarum locum eum succedere patitur.*

CHLAMYS *est vestis in venando solemnis, sinistra manu implicata, et vsui erat, si aut ferae in venato insilirent, aut pugnaretur cum illis; haec* Cerda Aen. 4, 137. Sidoniam picto *chlamydem* circumdata limbo.

CICVTA, *pro* canna, *saepius.* E. gr. Ecl. 2, 36. &c.

CIERE fletus Aen. 3, 345. Thalia fundebat lacrymas, longosque *ciebat* Incassum fletus. * *mugitus.* Aen. 12, 104. Mugitus veluti cum prima in proelia taurus Terrificos *ciet.*

CIRCVM Georg. 4, 400. doli *circum* haec demum frangentur inanes, *circum* vincula. *Si vincula adhibentur, ad vincula vaticinabitur Proteus et doli, quibus vtitur, vt variis assumtis formis elabatur, frangentur, vt fiant* inanes. *Vinculis adstrictus demum cogebatur, vt vaticinia ederet. At quomodo teneri potuerit ille, cum sese transformaret mirifice in* Ignem, horribilemque feram, fluuiumque liguentem. v. 441. *viderit poëta; ego sane ambigo!*

CIRCVMPLECTI, *eleg.* Aen. 5, 312. Alter (Ruseto) Amazoniam pharetram, plenamque sagittis Threiciis, lato quam *circumplectitur* auro Balteus.

CIRCVMSPICERE, *accurate contemplari.* Aen. 3, 517. Armatumque auro *circumspicit* Oriona, *vid.* Armatus. * Aen.

12, 896. Nec plura effatus, saxum *circumspicit* ingens. *Homeri totus hic locus est*, Iliad. H. 264. αλλ ἀναχασσαμενος λιθον κ. τ. λ. *et* Iliad. M. 445.

CLARVS Georg. 1, 460. *clarus* aquilo, qui nebulas fugauerit, et sereno coelo flat. cf. Albus. P. 1. Indicis, *et id quod* Horatius od. 1, 5, 7. ventos nigros *vocat.*

CLASSICVM Georgic. 2, 539. Necdum etiam audierant inflari *classica. h. e. cani inflato cornu. Tales transmutationes frequentissimae apud* Virgilium. Cerda *habebat pro instrumento, et* Pomponius *explicat* tubas. *Male vterque.*

CLAVDERE, *custodire.* Ecl. 7, 15. depulsos a lacte domi, quae *claudere*t agnos. *intellige ancillas aut amicas.*

CLAVSTRVM Georg. 2, 161. *de aggere, quo lacum Lucrinum secludi a mari iussit* Augustus, *et postquam eum cum lacu Auerno coniunxerat, portum securum effecit, qui* Iulius *vocatur.* Lacus Auernus *intimus portus erat, itaque dicit* 164. Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Auernis, *vnda enim maxima per ostium aggeris in Lucrinum lacum acta, ex hoc facta fossa in Auernum transigebat. Accurate, vt solet, rem exposuit h. l.* Heynius.

CLAVSVS clympus, *poëtice; coelum enim die aperitur, nocte claditur, propter tenebras.* Aen. 1, 378. Ante diem *clauso* componet vesper Olympo, *vide* Componere.

CLITVMNVS Georg. 2, 146. *Vmbriae Cisapenninae fluuius, iuxta vrbem Meuaniam fluens, cuius vis ea esse credebatur, quod armenta, quae ex eo potauerant, alba redderet; albi enim tauri in ea regione, quibus vtebantur in triumphis. Tantum hic notasse satis sit, vt locus apertus.*

COACTVS. Eclog. 6, 31. Canebat; vti magnum per inane *coacta* semina terrarumque, animaeque marisque fuissent et liquidi simul ignis. *Exponit*

ponit primum rerum initium. Instituit versibus Apollonii Argon 1, 496. seqq *quos* Orpheus *cecinisse dicitur. Ille canebat, vti tellus, mare, sidera, coeli mista fuere olim, atque vna cognita forma, quae tamen in varias formas cessere, deinde astra prius coepere polum fundataque in illo haerent.*

COECVS, scelus coecum i. *ignotum* Aen. 1, 360. *coecum* domus scelus omne retexit *Sed ita vox* coecus *saepius, etiam apud nostrum poëtam. vt* Aen. 2, 453. *coecae* fores *sunt occultae, non omnibus notae. vide hoc vocab.* in 1. sectione *huius Clav.* Parte 2.

COELESTIS, *cum vi et elegantia.* Aen. 1, 15. Tantaene animis *coelestibus* irae? *bene* animi coelestes!

COELVM Georg. 1, 335. *coeli* menses. Georg. 3, 327. *coeli* hora. *Ratio huius locutionis in promtu est.* * Georg. 3, 478. *coeli* morbus, *haud inconcinne de vitiato, corrupto aere, causa pestis.*

COERCERE, *de ducibus agmen cogentibus.* Aen. 9, 27. Messapus primas acies, postrema *coercent* Tyrrhidae iuuenes. Coercere *de legibus et mandatis dici, notum, hinc et illa nostra significatio.*

COERVLEVS Aen. 3, 64. arae *coeruleis* mosstae vittis atraque cupresso. *i. nigris, qui color solemnis in tali re, vt discere ex multis scriptorum veterum locis poteris. Sic et* Aen. 3, 194. tum mihi *coeruleus* supra caput adstitit imber; *ater, caliginosus.*

COGERE Aen. 5, 20. in nubem *cogitur* aer. *densior et grauior.* cf. Cic. de Nat. Deor. 2, 39.

COLERE Ecl. 3, 61. *amare, curae habere.* Iupiter *colit* terras. Aen. 1, 16.

COLLIGERE se in arma *dicitur, qui post scutum se claudit, tegitur.* Aen. 10, 412. Tendit in aduersos, seque in sua *colligit* arma. *Adde* Aen. 12, 491. Et se *collegit* in arma. i. e. *ita se texit, vt nulla parte posset feriri.*

CO-

COMARE, Georg. 4, 122. sero *comantem* Narcissum. i. e. *sero florentem.* cf. Hor. 4. od. 7, 2. *Sub clementiore coelo etiam seriore anni tempore, Nouembri aut Decembri floret, vt hic annotat* Heynius *ex auctoribus.*

COMMERCIVM Aen. 10, 532. Belli *commercia,* (*vt captiui redimantur, venia detur eis,*) Turnus Sustulit ipse prior

COMMINVS, *statim, sine intermissione.* Georg. 1, 104

COMMISSVM, *peccatum,* Aen. 1, 140. posthac non simili poena *commissa* luetis. *scil. tali, quali nunc, verborum obiurgatione sola.* Seruius *ad h. l. nugatur.*

COMMITTERE, *exquisita latinitate de partibus coniunctis, coagmentatis.* Aen. 3, 428. postrema immani corpore pistrix Delphinum caudas vtero *commissa* luporum. *Sic et apud* Ouidium cf. Part. 2. Clauis l. Sectionem, *in hac voce.* * ludos, *propria locutio:* committi gladiatores *dicuntur, cum par cum pari certat, pugnaturus sistitur. Hinc* Aen 5, 113. Et tuba *commissos* medio canit aggere ludos. *vide hoc vocab. in Claue Cicer.*

COMMOVERE sacra, Aen. 4, 302. Qualis *commotis* excita sacris Thyas. *Quot interpretes, tot fere explicationes. Alii ita intelligunt, vt* commotis sacris *hanc vim habeat „simul atque templa aperta sunt, quod veteres hoc vocabulo vti soliti fuerunt tum, quum templa aperta fuerint sacrificandi causa. Alii melius explicant per „commotis imaginibus Bacchi, et ab hac interpretatione, haud intelligo, an sit recedendum. Quis enim nescit, bacchantes simulacrum Bacchi orgiis circumtulisse, ad quem ritum respic.* Hor. od. 1, v. 12. Non ego te candide Bassareu inuitum quatiam.

COMPONERE arma *dicuntur in pace; hinc* noue et audacter *de rege pace fruente* Aen. 1, 253. placida *compositus*

pace quieſcit. *ſcil. compoſitis armis, et compoſitis, ordinatis omnibus imperii rebus.* * diem veſper *dicitur, quia finit, et quaſi ſepelit, quod eſt, vt ſciunt docti*, componere. Aen. 1, 378. Ante diem clauſo *componet* veſper olympo. Olympus clauſus *eſt tectus tenebris, ereptus oculis.* cf vers. 159. * *bene de eo, qui inſtituit homines, a feritate ad manſuetiorem vitam traducit.* Aen. 8, 322. Is genus indocile (*indoctum, rude*) ac diſperſum montibus altis *Compoſuit*, legesque dedit. *Sic* Cicero *etiam hoc verbo vſus Rhetor. I.* feros adhuc homines magni cuiusdam viri oratione *compoſitos.*

COMPOSITO, *pro frequentiori* ex compoſito. i. *ex pacto, ſiue potius, ex tacita conſenſione.* Aen. 2, 129. *Compoſito* rumpit vocem et me deſtinat arae.

CONCEPTVS, i. e. *placitus, animo praedeſtinatus.* Aen. 12, 158. Aut tu bella cie, *conceptumque* excute foedus.

CONCIDERE Georg. 2, 260. magnos ſcrobibus *concidere* montes. *poëtice: ſcrobres crebros facere in ea terra.*

CONCILIARE, *benignum, clementem reddere*, Aen. 1, 82. Tu mihi quodcunque hoc, qui tu ſceptra Iouemque *concilias; tu mihi das ſceptra mea, et reddis clementem Iouem.*

CONCIPERE, concipe foedus. i. e. *conceptis verbis rem tranſige et formis.* Concepta *autem* verba *dicuntur de iurandi formula.* Aen. 12, 13. Fer ſacra pater, et *concipe* foedus, * furias, Aen. 4, 474. Ergo vbi *concepit* furias euicta dolore. *furere incepit.*

CONCVRRERE, video concurrere. *Pro concurſurum eſſe, licet, quaſi Dea, bene praeſenti vſa ſit tempore, quae etiam futura cernebat.* Aen. 12, 149. Hunc iuuenum imparibus video *concurrere* fatis.

CONCVSSVS, *triſtis, perterritus.* Aen. 4, 666.

con-

concussam bacchatur fama per vrbem.

CONCVTERE, *eleg.* Aen. 12, 147. Non sic immissis aurigae vndantia lora *concussere* iugis, pronique in verbera pendent. *vide Vndare. suauiter:* proni pendent in verbera: *pingitur enim res, et quasi* sublime flagellum *tenentem, et ad caedendum se paullo incuruantem videre videmur.* * Aen. 7, 338. foecundum (*malitia*) *concute* pectus. *eleg. expro me quaecunque possis artium malarum. Sic Cicero quodam loco:* excute mentem tuam.

CONDERE Ecl. 6, 7. *tristia condere* bella, *de poëtis.* * *eleganter*, qui *totos dies cantando consumit* Ecl. 9, 52. longos cantando *condere* soles *dicitur*; καταδυσασθαι. * *cum breuiloquentia* Aen. 9, 38. Ingenti clamore per omnes *condunt* se Teucri portas, et moenia complent. i. e. *se concludunt, non erumpunt vrbe. vide seqq. sparguntur* | *per portus castrorum, sed ita, vt ne erumpant;* Moenia *hic* vallum *significant.*

CONFERRE gradum, i. e. *coire* Aen. 6, 483. luuat vsque morari Et *conferre* gradum, et veniendi discere causas.

CONFIERI, *fieri.* Aen. 4, 116. Nunc qua ratione quod inflat, *Confieri* possit.

CONFVNDERE, *proprie de fluuio se fundente in alterum, et cum eo se commiscente.* Aen. 3, 696. qui nunc (*fluuius Alpheus*) ore Arethusa tuo Siculis *confunditur* vndis. *Expressit hunc versum et omnem de Alpheo et Arethusa fabulam elegantissimus Voltairius in quodam loco.* cf. Georg. 4, 344. et Ouid. Metam. lib. 13.

CONGERERE, *absolute, de auibus, pro nidum construere.* Ecl. 3, 69. locum, aëriae quo *congessere* palumbes.

CONIVRATVS Georg. 2, 497. *Coniurato* descendens Dacus cum populis Histro *adiacentibus et secum sociatis.* Descendere *de Dacis visitatum, qui montium iuga trans*

Hi-

Hiſtrum incolebant. καταβαινειν *e ſacris litteris nemini ignotum.*

CONIVX, *amica in coniugium deſtinata. Amata.* Ecl. 8, 18. * *amator, ſeu amatus.* Ecl. 8, 66.

CONSCIVS Aen. 4, 519. Teſtatur moritura Deos et *conſcia* fati ſidera. *Haec vltima verba ad opinionem nec noſtris temporibus plane depoſitam reſpiciunt, quod ex poſitu ſiderum, quid cuique acciderit, cognoſci poſſit.*

CONSIDERE luctu *bene vrbs dicitur, quae eo pene oppreſſa, demerſa* Aen. 11, 350. Lumina tot cecidiſſe ducum, totamque videmus *Conſediſſe* vrbem luctu. Cerda *ad habitum lugentium reſpici iubet, de quo plurima profert. Dubito ego vero ei aſſentiri. Ceterum nota, totam orationem Drancis perſona ſua dignam eſſe, audacem, efferam, et lingua prolatam niſi* ventoſa, *vt eſt verſ.* 390. *tamen, arroganti, et loquaci.*

CONSISTERE Aen. 1, 647. Neque enim patrius *conſiſtere* mentem paſſus amor, *quietum, tranquillum eſſe.* * *ponere ſedes* Aen. 8, 10. Latio *conſiſtere* Teucros Aduectum Aeneam claſſi, victosque penates Inferre. *Alii legunt* conſidere; *minus bene.* Conſiſtere *notat non modo eos poſt errores varios in Latio ſedes cepiſſe, ſed iam ſe compoſuiſſe ad armis et bello eos defendendos.*

CONSORS Aen. 10, 906. Et me *conſortem* nati concede *ſepulchro, me eandem nactum ſortem.*

CONSTERNERE; *elegantiſſime vt hoc vocabulo corporis magnitudo exprimatur.* Aen. 12, 543. Te quoque Laurentes viderunt Aeole campi Oppetere, et late terram *conſternere* tergo. * *concutere,* Aen. 4, 444. *Conſternunt* terram concuſſo ſtipite frondes.

CONSVLERE, *noue, puto, pro* cauere, prouidere Aen. 9, 322. Tu ne qua manus ſe attollere nobis A tergo poſſit, cuſtodi, et *conſule, cir-*

circumspice prouidus, longe.

CONTEXERE, *de machina artificiose compacta; vt de equo Troiano.* Aen. 2, 112. trabibus *contextus* acernis - Equus.

CONTIGVVS, *qui tangi potest, intra iactum teli positus.* Aen. 10, 457. Hunc vbi *contiguum* missae fore credidit hastae.

CONTINGERE *pro* continguere, tinguere. Georg. 3, 403. Lac parco sale *contingunt* hiemique reponunt. *Negatur hic* Seruius *in* parco, *dum pro* seruatore *positum esse putat, nam et homo frugi, addit, vocatur* parcus. *Nimium* salis, *reprehendit* Columella 7, 8. *Caeterum quod dici ad h. l. de inconstantia poëtae possit, videas sub* Premere. Georg. 3, 448. tristi *contingunt* corpus amurca.

CONTRACTVS, *proprie de frigore.* Georg. 4, 259. Ignauaeque fame et *contractae* frigore pigrae. *Vid. pars I. Indicis. in voc.* Contractus, *vbi et aliam lectionem concinniorem dare experiebamur.* Contracto frigore *per translationem poëticam interpretantur alii, vide* Heynium. *Nos, cuique suum*, statuimus.

CONTRAHERE viros, *colligere.* Aen. 3, 8. Incerti quo fata ferant, vbi sistere detur, *contrahimus*que viros. Aen. 12, 89. Verte omnis tete in facies, et *contrahe* quidquid siue animis siue arte vales. *Indicatur hostilis iracundia.*

CONVECTARE, *verbum quo primus poëta vsus videtur* Aen. 7, 749. *Conuectare* iuuat praedas et vinere rapto. *Adde* Aen. 9, 613. *vbi tamen multi legunt:* Comportare iuuat praedas et viuere rapto.

CONVERTERE fugam clamore. i. e. *redire cum clamore, sicut in exercitu solet fieri.* Aen. 12, 252. *Conuertunt* clamore fugam, mirabile visu.

CONVEXVS, *curuus.* Aen. 1, 314. classem in *conuexo* nemorum, sub rupe cauata Arboribus clausam circum et horrentibus vmbris Occulit. *rupes cauata est* spelunca.

Ita

Ita et Aen. 11, 515. Furta, (Insidias) paro belli *conuexo* in tramite siluae Vt biuias armato obsidam milite fauces. conf. vers. 522. *vbi* conuexus trames *describitur. Est curuo anfractu* vallis, accommoda, fraudi Armorumque dolis. * Aen. 1, 612. In freta dum fluuii current, dum montibus vmbrae Lustrabunt *conuexa* valles; *dum vmbrae e montibus circuibunt, circumdabunt valles. Adsunt etiam variae lectiones, sed non dignae, quae accipiantur. cf. vocab.* Lustrare *et* Pascere. * conuexa *de coelo saepius apud Virgil., sed adiecta voce* supera Aen. 10, 251. Tum breuiter *supera* adspectans *conuexa* precatur.

COPIA, *in singulari de* manu militum Aen. 2, 564. quae sit me circum *copia* lustro. *vide* Cortium ad Sallust. Catilin. 56.

COQVERE Aen. 7, 345. Foemineae ardentem curaeque iraeque *coquebant. Sic et* Cic. de Senect. c. 1.

CORNIGER. *epithet. Solemne Deorum fluuiorum: causae plures produntur; mihi ea placet, quam affert* Aelian. Var. Histor. 33. libr. 2. *apud veteres coli soliti fluuii, partim boum forma, partim humana. vide ad h. l.* Perizon.

CORNV antennarum, *noua translatione.* Aen. 3, 549. *Cornua* velatarum obuertimus antennarum. velatae antennae *dicuntur, et quidem extremitates,* cornua, *quia vela circumligata,* obuertimus terrae, *adeoque discedimus.* cf. Aen. 5, 832.

CORONA Aen. 4, 418. Puppibus et laeti nautae imposuere *coronas. Multi* funium coronas *accipere voluerunt, quoniam funes in* coronae *formam,* quoties *nauigaretur, componi solerent. Haec vero non video. Vox* laeti *de nulla re nos cogitare iubet, quam de illis solemnibus laetitiae signis.*

CORONARE, Georg. 2, 528. fususque per herbam ignis (*ara cum igni*)

vbi

vbi in medio et ſocii crätera *coronant*. Coronace, επιςεφειν Hom. Iliad. A. 470. κυροι μεν κρητηρας επεςεψαντο ποτοιο. *de poculis, vt et hic explicant* Cerda *et alii, in libaminibus et conuiuiis. Sic et* Aen. 1, 728. Crateres magnos ſtatuunt, et vina *coronant*; *et* Aen. 7, 146. Crateres laeti ſtatuunt, et vina *coronant*. *Sed quid ſit* coronare vina *quaeritur, ſiue intell.* adeo plenos crateras *vino fundunt, vt quaſi corona vini ſuperſtet in cratere, ſiue, ſimpliciter, floribus circumdant pocula, cingunt; quae poſterior explicatio mihi verior videtur. ſuſtentatur enim tum* gemmis *antiquis* cf. Klotzii librum: Ueber dem Nutzen und Gebrauch der alten geſchnittenen Steine. pag. 107. *tum aliis pluribus locis. Dubitationes quidem protulit multas et de vino* exſuperante labra *poculi explicuit vir doctus. vide* Neue Bibliothek der ſchön. Wiſſenſchaft. und der fr. Künſte B. VII. St. I. pag. 83. *ſed nihil aliud niſi effecit, vt doleam fines huius libelli non caperè vberiorem de ea re diſputationem. Quae loca attulit ex* Athenaeo, Suida *et* Heſychio, *ea nil profectò probant, namque ſunt eae ipſae explicationes eorum temporum, quae auctoritatem claſſicam non habent. Quot* falſa, *ridicula, praue explicata inuenerunt iam et reprobarunt* Caſaubonus et *alii docti viri in his auctoribus! Quis eſt qui falli non poſſe* Heyſchium et Athenaeum *credat? Quae verò loca veterum auctorum afferuntur* ad *probandam ſententiam ſuam, ea ita me amet Apollo, pro nobis magis pugnant, quam contrà nos. Putat vir doctus rem claram fieri ex* Aen. 3, 525. *bene eſt, accipio omen. En locum!* Italiam laeto ſocii clamore ſalutant. Tum pater Anchiſes magnum cratera corona Indnit (*Haec de vera corona florum*

ſerta

ſerto intelligenda eſſe ipſe vir doctus non negat) impleuitque mero diuosque vocat. *Haec verba dicit priora explicare,* το implere mero *eſſe idem, quod* corona induere; *ſerio haec eum dixiſſe non putauerim, talem* tautologiam *quaeſiſſe in Virgilio non poſſum a me, vt credam, impetrare. Ridiculus totus locus eſſet, et ita intelligendus:* corona induit Aeneas cratera, hoc eſt, vt ſciatis poſteri, mero impleuit. *Minime! ſenſus eſt facilliimus:* corona, ſerto florum cinxit cratera; *deinde infudit vinum.* implere vino cratera *non eſt, ita implere vt exſtet quaſi corona, et ſuperet labra poculi. Vidiſſe ipſe malam ſuam cauſam videtur vir doctus, adeoque tandem ſtatuit, vtrumque eſſe coniungendum, et* επιστεφειν, coronare vina, *intellig. infundere in cratera cinctum corona tantum vini, vt attingat illam coronam. Noua hercle ſed nulla niſi noua explicatio. Quidni et in his explicationibus* Heſychium *ſecutum eſſe et* Athenaeum *vulgarem falſam opinionem ſtatuamus? Duo illa loca nihil efficere contra auctorum veterum elegantiam poſſunt, quae pereat aut imminuere tur, ſi ea ſequeremur. praeterea ſciunt docti hos auctores ſe ſaepius compilaſſe ipſos, minusque adeo eis fidendum eſſe. Nolo ego lectionis copiam oſtentare; nec afferre plurima talia loca, quae diſertiſſime noſtram explicationem probant ille ipſe, quem primum poſuimus,* locus Georg. 2, 528. *adeo clarus eſt, vt nihil ſupra eſſe poſſit.* fuſi per herbam coronant cratera *Quod vero arbitratur vir doctus* loc. cit. p. 84. *illam* coronandi pocula *ritum ad libationes neceſſarium fuiſſe, in eo vade erarat, namque ipſe ille ritus non ſacer fuit, ſed tamen adhibitus etiam in re ſacra.* Horat. od. 3, 13, 2. *ad fontem* Banduſiae:

dusiae: O fons Bandusiae, *ait*, splendidior vitro, Dulci digne mero, non sine floribus; *i. digne et qui miscearis vino, et qui* florum sertis *cingaris. Sunt et innumera alia loca, quae ostendunt, ille mos tantum abesse vt sacer et necessarius fuerit, vt potius in conuiuiis quibuscunque laetis valuerit. Dixi iam plura quam volui, reseruans plura quam dixi alii tempori.*

CORRIPERE *eleganter* Aen. 11, 585. *de Camilla.* Vellem haud *correpta* fuisset Militia tali, conata lacessere Teucros. *Exprimit vocab.* corripere *h. l. improuisum facinus et damnum, praecipitatam caedem hoc bello, et vim fati quae* arripuit *eam illigatam subito huic* militiae.

CORTINA Phoebi. i. e. *oraculum Apollinis* Aen. 6, 347. Neque te Phoebi *cortina* fefellit.

CORVSCVS, Georg. 1, 328. Pater *coruscа* fulmina molitur dextra. Coruscа manu *Seneca et Horatius* rubente dextra. *Ac sic melius coniungitur verbum, quam si* coruscа fulmina *legeres; nam fulminis rubor ipsam manum Iouis illuminabat.* conf. Heynium, *bene autem* molitur, *parat.*

CRATES Aen. 7, 632. Tegmina tuta cauant capitum, flectuntque salignas Vmbonum *crates.* Tegmina tuta *ab effectu, vt saepius, quae tutos praestant; de galeis bene* cauare. Flectunt crates &c. *est, ex salice sibi scuta compingunt, quam arborem flectunt ad formandos vmbones. Scuta e cratibus notissima sunt.* Heins. *pro* tuta *legit* suta; *pessime.*

CREBRESCERE, *suauissime* Aen. 3, 530. *Crebrescunt* optatae aurae portusque patescit Iam propior. *Eleganter etiam* patescit. *vide* patescere.

CREPITARE, *eleg. de sonitu pulsantium se inuicem caestibus et ictibus,* Aen. 5, 436. duro *crepitant* sub vulnere malae. knirschen *Vnde metaphora ducta, docet com-*

paratio illa paulo abhinc Aen. 5, 458. quam multa grandine nimbi culminibus *crepitant*. sic densis (*multis*) ictibus heros Creber vtraque manu pulsat verſatque Dareta. * *Eleg. de vento placido, lene murmur efficiente* Aen. 3, 70. lenis *crepitans* vocat Auſter in altum; *non legend.* lene crepitans. *Saepius ita duo epitheta, inprimis, ſi vnum eſt participium, coniunguntur.*

CREPIDO Aen. 10, 653. Torte ratis celſi coniuncta *crepidine* ſaxi Expoſitis ſtabat ſcalis. Coniuncta crepidine, *pro* crepidini. *Eſt vero* crepido celſi ſaxi, *vel abrupti ſaxi alitudo, vel* λιθος ſ. ἑυνη, *lapis, e quo eſt nauis alligata, vide* Geſner. ad Orph. Argon. 490.

CRIMEN: *inſolenter quod Troiani in Italia conſederunt commune* Crimen, i. e. *omnium Latinorum, vocatur.* Aen. 12, 16. Et ſolus ferro *crimen* commune reſellam. *Malim ego vero* crimen *h. l. de* Aenea *ipſo intelligere, qui ideo* crimen *dicitur, quod ſcelera agitat, eripere ſponſam Turno, imperia Italis &c. conſtat ſubſtantiua plura ea ratione vſurpari, in obiurgationibus, vt,* negotium peſſimum *apud* Terentium, ſcelus, *&c.*

CRINITVS, *epithet. Apollinis* Aen. 9, 638. Aetheria tum forte plaga *crinitus* Apollo Deſuper Auſonias acies vrbemque videbat. Cerda *reſpondere putat hoc vocab. graeco:* ἀκεσεκομης. h. e. *intonſus. Epitheton vero illud* crinitus, *ex* Ennio *duxit, qui in* Alcmaeone, intendit, *crinitus* Apollo Arcum.

CRISPARE *pro* vibrare; *noue* Aen. 1, 317. Bina manu lato *criſpans* haſtilia ferro. *repetitur ille verſus.* Aen. 12, 165. Bina manu lato *criſpans* haſtilia ferro. *occurrit haec vox et alibi*

CRISTATVS, *epithet. Achillis, ſecundum Homerum, qui dicit in Achillis criſtis terribile quiddam fuiſſe* Iliad. τ, 380. περι δε τρυφαλειαν ἀνειρας κρατι-

θετο

Θετο βριαρην, ἡδ' ἀσπὶς ὡς ἀπελαμπεν, ἱππειρις τευφαλεια. Aen. 1, 472. inflabat curru *cristatus* Achilles.

CRVDVS, *durus, de coestu* Aen. 5, 69. *Cruda* fidit pugnam committere *coestu*. * *crudelis, siue potius cruentus.* Aen. 10, 682. *crudum* per costas exigat ensem. *vide* h. v. in I. Parte Glauis.

CVIVM, *obsoleta vox.* Ecl. 3, 1. Dic mihi, Damoeta, *cuium* pecus.

CVLMEN Aen. 2, 290. Hostis habet muros: ruit alto a *culmine* Troia. *Bene ad h. l.* Burmannus *illum Homeri notauerat* Iliad. N. 773. Ὠλετο πασα κατ' ἀκρης Ἰλιος αἰπεινη. *quem imitatus certissime Virgilius est; sed inde legendum mihi, vt iam video Burmanno in mentem venisse, videtur* alta *pro* alto, *vt respondeat voci* αἰπεινη *et* a culmine *esset* κατ' ἀκρης. *abundanter alioquin dictum* alto a culmine. *accedit similis ille locus* Aen. 2, 603. Diuum in clementia diuum Has euertit opes, sternitque a *culmine* Troian. * Aen. 4, 671. Flammaeque furentes *culmina* perque hominum perque Deorum. *domos et templa.*

CVLPA, *de vitio, morbo, non infrequens.* Georg. 3, 468. Continuo *culpam* ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia vulgus. i. e. *caede pecudem, ne malum diuulgetur. Talia monenda sunt, ne nugis Seruii aut Cerdae forte immoreris.*

CVM *comitatem habet,* Georg. 1, 389. Cornix plena pluuiam vocat improba voce Et sola in sicca *secum* spatiatur arena, *se ipso quasi comite contenta.* Georg. 4, 465. Te dulcis coniux, te solo in littore *secum*, te veniente die, te decedente canebat. * Ecl. 2, 12. At *mecum* raucis — resonant arbusta cicadis. i. e. *me etiam cantante, vt optime* Burmannus coll. Georg. 1, 41. Georg. 2, 8. *Dirimi volebat* Hein-

sius. Nemesian. Ecl. 4. *expressit locum. Solus* cano, me sonat omnis silua, nec aestiuis cantu concedo cicadis. * *ambiguus locus* Georg. 2, 424. Ipsa satis tellus quum dente recluditur vnco Sufficit humorem et grauidas cum vomere fruges. *Alii* cum *retrahunt ad* recluditur. cum recluditur, *dure! Seruius redundare* cum *putat, vt in illo apud Ennium* Effundit voces proprio *cum* pectore sancto. *Alii* cum vomere *explicant* adhibito vomere, *tale apud Plinium* Ep. lib. 2. Ep. 19. quae scripsimus *cum* labore, *cum* labore etiam audiri putamus. Vrbanus, *quem* Seruius *citat, explicat* grauidas cum vomere, *statim post arationem. Equidem puto,* dente recluditur vnco *non diuersum esse ab eo, quod exprimit* vomere; Heynius *aliter sentit.* Vomere *igitur arationem innuit, cum subigitur terra, vt inserantur oliuae,* cum eo, *nulla accedente alia cura aut opera illas dat grauidas fruges, vt oliuae frugibus iam abundent. Comparat* Oliuetum *cum* viueto, *cuius cura infinita.* cf. 397. sq.

CVMAEVS Ecl. 4, 4. Vltima *Cumaei* venit iam carminis aetas. *Sunt qui de carmine Hesiodeo, nam ille Cumis oriundus, patre* Dio, *haec dicta sumant, inter quos de vetustioribus nonnulli, sed et recentiores aliqui. At repugnat, ne singula asseramus, omne consilium poëtae, in hac Ecloga expositum. De cumana vero Sibylla rectius intelligetur, quae post quatuor saecula παλιγγενεσιαν futuram cecinisse fertur, cuius carmen aliquod tunc superfuisse probat* Heynius, *vnde talia vaticinia passim vulgata arripere potuisset Virgilius. Haec itaque laeta auguria, pro more poëtarum maxime solito exornat iucundis imaginibus, a terra, a frugibus, a grege ex ipso etiam Hesiodo petitis. In hoc enim seruat pasto-*

pastoritium sonum atque colorem huius eclogae, quae alias paullo maiora canit, quam quae ferat pastoritium ingenium, vt quantum possit, felicem terrae mutationem e sensu pastoris exprimat, talemque vitam referat. Legenda tibi sunt, quae accommodate ad nostrum locum de carmine buccolico in vniuersum, et de Virgilianis eclogis proprie, more suo, hoc est optime exposuit Heynius, *in Commentatione, eclogis ipsis in nupera editione earum praemissa: de nonostra ecloga accuratius disserit* pag. 201. *Laetam itaque rerum immutationem futuram canit, quae esset,* vltima *Cumaei* carminis aetas. h. e. *quae indicata a Sibylla in praesenti temporum ordine vltima erat futura, et integrum ordinem restitueret ita tamen, vt nunc inuerso ordine a ferrea aetate iamiam fere transacta ad ferocia et Saturnia Secula rediretur.* vid. vers. 8. 13. 16. 38. seqq. *tunc reditura quoque virgo S. Iustitia, Hesiod. opera* 195. sq. Senec. Octauia Act. 2, 21. 46. sqq. *De ipsa vero huius eclogae interpretatione, quod maxime tempus his imaginibus adumbrauerit poeta, et cuius quasi sit carmen Genethliacum putandum, scire eorum hic nihil interfuturum esse arbitror quibus scribimus, nec capit disputationem de ea re instituendam hic libellus; et nimis multae sunt interpretationes quarum quasdam valde esse temerarias credent, si cognouerint plures, inter quos nobis Cerda tantum nominandus, expressa hic vaticinia inuenisse de felici temporum statu post Christum hominem emersuro. Sed data est in vaticiniis explicandis mira licentia. Innuemus modo, quod verisimillimum sit, et ad quae respexerit solum Virgilius, temporis momenta, vt ea, quantum probabiliter potuit, exposuit* Heynius

nius *in argumento huius eclogae. Referenda ea ad illa tempora, quibus post miserrimos ciuici belli tumultus pace Brundisii inita inter Antonium et Octauium, non sine Pollionis cura huic quoque rei praestita* (Dio. 47, 28.) *hi illi principes data quasi in restauratae beneuolentiae pignus Antonio Octauia, Octauii sorore, firmare iam securitatem toto terrarum orbi videbantur. Hanc rem, vt caneret poëta, sed αλληγορικως, quod quidem tutius esset, commodum ipsi argumentum praebuisse videbatur ipsa Octauia, pacis quasi restauratrix, quae cum grauida e priore marito, Antonio nupsisset, spem dabat, fore, vt natus ex illa puer sub principis vtriusque auspiciis, regnum antea diuisum cum summa felicitate regnaret. Sed iam oriuntur in illa historia difficultates quaedam vix expediendae, in quibus a nonnullis quoque versus* 10. tuus jam regnat Apollo, *habendus. Sed Seruii ratio sequenda, qui eo vltimum seculum indicari putat, quo secundum Sibyllam, Sol erit regnaturus. Cogitare vero licet, poëtam agere pro more, h. e. rem semel apte arreptam ita illustrare, vt ingenio magis et verisimilitudini, quam ordini rerum tribuat. Carmen vero cusum Consule Pollione probauit Heynius in vita Virgilii Anno V. C. 714. in huius Pollionis laudem itaque Virgilius haec canebat, siquidem in eius consulatu cf. vers. 11 eiusque opera illa felicitas successura videbatur. Longius fuit dicendum de argumento eclogae quartae, si modo hic non deesse desiderantibus, in carmine vexatissimo volebamus.*

CVMVLATVS: venia cumulata, *magna.* Aen. 4, 435. Quam mihi cum dederis *Cumulatam. Est tanta series interpretationum, vt, si enumerare velim, ne vna quidem plagula sufficeret. Alii* cumulatam *ad mortem*

tem referunt, vt legatur: Quam mihi cum dederis, cumulata morte, relinquam. *Sed qui ſanior ſenſus inde efflorescit? Alii aliam in medium proferunt, et quidem tam artificioſam, vt vix intelligatur. Mea interpretatio nititur eo, quod ſaepius beneficiis* cumulare *dicatur, quod eſt nil niſi cumulum quaſi beneficiorum in aliquo conſtituere. Quoniam itaque hic ad beneficia vocem* cumulare *videmus ſpectare, quid impedit, quo minus* cumulatus *per* magnus *explicemus?*

CVNCTARI, *de eo quod validum eſt et grauidum* Georg. 2, 236. glebas *cunctantes* craſſaque terga exſpecta. *Eleganter; vox enim illae cedent vomeri.* Sic Aen. 6, 210. auidusque refringit *cunctantem.* * *eleganter* Aen. 8, 388. Dixerat (Venus) et niueis hinc atque hinc Diua lacertis *Cunctantem* amplexu molli mouet. *Praeclare ἦθος exprimit. Cunctatur, dubitat, tergiuerſatur maritus aſper Vulcanus, at Venus aurea, vxor* amplectitur eum — et niueis lacertis — fouet — molli, *amabili* amplexu. — *Quid inde aliud ſequi poterat niſi*: Ille repente accepit ſolitam flammam: notusque (*bene* notus!) medullas intrauit calor et labefacta per oſſa cucurrit. * *digredi, permeare* Aen. 10, 717. Ille autem impauidus partes *cunctatur* in omnes, Dentibus infrendens, et tergo (*ſcuto*) decutit haſtas.

CVRA, *dolor, morbus.* Georg. 3, 539. Nec gregibus nocturnus obambulat (*lupus*) acrior illum *Cura* domat. * *amor.* Aen. 4, 1. At regina graui iam dudum ſaucia *cura. Atque ſaepius in hoc libro hanc vim huius vocis reperimus vt* L. 5, 488. et 331. *et aliis locis.* * *conſilium, Proiect.* Aen. 4, 341. et ſponte mea componere *curas.*

CVRRVS Iunonis Aen. 1, 21. Hic illius (*Iunonis*) arma (*haſta*) Hic *currus*

fuit. *respicit currum Iunonis descriptum apud* Homer. Iliad. E. vers. — *quo vtitur saepius apud hunc poëtam.* conf. Valer. Flacc. 5, 184. *et* Statii Theb. 13, 298. *Ibi in vrbe Carthaginensi dicit poëta fuisse currum Iunonis, h. e. ibi habitasse; sed viderint doctiores an bona h. l. sit inuentio, currum Iunonis in vrbe Carthaginensi collocare. Mihi, non diffiteor, non satis placet. Quid enim sibi vult currus in illa vrbe? Quod si ibi Iuno habitat, non currus ibi tamen, sed in Olympo potius esse debet; sed relinquo dubitationem viris, quos dixi, doctioribus, praesertim* Heynio. * *equi, qui sub curribus sunt.* Aen. 12, 287. infrenant alii *currus*, aut corpora Saltu subiiciunt in equos. cf. ad h. l. Georg. 1, 514. Fertur equis auriga, neque audit *currus* habenas.

CVRVVS, *cauus, de opere fornicato ducta locutio* Georg. 2, 216. *Curuae* latebrae. *plura dicenda sunt de illo loco, sed conf.* Scaber.

CVSTOS Georg. 4, 110. *Custos* furum atque auium Priapeus. i. e. qui custodit et defendit hortos ab iis.

CYLLENIVS ignis Georg. 1, 337. *stella Mercurii, hic enim Cyllenius, quia natus in illo monte.* * Cyllenia proles Aen. 4, 260.

CYMBIVM, *poculorum genus, cymbae simile, oblongum, forma angustum.* Aen. 3, 66. Inferimus tepido spumantia *cymbia* lacte. *de more in tali re. Bene* Inferimus, *quod proprium verbum; vnde* inferiae *dictae*: lac tepidum et spumans *est* lac nouum recensque expressum, *cuius in inferiis etiam solemnis vsus. Occurrit hoc poculum idem apud Virgil.* Aen. 5, 267. Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis. *Si plura de iis poculis quaeris,* cf. Maccob. Saturn. 5, 21. *qui ista* cymbia *fusius illustrat.*

D. DAE-

D.

DAEDALVS, *epithet. Circes*; ingenioſam *explicant interprett.* daedalam. Aen. 7, 282. patri quos *Daedala* Circe Suppoſita de matre nothos furata creauit.

DAMNARE votis; *cum eleganter ſaepius dicatur de eo, qui preces audit, et ad vota, quae ſuſcipiebant precantes, ſoluenda eos obligat, pulchre* Ecl. 5, 80. Vt Baccho, Cereriqne, tibi ſic vota quotannis Agricolae facient: *damnabis* tu quoque votis, *pro tibi, Daphni, diuinus honor dabitur, tuque res hominum curaueris.* Sic etiam Aen. 12, 727. Quem *damnet* labor et quo vergat pondere letum, *intelligo, quem voto liberet labor proeliandi, parta ſcilicet victoria; nam ob incolumitatem votis exſoluitur. Alii interpretantur: quem labor ſuus liberet, amor vrgeat. Sunt qui voc. labor de militia intelligant; non male. ſenſus tum eſſet: quem militia votis damnat; dat vota.*

DARE, *de eo, qui ediſſerit, docet.* Eclog. 1, 19. Iſte Deus, qui ſit, *da*, Tityre, nobis. *Inde eſt etiam pro* inuenire. Georg. 3, 115. Freta Pelethronii Lapithae, gyrosque *dedere* Impoſiti dorſo. *docuere* equos in gyrum flectere, gubernare frenis. * dare ſe, *concedere, ad voluntatem alterius ſe inclinare.* Georg. 1, 287 Multa adeo gelida melius ſe nocte *dedere, dare ſolent*, i. e. *optime perfici poſſunt; loquitur de rebus, quo quaeque tempore optime ſuccedunt.* * dare quietem, *ſibi* Aen. 8, 30. Procubuit, ſeramque *dedit* per membra quietem. *indulſit defatigatus ſomno.* * dare vaſta loca, *pro* vaſtare, *noue.* Aen. 9, 323. Haec ego *vaſta dabo*, et lato te limite ducam. *Recte* Cerda *hanc vocem inſignem ad omnem ſolitudinem indicandam iudicat; idemque et toto hoc loco inuenit imitationem Homericam, quibus re-*

fertus est Virgilius. lato te limite ducam, *est limitem, i. e. viam, faciam tibi latam ferro meo caedente. vox* limes γεφυρη *graec. respondet.* * *facere* Aen. 12, 453. Horrescunt corda agricolis: *dabit* ille ruinas arboribus. Terent. Eun. 4. 3. 2. Quas turbas *dedit.* et ipse Lib. 2, 482. Et ingentem lato *dedit* ore fenestram. * *concedere* Aen. 4, 140. Sed non ante *datur* telluris operta subire. * dare se super quem; *de ea qui se post aliquem interfecit.* Aen. 4, 606. natumque patremque Cum genere exstinxum *memet super dedissem.* * dare se, *suppetere.* Aen. 4, 627. Nunc olim quocunque *dabunt se* tempore vires.

DE Aen. 2, 662. aderit multo Priamo *de* sanguine Pyrrhus. *reuersus e sanguine aderit hic.*

DEBERE Ecl. 8. 93. *Debent* haec pignora Daphnim. *Eleganter! Habebat, vestes Daphnidis illas, dum sub limine condit, eam per magicam artem, vult illuc adtrahere vel inuitam. sic tulit communis opinio.*

DECEDERE: *singularis eius vocis vis est.* Georg. 1, 222. *Si lectio recte se habet, in qua tamen vix variant codices. Ibi pro* oriri *esse positam res ipsa postulat. Locus vero hic:* Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur Gnosiaque ardentis *decedat* stella coronae Debita quam sulcis committas semina. *Occasus Vergiliarum fit Mense Nouembri secundum* Columellam. 2, 8. *tunc fit tritici satio, at tunc coronae sidus non occidit, quod* decedere *diceres, sed potius exoritur,* Colum. 11, 2, 73. III. Non. Octobres Corona incipit exoriri, *vide plura loca apud* Heynium. *Quo facto lectionem nonnulli emendare voluerunt, vt* discedat, descendat, succedat *legerent; potuissent* et procedat; *sed omnia sine auctoritate. Attamen* decedere *frequenter de occasu; vide ipsum*

Vir-

Virgilium Georg. 4, 466. Te veniente die, te *decidente* canebat. *Hanc itaque difficultatem dirimere iam* Seruius *ita voluit, vt de heliaco ortu sideris intelligeret, quo radiis solis offusa tandem se emergit stella, vt videri possit; ita explicant post eum omnes. Sed dura est locutio, vt fatetur* Heynius *quoque, ex eo forte aliquantum mollienda, quod et absolute* decedere *dicitur pro* decedere de via, *cum quasi ardens coronae stella fugit solem, quo fit, vt hominibus ea quasi exsurgat. Attulit iam* Heynius *commodum locum* Columellae Lib. 10, 52. Expectetur hiems, dum Bacchi Gnosius ardor Aequore caeruleo celeretur (celetur *vulgo*) vertice mundi solis et aduersos metuant Atlantides ortus. *Simile dicit noster* v. 218. auerso cedens canis occidit astro. *Ceterum vnde sidus illud* Coronae *nomen acceperit, notum e fabulis, vid.* Seruium; *inde et* Gnosia i. e. *Cretensis, nam Ariadnes, cuius corona fuit Minois, regis Cretae filia.* Stellam *vero vocat poëta totum sidus, ab vna eius stella, quae inter caeteras est luculentissima.* * Ecl. 8, 88. serae *decedere* nocti, *quasi eam fugere, domum repetendo.* id. Georg. 3, 467. Georg. 4, 23. Vicina inuitet *decedere* ripa calori. *h. e. sub vmbram.*

DECEPTVS, *superfluc.* Aen. 4, 16. Postquam primus amor *deceptam* morte fefellit. *Interpretatio* Scaligeri *non est absona „postquam spe perpetui amoris interfecto marito frustrata sum.*

DECVS Ecl. 4, 12. decus aeui, *h. e. aeuum caeteris omnibus praestantius.* * Decus dedit, *i. e. ad ornamentum, vt* Aen. 11. 657. quas ipsa *decus* sibi dia Camilla Delegit. cf. Aen. 12, 83. Pilumno quos ipsa *decus* dedit Orithyia.

DECVTERE, *eleg. propellere* Aen. 10, 718. Dentibus infrendens, et tergo *decutit* hastas.

DE-

DEDVCERE; *qui primi extra Graeciam in aliqua arte inclarescunt laude poëtae, apte illi Musas in suam patriam* deducere *dicuntur. Inde* Georg. 3, 10. Primus ego in patriam mecum (*in* Mantuam) modo vita supersit Aonio (*Helicone*) rediens *deducam* vertice Musas. Rediens *poëtica copia additum. Alii ad id referunt, quod poëta Neapoli scripsisse Georgica in fine librorum (incerto auctore) dicitur.* Burmannus *ad victoriam respici monet.*

DEDVCTVM, *tenue, exile: significatione translata a lana in filum* deducta. cf. Quintil. Lib. 8. cap. 2. Ecl. 6, 5. pascere oportet oues, *deductum* dicere carmen. Ecl. 1. *dicit:* siluestrem tenui Musam meditari auena.

DEFENDERE Ecl. 7, 47. solstitium pecori *defendite* i. e. *a pecore.* cf. P. 1. Indicis in hac voce. Ecl. 7, 6. Huc mihi, dum teneras *defendo* a frigore myrthos, Vir gregis ipse caper deerraverat. *Difficultatem impegit interpretibus, quod dicatur Meliboeus myrthos* defendisse a frigore, *cum tota res, quae narratur, gesta sit tempore aestiuo. Mutarunt alii. Optime Heynius, qui ad Vernum tempus refert eclogam, vbi nocte adhuc premi poterant myrthus, et arbores frigoris impatientes. Neque tanti habenda est illa difficultas, si modo cogitemus; occasionem tantum describi, qui factum sit, vt Meliboeus veniret ad pastores illos. scilicet aliquam sibi operam sumserat, non diligentem adeo, vt stramine aut sarmentis contegeret myrthos, sed quomodocunque tueri eas a vento grauiori moliretur, aut aquam ad radices collectam deducent; huic rei cum esset intentus, ecce caper gregem seduxerat.*

DEFLERE Aen. 11, 59. Haec vbi *defleuit* (i. *cum lacrymis prolocutus est*) tolli miserabile corpus Imperat.

DEFOSSA: *Specus* Georg. 3, 376. *alte fossa, id enim*

enim proprie est defodere.

DEGENER, *exsortes hominum* Aen. 4, 14. *Degeneres* animos timor arguit. *vid.* Arguere.

DEGVSTARE h. l. *leuiter tangere, translate et eleg.* Aen. 12, 376. rumpitque infixa bilicen loricam, et summum *degustat* vulnere corpus. *Stringit corpus propter exiguitatem sanguinis, vnde contra de alto vulnere ait* 11, 804. Virgineumque alte *bibit* acta cruorem.

DEHISCERE Aen. 6, 52. Neque enim ante *dehiscent* attonitae magna ora domus i. e. *Non prius magna vox Deorum in templo voce illa concussa fata enuntiabunt.* * alicui, Aen. 4, 24. Sed mihi vel tellus optem prius ima *dehiscat. Quomodo Seruius hic id callidi, quasi malit cum marito veteri morte coniungi, inuenerit, comprehendere nequeo. Est quidem callida exsecratio, sed illa calliditas sub his non latet.*

DEIICERE coniuge, *noue* Aen. 3, 317. quis te casus *Deiectam* coniuge tanto (*priuatam Hectore*) Excipit? aut quae digna satis fortuna recusat. *Bene* excipit, *cum praecesserit* deiicere. * leto Aen. 10, 319. Immanemque Gyan sternentes agmina claua *Deiecit* leto. *hic phrasis plena, aliis locis modo* deiicere *simpliciter est detrudere ad mortem, occidere,* vt Aen. 11, 833. *Deiecta* crudescit pugna Camilla. *Et ita* deiicere *saepius. Forte etiam illo loco* Aen. 11, *ad rem respicitur: equo vecta Camilla subito prolapsa erat.* conf. vers. 828. seq.

DEMITTERE mentes, *de desperantibus; sicut e contra sperantes aliquid* erigunt mentes Aen. 12, 609. *Demittunt* mentes, it scissa veste Latinus. * Georg. 2, 231. alteque iubebis In solido puteum *demitti.* In solido *est in solo continenti.* Puteus *scrobis.* Demitti *eleganter; demta enim gradatim terra, fundus se quasi subducit.*

DE-

DEMORARI Aen. 3, 481. Quid vltra Prouehor et fundo ſurgentes *demoror* auſtros? *audacter dicit pro, vos demoror, ne ventis vtamini ſecundis.* * Aen. 10, 30. Et tua progenies mortalia *demoror* arma. *Suſtineo; dea mortalium armis interſum.* * Aen. 11, 175. inſelix Teucros quid *demoror* armis? *ab armis, quo minus necem filii mei vindicent.* cf. ſqq.

DENS Saturni, *bene pro* falce. Georg. 2, 406. Ruſticus et curuo | Saturni *dente* relictam Perſequitur vitem attondens. * ib. 423. tellus *dente* recluditur vnco, *ligone, ſarculo. Hinc* Bidens, *quod vide.*

DENSARE *elegant.* Aen. 11, 650. lenta manu ſpargens haſtilia *denſat. denſe, ſparſe iacit; tam multa haſtilia iacit, vt denſa proueniant in hoſtem. Sunt qui legant,* denſent, *pro* denſant. *nec* male! *eſt enim non infrequens vox* denſere *pro* denſare *et codd. addicunt.* * Georg. 1, 419. Verum vbi tempeſtas, et coeli mobilis humor Mutauere vias et Iupiter humidus auſtris *denſat. vide ſub* via.

DENSVS, *frequens* Georg. 4, 347. Aque (*ſic legunt optimi, vt* Ecl 6, 63. *quoque*) chao *denſos* diuum numerabat amores. A Chao, *h. e. ab eo inde tempore, cum Dii adhuc eſſent in Chao, de quo Heſiodus plura.* Georg. 1, 382. e paſtu decedens agmine magno Cornorum increpuit *denſis* exercitus alis, *denſi volantes* Georg. 3, 196. denſus Aquilo, *validus, grauis; eleganter vero addit* Incubuit. *Qualis Hyperboreis aquilo cum* denſus *ab oris Incubuit, Scythiaeque hiemes, atque arida differt Nubila: tum ſegetes altae, campique natantes Lenibus horreſcunt flabris.* Aen. 5, 459. Denſis (*multis*) ictibus heros Creber vtraque manu pulſat, verſatque Dareta. * vir, Aen. 10, 361. Concurrunt: haeret pede pes *denſus*que viro vir. *Comparatio cum ventis, verſibus*

sibus praecedd. ex Homero sumta, sicuti etiam ille, quem posuimus, versus. cf. Iliad. π. 215. ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἐρείδε, κυρυς κυρυν, ἀνερα δ' ἀνηρ. *Sed longe inferior Homero Virgilius. Nam hoc loco non erat densitas, quae sola hoc versu indicatur describenda; sed vis et concursus, qualis est ventorum. Tum* το densus *non bene adest, quod describitur toto versu, neque erat diserte ponendum.*

DENTALE, *pars aratri* Georg. 1, 172. *Huic a stirpe pedes temo protentus in octo Binae aures* duplici aptantur *dentalia* dorso. *Quod nulla certa sit huius loci explicatio, et quam ob causam, diximus iam sub* aures. *Augere rem coniecturis nolumus. Sed audiamus Heyniu m, quem hic instar omnium habebis.* „Dentale, *inquit, est lignum, quod vomerem recipit, cui vomer includitur; sed quomodo* aut duplici *dorso aptari, aut potius ipsum* duplici dorso *esse possit, difficile dictu est;* dorsum quidem *pars dentalis auersa esse debet, cuius forte vtrumque eminet latus, cuiusmodi vomeres Seruius in Italia fere omnes esse ait. Nam* duplex *pro* lato *dictum cum aliis* (*E. gr.* Cerda, *qui huc locum* Georg. 3, 87. *adfert frustra*) *accipere nolim. possunt etiam* dentalia *per appositionem posita videri ad:* binae aures, *vt vtrumque eandem rem, asserculos illos modo dictos,* (*vid.* aures) *significet.* „

DEPASCI, Aen. 2, 215. miseros morsu *depascitur* artus. *Sic et* Georg. 3, 458. Atque artus *depascitur* arida febris.

DEPONERE, *in praemium proponere, collocare in sponsione.* Eclog. 3, 31. Ego hanc vitulam *depono:* tu dic mecum, quo pignore certes? v. 36. *simpliciter dicit* ponere κατα θεινας αεθλον. * Aen. 12, 504. Nec scuta aut spicula densi *deponunt. Ex eo, quod non est factum, quid fieri*

fieri soleat, indicauit, vt supra 130.

DEPOSITVS i. e. *desperatus* Aen. 12, 395. Ille vt *depositi* proferret fata parentis. *Nam apud veteres consuetudo erat, vt desperati ante ianuas suas collocarentur, vel extremum spiritum reddeant terrae, vel vt possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laborauerant morbo.* Statius in Thebaid. Ferte *depositis* opem.

DEPREHENSVS, *de nautis simpliciter pro* periclitanti. Georg. 4, 421. *Depensis* olim statio tutissima nautis. cf. Hor. Od. 2, 16, 2.

DEPRENDERE, *elegantissime!* Aen. 10, 98. Ceu flamma prima cum *deprensa* fremunt siluis, et caera volutant Murmura venturos nautis prodentia ventos. *Praeclara comparatio primorum se attollentium ventorum annunciantium tempestatem cum vario fremitu et adsensu Deorum in concilio agitato, vbi hic illa Veneri, alius et alia Iunoni admurmurat adplausum. Vox* deprensa *suauiter dicitur;* Cerda „*ita egregie dictum, inquit, vt alio synonymo inquines; dicuntur autem venti* deprendi *siluis, vbi quasi arboribus irretiti, et coarctati in siluis fremunt strepitu tenui gracili.*

DEPVLSVS Ecl. 3, 82. *Depulsi* hoedi, *nim. a lacte, sic dicunt depellere foetus.* Ecl. 7, 15. *expresse: Depulsos* a lacte domi quae clauderet hoedos.

DERIGERE, *rigere* Aen. 3, 259. At sociis subita gelidus formidine sanguis *deriguit. ita enim legend., non diriguit, vt ostendit ad h. l.* Burmannus. *ita plura componuntur verba; vide* Deproeliari *in* I. Part. Clauis. *occurrit idem verbum sic vitiose scriptum in edd. libr. vers.* 308. Sic et Aen. 8, 475. *Diriguit* visu in medio, calor ossa reliquit &c. *nam plenus tali et simili phrasi est* Virgilius.

Miror

Miror in Thesauro Gesneri nihil de vera scriptione monitum esse, et dirigere *adeo retentum.* * Aen. 7, 447. Iuueni aranti subitus tremor occupat artus. *Deriguere* oculi; *quod nos dicimus* erstarren.

DERIPERE, *bene, vt pingat rem.* Aen. 3, 267. litore funem *Deripere* excussosque iubet laxare rudentes. *In summa celeritate* anchoralia incidunt, *quo citius nauigare possint, rapiunt,* excussos funes (*sc. nuper tempestate* cf. 196.) *Et ita intellig. etiam locus* Aen. 4, 593. Non arma expedient, totaque ex vrbe sequentur, *Diripient*que rates alii naualibus? *Quomodo naues, quae iam currunt, possunt in naualibus diripi?* Nemo *docuit. Sensus est: nonne mei ciues laxabunt, et soluent naues* meas, *quibus insequantur Aeneam? Ergo lege:* deripient *sc. a terra, ad quam alligatae sunt. Sic etiam legebat* Heinsius.

DESERTVS, *inhabitabilis, vnde nil auxilii sperandum.* Aen. 4, 32. Hinc *deserta* siti regio lateque furentes Barcaei. *Illa regio est Xerolibya.*

DESIDERE *dicuntur naues mersae, aut depressae fluctibus.* Aen. 3, 565. Subducta ad Manes imos *desidimus* vnda. *Plura similia loca contulit ad h. l.* Burmannus.

DESILIRE equo, *moris erat Romani, et significatio reuerentiae, vbi occurrebat aliquis patrono aut magistratui: Hinc* Camilla Aen. 11, 500. *occurrens Turno,* portis ab equo reginae sub ipsis *Desiluit.*

DESINERE Ecl. 8, 10. A te principium tibi *desinet. solitus est in carminibus honos, qui datur fautori, cuius quasi numine adiuti carmen fingere se ostentabant. Imitatus noster* Theocritum Idyll. 17. init. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Διὰ λήγετε Μοῖσαι. cf. Horat. Epist. 1, 1.

DESVPER *singulariter* venire *desuper* vrbi *pro* opprimere vrbem. Aen.

2,47. Aut haec in nostros fabricata est machina muros (cf. Veget. libr. 4. c. 19. *qui Maronem de equo Troiano loqui, vt de Machina oppugnatoria, scribit.*) inspectura domos, venturaque *desuper* vrbi. *venit enimuero* desuper vrbi *machina, quae expugnat, diruit muros.*

DETEXERE, *multum texere et finire.* Ecl. 2,72. Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget vsus, viminibus, mollique paras *detexere* iunco. *Est vero haec vox in iis, quae augmentatiuam vim habent. vid.* Delitigare, parte 1. Indicis. *Postremus huius eclogae versus melius sic legitur:* Inuenies alium, si te hic fastidit, Alexin. *vid.* Heynius.

DEVERTI, *deflectere, se deuertere.* Georg. 3, 293. Iuuat ire iugis qua nulla priorum Castaliam molli *diuertitur* orbita oliuo.

DEVEXVS olympus. *de inclinante quasi die, qui ab Olympo prodit* Aen. 8, 280. *Deuexo* inter ea propior fit vesper Olympo.

DEVINCERE, bella deuicta. i. *finita, superata.* Aen. 10, 370 per vos et fortia facta per ducis Euandri nomen, *deuictaque* bella.

DICARE Aen. 1, 77. Connubio iungam stabili propriamque *dicabo.* Dabo, *explicat Muretus. Bene vero* stabili connubio iungere; *de vxore legitima; et ingeniose tale donum promittit Iuno Aeolo, quia* Dea pronuba *est; quare et* propriam Nympham *dabit, non vt Venus Paridi Helenam, ad quoddam tempus, et connubio stabili iunget. Habent haec verba ἦθος.*

DICTAMNVM, *Herba, quae licet vbique nascatur, melior tamen in Creta est. Haec admota vulneri, in quo ferrum est, extrahit ferrum in tantum, vt animalia apud retam, cum fuerint vulnerata, ad hanc herbam currant eaque depasta, tela corpore dicantur excutere* Aen 12, 412. *Dictamnum* genetrix

trix Cretaea carpit ab Ida.

DICTVS Georg. 3, 6. Cui non *dictus* Hylas puer. *Sic cerries* dicere *pro* canere. *vid.* e. gr. Ecl. 3, 55 59. 5, 2. tu calamos inflare leues, ego *dicere* versus.

DIDERE Aen. 8, 132. Cognatique patres, tua terris *dicta* fama, *diuulgata*, *quasi distributa*, *noue!*

DIES Aen. 11, 425. Multa *dies* (*i. e. tempus vt saepius*) variique labor mutabilis aeui Rettulit in melius: multos alterna reuisens Lusit et in solido rursus fortuna Locauit. *in melius referre graece dict. putat* Cerda.

DIFFERE, *in diuersum locum ferre*, *quasi disponere*, *ita* Georg. 4, 144. Ille etiam seras in versum *distulit* vlmos. *explicat* Philargyrius.

DIFFICILIS, Georg. 2, 179. difficiles terrae, *quae non sunt liberales quasi et munificae*, *sed parcae*, *steriles*. *Eleganter ab hominibus morosis ducta locutio*, *sic statim subiungit*: maligni colles, *eadem vi*. *Alias* frugiferas *vocat faciles*, *liberales*. E. gr. Georg. 2, 323. facilem pecori et patientem vomeris vnci. *h. e. quá pasti grex*, *quaeque arari potest*.

DIGERERE Aen. 3, 446. Quaecunque in foliis descripsit carmina virgo *Digerit* in numerum, atque antro seclusa reliquit *vid.* Numerus.

DIGNOR, *passiue*. Aen. 3, 475. coniugio, Anchisa, Veneris *dignate* superbo; *de quo vere gloriari possis*. *vide* Superbus.

DILVVIVM Aen. 12, 205. Non si tellurem effundat in vndas *Diluuio* miscens. bene miscere de *aquae superfusione vniuersa*.

DIMENSVS, dimensi Rutulique viri. *sunt Inter se per certa spatia diuisi*, *quo quisque loco pugnaret*. Aen. 12, 117. *Dimensi* Rutulique viri Teucrique parabant.

DIRIGERE, *sed male scriptum*, *cum debeat legi* derigere Aen. 3, 260. *vide* Derigere.

DIRIMERE bellum, *h. e. finire*, *componere*, *vt*

saepius apud Liuium Aen. 12, 79. Et Rutulum Nostro *dirimamus* sanguine bellum.

DIRIPERE Aen. 9, 75. facibus pubes aduingitur atris (*vide* Ater) *Diripuere* focos; piceum fert fumida lumen Taeda. *Quaerit* Seruius, *vnde* foci *hoc loco?* Catroeus *capit de communibus focis, vbi ignes erant, et vnde torres rapuerunt. quicum facio.* Burm. *credit poëtam focos agrestium in locis circa castra habitantium intelligere.* * *deiicere, deturbare.* Aen. 12, 383. *Diripuere* aras: it toto turbida coelo &c.

DISCEDERE Georg. 3, 24. Vel scena vt versis *discedat* frontibus. *vide locum explicatum sub* Frons. * Aen. 9, 20. vnde haec tam clara repente tempestas? medium video *discedere* coelum, Palantesque polo stellas. *diuisae sunt nubes scilicet. vide* Cic. de Diuin. 1, 43, 44. et 2, 28. *vbi est phoenomenon. Locus Virgil. ex Homero desumt. qui* Iliad. X. Vers. 554. ἐρανοθεν δ' ἄρ' ὑπαρξαγη ἀσπιτος αἰθηρ. *bene vero et ex specie apparente* palantes stellae *de fulgoribus et quasi volantibus scintillis.* conf. Callimach. Hymn. in Delum. vers. 176.

DISCRIMEN periculum *dici notum est, sed noue tamen dixit Virgilius*, discrimina rerum Aen. 1, 208. Per varios casus per tot *discrimina* rerum Tendimus in Latium. * Aen. 10, 108. Tros Rutulusue fuit nullo *discrimine* habebo. * *soni diuersi ex diuersis chordis* Aen. 6, 647. Obloquitur numeris septem *discrimina* vocum.

DISCRIMINARE, *suauiter de luce in via* Aen. 11, 144. Lucet via longe ordine flammarum, et late *discriminat* agros.

DISPERDERE Ecl. 3, 27. stridenti miserum stipula *disperdere* carmen. *Bene et inuidiose, pro* canere miserabiliter. *Nostri* Radbrechen.

DISPONERE Aen. 3, 237. Haud secus ac iussi faciunt (i. *arma capessunt*, *vide*

vide vers. 234.) tectoque per herbam *Disponunt* enses *(tegunt paratos pugnae herbis)* et scuta latentia condunt (*condunt gramine, vt lateant.*)

DISTINERE Aen. 11, 381. dum *distinet* hostem Agger murorum, nec inundant sanguine fossae. *Alii legunt* Detinet; *sed videtur mihi h. l.* το distinere *cum efficacia esse positum, vt apud Homerum:* ὡς ἄρα τὰς διεεργον ἐπαλξεις.

DIVERSVS *pro* dispersus. Aen 1, 74. Aut age *diuersos* et disiice corpora ponto. *disperge eos per diuersa.*

DIVIDERE, *per breuiloquentiam* Aen. 8, 20. Atque animum nunc huc celerem, nunc *diuidit* illuc. *diuidit se quasi, cum celerius modo hoc modo illud contemplatur et pensitat. Pergit poëta:* in partesque rapit varias perque omnia versat. *Quae sequitur comparatio adeo venusta, et vera, et noua, vt vel omnibus aliis in Virgilii operibus palmam praeripiat.*

DIVORTIVM Aen. 9, 379. Obiiciunt equites sese ad *diuortia* nota Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant. *eleg.* coronant. *sunt qui legant* aditum *pro* abitum. *sine vlla, vt quiuis videt, ratione: diuortia sunt viae in diuersa tendentes, diuerticula viae militaris; et diuerticula sunt semitae transuersae a latere viae militaris.*

DOLERE aliquid, *pro offendi aliqua re, irasci ob aliquam rem.* Aen. 1, 13. quidue *dolens* regina Deum.

DOLVS tecti, *de via erronea.* Aen. 6, 29. ipse *dolos* tecti ambagesque resoluit.

DOMARE, *ad graec. frequentiss.* δομαζειν Aen. 2, 198. Quos neque Tydides, nec Lariſſaeus Achilles Non anni *domuere (vicere)* decem, non mille carinae. * terram, *de cultura.* Aen. 9, 608. patiens operum, parcoque adsueta iuuentus Aut rastris terram *domat*, aut quatit oppida bello. *vide*

de Burm. ad Petron. c. 99 ante domandum Georg. 3, 206 i. e. *antea quam domentur, de equis.*

DOMINVS, *princeps, cui alii subiecti sunt.* Aen. 4, 214. *dominum* Aeneam in regna recepit. *Burm. videtur de* marito *explicare, sed illa interpretatio, cui v.* 203. *fauet, vt de illo qui regat alios, accipiatur, probanda videtur. accedit similis locus* Aen. 11, 805. *vbi* domina *regina est.*

DOMITARE Aen. 7, 163. Exercentur equis, *domitantque* in puluere currus i. *equo. sub curribus. vide* Cerdam *ad h. l.*

DOMITOR equûm, *ad graec.* ἱπποδαμος, *bellicosus.* Aen. 7, 691. Messapus equûm *domitor*, Neptunia proles. *repetitur idem versus* Aen. 9, 523.

DOMVS i. e. *genus, familia.* Aen. 12, 59. Te penes: in te omnis *domus* inclinata recumbit; *cum efficacia sermonis dict.*

DONARIA, *pro loco donariorum seu templo.* Georg. 3, 533. Vris imparibus dictos alta ad *donaria* currus. *Optime* Heynius, *relicto* Seruio, *ad id refert, quod mos erat niueis bubus vti in pompa, praesertim Deae ducendae. Hinc* impares *Virgilius dicit, vt forma et colore.*

DORIS, *Nympharum mater, pro mari* Ecl 10, 5. sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos *Doris* amara suam non intermisceat vndam. *Nota est fabula de Arethusa Nympha ab Alpheo amata, et mutata in fontem, qui de Elide per subterraneos meatus subtus mare in Siciliam emerserit.*

DORSVM, *frequenter de montibus, de eorum cacumine aut iugo, raro de siluis in monte consitis, eorumque potius, solo. Ita* Georg. 3, 436. Ne mihi dum molles sub dio carpere somnos Neu *dorso* nemoris libeat iacuisse per herbas. * maris, *dicitur saxum, aut quaeuis eminentia.* Aen. 1, 114. *Dorsum* imma-

immane mari summo; *de scopulis. perperam h. l. interpretes referunt ad Homeric. phras. vota θαλασσης, namque illa locutio apud Homerum modo ipsam superficiem maris, non scopulos notat.*

DVBITARE, *cunctari* Aen. 9, 12. Quid *dubitas?* nunc tempus equos, nunc poscere currus.

DVCERE sorte, *sacerdotem, pontificem, consulem &c. solemnis locutio, quotiescunque sorte creabantur homines ad munera obeunda.* Aen. 2, 201. Laocoon *ductus* Neptuno *sorte* sacerdos. conf. Hygin. c. 135. * *eleg. de flexili argento, quod extenditur.* Aen. 6, 126. vivos *ducent* de marmore vultus. *Sic et* Aen. 7, 634. leues ocreas lento *ducunt* argento. lento, i. *molli, cedenti, quod facile duci potest.*

DVCTOR, *dominus nauis, ναυκληρος, non gubernator.* Aen. 5, 133. auro *Ductores* longe effulgent ostroque decori. *Sic et* Aen. 5, 749.

DVLCEDO, *laetitia, gaudium.* Georg. 1, 412. Coruî saepe cubilibus aptis Nescio qua praeter solitum, *dulcedine* laeto Inter se foliis strepitant: iuuat imbribus actis Progeniem paruam dulcesque reuisere nidos. *Sic* Georg. 4, 55. Nescio qua *dulcedine* laeti Progeniem nidosque fouent (*apes*). *Quaerit in sequentibus, quaenam sit huius rei ratio, vt illi corui serenitatem coeli praesagire possint certis quibusdam signis datis. Reiicit eorum philosophiam, qui hoc ingenii cuidam virtuti tribuerent, quae data iis diuinitus sit, vt maiorem hac in re haberent prudentiam, quam quae concessa, seu data fato caeteris rebus esset. Tunc exponit physicas causas eius rei. Illam vero doctrinam amplectebantur Pythagoraei, Platonici, et Stoici, vide eorum placita a Virgilio de hac re expressa* Georg. 4, 219. 220.

DVLCIS, Dulcia ſtagna. Georg. 1, 384. pelagi volucres et quae Aſia circum *Dulcibus* in ſtagnis rimantur prata Cayſtri. *Locum varie interpretantur. Aliam explicationem poſt Burmannum dedit Heynius. Cayſter eſt fluuius in Aſia, terra ita vocata, ſiue potius anguſto tractu Lydiae, eoque paluſtri non longe a Tmolo. Hanc terram Cayſter egreſſus ripas inundat ſaepius, ita fere, non vt ſtagna relinquat, quieſcentia, ſed ſuos quaſi fluuios per illum agrum ducat. His itaque paludibus cum non ſtagnat aqua*, dulcis *eſt ſeu viua, non putreſcens. Prata vero, quae vnda teguntur, praebent pabulum Cygnis, qui herbas, radices caet. rimantur in fundo.* Circum *ad* rimantur *traduxit Burmannus, ſed Heynius* circum *explicat per* Circum Circa, (*ſic* Georg. 2, 199. Campus paſcit niueos herboſo flumine Cygnos). *Ego tantum haereo, an hac ratione expoſita, dicta ſint a Virgilio* dulcia ſtagna *Licet enim expeditiorem rationem addere, quam miror a nullo interprete eſſe tactam, ne a* Cerda *quidem, qui tamen varia hic coniicit. Cayſter et inundata illa ab eo prata in Aſia propria ſedes cygnorum. Sic Homerus* Iliad. B. 461. η κυκνων δελιχοδειρων Ασιω ἐν λειμωνι καϋϛριε αμφι ῥεεθρα: *locum quem amant deſignat; vti etiam Ouidius* Met. 2, 253. et Triſt. 5, 1, 12. Cayſtrios alites *eos vocat. Hinc* dulcia *illa* ſtagna *dixiſſe videtur Virgilius, quia Cygnis ſunt dulcia, ibi commorantur frequentes et amant ea*, cf. Georg. 4, 17. Omnia nam late vaſtant, ipſasque (*apes*) volantes Ore ferunt *dulcem* nidis immitibus eſcam. *ibid.* 61. aquas *dulces et* frondea ſemper tecta petunt. *Aquas vero antea ſic deſci ipſerat.* 25. In medium ſeu ſtabit iners ſeu profluet humor. *Nullo itaque reſpectu ad aquae naturam dixit* dulcem. *Neque videntur illic* dul-

cia

ses aquae s. profluentes *facere aliquid ad Cygnorum voluptatem.*

DVPLEX spina *in equis* Georg. 3, 87. At *duplex* agitur per lumbos spina. *Ad oculorum iudicium describit. In equo enim generoso extrema dorsi pars versus clunes sulcum trahit, et spina ibi quasi* duplex *esse videtur. Non necesse est, vt* duplicem *explicemus per* latum, crassum. *Laudatur vero spina* duplex *equi tam apud Graecos quam latinos scriptores, vide loca apud* Cerdam. * duplices palmae, Aen. 1, 97. Ingemit et *duplices* tendens ad sidera palmas, *et alibi apud Virgilium, vt* Aen. 9, 16. &c. *intelligo* duplicatas, *complicatas et coelum versum sublatas, quales sunt supplicantium; non* duplices, *vt alii omnes,* geminas, ambas, *explico. videtur enim mea interpretatio imaginem quandam ostendere, quae poëtam profecto deceret his locis, cum non fuisset necessarium, vt nobis diceret, Aeneam et alios,* duas habuisse manus, *id quod ex vulgari interpretatione aliquis colligat.*

DVPLICARE Aen. 8, 556. vota metu *duplicant* matres propiusque periclo It timor, et maior Martis apparet imago. *timor est magis victus periculo, adeoque verior, non vanus, et grauior, terribilior fit cogitatio (imago) Martis, pugnarum.*

DVRARE, *indurescere.* Ecl. 6, 35. Tum *durare* solum, et discludere Nerea ponto Coeperit.

DVRVS, Ecl. 6, 47. Alpinas, ah *dura,* niues et frigora Rheni Me sine sola vides. *verba sunt Galli quaerentis,* Duram *amicam vocat, non simpliciter* crudelem, immitem, *sed singulari elegantia sic vocat, quia in indigna a se fuga tanta possit incommoda sustinere, cum eam teneram maxime putasset. Nimium ex hoc augetur indignatio, quod sine se nullum eam adire periculum posse putauerat.*

rat. Pertinet huc Propertius Lib. 1.

Tu pedibus teneris positas calcare pruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?

Quod ad versus 44. 54. nostri loci attinet, innuit Seruius, *quem* Cerda *in eo sequi videtur, non intelligendos esse eos de quadam expeditione Galli; (vid.* Heynius *in prooemio huius eclogae: (sed ex amantium more hic Gallum conqueri, qui fingat se eo esse, vbi Lycoris, eam vero inter arma; videtur enim militem aliquem secuta in Agrippae exercitu, qui a. v. 717 in Galliam ductus Rhenum transiit. Haec Seruii opinio firmatur ex eo, quod ante dicit Gallus, potuisse se cum Lycoride beate viuere, si modo adesset* v 42. sq. hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori Hic nemus: hic ipso tecum consumerer aeuo. *Non displicet illa sententia.* * *qui multa ferre potest, non vt Burmannus vult, laboriosus.* Aen. 4, 647. Iamque volans apicem et latera ardua cernit Atlantis *duri.* Burmannus *ex eo, quod coelum fulciat ille mons, deducere studet: multo melior mihi ea, quam posui, significatio videtur, nec adeo primam vocis vim reliquit.*

E.

EDERA *aut* alba. Ecl. 7, 38. 3, 39. Georg. 4, 124. pallentes *hederae:* aut nigra. Georg. 2, 258. *Accurate de ea egit* Martinus Anglus *ad* Georg. 3, 39.

EDERE Aen. 12, 801. Nec te tantus *edat* tacitam dolor, et mihi curae Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.

EFFOETVS, *pro defatigato, exhausto viribus.* Georg. 2, 417. Iam canit extremos *effoetus* vinitor antes. Canit extremos antes *h. e. gaudet se eo peruenisse et canit. An vero bene pertineat* effoetus *ad* canere, *dubito. simili sen-*

su

su dicitur senectus effoeta, Aen. 8, 508. Sed mihi fanda gelu, seclisque (*i. e. annis*) *effoeta* senectus.

EFFVLTVS *pro* fultus. Aen. 8, 368. angusti subter fastigia tecti Ingentem Aenean duxit, stratisque locauit *Effultum* foliis, et pelle Libystidis vrsae. *Sic* Ecl. 6, 53. Ille laetus niueum molli *fultus* hyacintho. *Ceterum mihi illa oppositio*: angustum tectum *et* ingens Aeneas *non placet. quaesita nimis videtur, et de ingenti* Aeneae *hucusque nihil audiuimus, sed de pio. Forsitan retractaturus opus suum et hunc locum emendasset poëta.*

EFFVNDERE animam Aen. 1, 102. *et alibi, non est, vt* Seruius *et alii volunt, dictum secundum eos, qui dicunt, sanguinem esse animam: ridiculi fere sunt, qui talia Virgilio tribuant; Sed est modo pingens verbum; emittunt morientes animam, et quia simul cum effuso sanguine anima exit, quasi* effundere *videntur. eleg.! * eleganter de multitudine simul et celerrime currente.* Aen. 5, 317. signoque repente Corripiunt spatio audito, limenque relinquunt *Effusi* nimbo similes: simul vltima signant *i. ad metam oculis prospiciunt. vide* Limen. * Aen. 4, 485. Pronam sterne solo, portisque *effunde* sub altis; *scil. e curru, humum, satis poëtice et satis audacter! sed et alibi ita; et ea, qua supra diximus, significatione. Sic elegant.* effundere habenas Aen. 5, 818. Spumantiaque addit frena feris, manibusque omnes *effundit* (*emittit celeriter*) habenas.

EGELIDVS *pro* gelidus; *nullam emphasin prorsus habet, vt alii volunt* Aen. 8, 610. vt procul *egelido* secretum flumine vidit.

EGESTAS, Georg. 3, 319. Ergo omni studio glaciem ventosque riuales Quo minus est illis curae mortalis *egestas* Auertes. *Plurimi falsè interpretati sunt, qui* mortalis egestas *coniungerent.* O-

ptimi

ptimi intelligunt egestas curae mortalis *Minus vero indigent capellae* (egestas *illis minus est*) *cura mortali seu hominum, quia sagacius illud pecus, et sensus habere prae caeteris animantibus videtur. Propterea vero eo iustius impendendam esse illam curam, qua ab iniuria tempestatis defendantur, suadet poëta.*

EGREGIVS, animi; *fortis, heros.* Aen 11, 411. Ille mihi ante alios fortunatusque laborum *Egregius*que animi, qui, ne quid tale videret, Procubuitque moriens, & humum semel ore momordit. *Non placet mihi illud* semel. *imitatio est Homeric.* Iliad. β. 418. ὁδαξ δε λαζοιατο γαιαν. *quae phrasis etiam saepius apud Homerum occurrit.* **pulcher* Aen. 4, 150. *egregio* decus enitet ore.

ELECTRVM, *de metallo* Seruius *et* Heynius *intelligunt.* Georg. 3, 522. non mollia possunt Prata mouere animum, non qui per saxa volutus Purior *electro* campum petit amnis. *Aquarum splendorem cum metallis comparari frequentius esse apud poëtas hic a docet* Heynius. Cerda *de succino intelligebat.*

ELVCTARI, *eleganter de aqua quae percolitur qualo, et emergente sensim gutta labitur.* Georg. 2, 244. aqua *eluctabitur* omnis scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae. *Quisque vero totius huius loci sentiet suauitatem, qui modo eum perlegerit, tantam prae se fert simplicitatem et rusticitatem.*

EMERE: *fuit vetustissimus ritus matrimonii, vt praeter vsum et confarreationem etiam coemtione illud iniri solemniter posset, dote vtrimque data, vt notum est ex Antiquitt.* Georg. 1, 31. Tibi seruiat vltima Thule Teque sibi generum Thetys *emat* omnibus vndis. *Elegantissimus versus. Mos autem erat, vt, si quis inter Deos relatus esset, etiam Dea quaedam ipsi iungeretur. Hinc dicit Au-*

Augusto, si Deus esse immensi maris vellet, daturum ipsi esse filiarum vnam, Nympham, cui omnes vndae in dotem darentur.

EMICARE *eleg. exsilire.* Aen. 2, 175. terque ipsa (*Pallas, scil. statua eius*) mirabile dictu! *Emicuit*, parmamque ferens hastamque trementem. „*His enim signis Palladium a caeteris discernebant*„ Seruius. cf. *imagines huius Deae, vbi haec signa* Seruiana *semper inuenies. bene autem h. l.* trementem hastam; *quia* emicuit, *exsiluit statua, adeoque* tremere *hasta visa est.* * *eleganter de eo, qui saliendo aliquem cursu superat.* Aen. 5, 319. Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus *Emicat*, et ventis, et fulminis ocyor alis. *Sic et* ibid. 337: *Emicat* Euryalus et munere victor amici Prima tenet. i. *beneficio, auxilio.* * *de prosiliente; vt saepius apud poëtas* Aen. 9, 736. Cum Pandarus ingens *Emicat*, et mortis fraternae feruidus ira effatur. Ira mortis, *est, propter mortem. Sic etiam eodem significatu pulchre de prosiliente, exultante equo.* Aen. 11, 496. Adsuetus aquae perfundi flumine rato, *Emicat*, arrectisque fremit ceruicibus alte *luxurians. vide voc.* Luxurians, *infra, et de hac vocis* emicare *significatione* Clav. Ouidian. *in hoc vocab.* Aen. 6, 5. Iuuenum manus *emicat* ardens Ilttus in Hesperium. *Praecipue bene illud* emicat *de* iuuenum manu.

EN, En vnquam, *ita saepius* Virgilius. Ecl. 1, 68. 87. *En* erit *vnquam* ille dies mihi, cum liceat tua dicere facta. *Idem est ac* vnquamne?

ENIM *pro* igitur. Georg. 3, 70. semper erunt quarum mutari corpora malis. Semper *enim* refice. Enim *hic abundare inquit* Seruius. * Aen 8, 84. Quam (suem) pius Aeneas tibi *enim*, tibi, maxuma Iuno Mactat sacra ferens, et cum grege sistit ad aram. *Explico ego sic vt dicerem nostra lingua: dir, ja dir, grosse Iuno.*

ENITESCO, *de agro, qui nunc colitur, antè rudis erat.* Georg. 2, 211. At rudis *enituit* impulso *(adacto)* vomere campus. Nitere *de omni quod est habile, cultum, sine macredine, aut horrore dicitur.* cf. P. I. Indicis.

ENITI Aen. 3, 327. Stirpis Achilleae fastus, iuuenemque superbum seruitio *enixae* tulimus *loquitur Andromache.* Nonius *et alii* enixam *h. l. labore exercitam explicuere, alii alio modo, sed verbum solito suo significatu accipiendum; tum, vt iam notauit* Burmannus, *ex Euripidis* Andromache *constet, eam liberos ex Neoptolemo sustulisse.*

ENSIS, *extremae ensis partes, vagina et capulus. Burmannus pro sola vagina positum putat, sed ego in verbis nil tale deprehendo.* Aen. 4, 262. atque illi stellatus lapside fulua *Ensis* erat. *Nonnulli voluerunt in* lapside *praesidium quoddam custodiae reperire, sed non est. Est magis ornandi gratia positum, quod* v. 64. *docet.*

EOVS Georg. 1, 221. Eoae atlantides, *Vergiliae, pleiades,* Eoae, *quia mane occidunt in occidentali parte dum sol surgit. Fit illud mensi Octobri*

ERGO age, *cum vi quadam hortationis, et increpationis eius, qui tarde rem agit.* Aen. 2, 707. *Ergo age,* care pater, ceruici imponere *(impone te)* nostrae. Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.

ERIPERE *fugam dici posse non puto, hinc* Aen 2, 619. *lego secutus alios doctos viros* Arripe. cf. Ouid. Fastor. 3, 867. * Aen. 7, 119. Ea vox audita laborum Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore *Eripuit* pater, et stupefactus numine pressit. *Burm. explicat* accepit omen, *quasi Aeneas diceret:* Ia, ja, das ists! *et* eripere *sit,* celeriter accipere *nec tamen ei absonum videtur* arripuit. *Sed ego intelligo ita, vt sit* ὑπελαμβάνετο,

βετο, ὑπεδεξατο, *excepit celeriter dicentem; et sequens* pressit, *scil. vocem*, secutus est, *vt* premere vestigia. *Ita eodem libro* vers. 217. dicta sequi. *Alii interpretes mire nugati sunt. Burm.* expl. pressit, forte manu sua os Ascanii. *ergo* numine *est* manu; *aut quid est* pressit manu sua os Ascanii, *et* numine? *et qualis ridicula fictio!*

ERRARE *de pascentibus aut passim vagantibus, saepissime. vt* Eclog. 4, 19. Aen. 6, 448. Aen. 7, 491. &c. * *de eo qui metam, scopum non contingit* Aen. 7, 498. Nec dextrae *erranti* deus abfuit, actaque multo Perque vterum sonitu, perque illa venit arundo. * *eleg.* errare *dicuntur morientium oculi circumspicientes adhuc natantes.* Aen. 4, 691. Ter reuoluta toro est, oculisque *errantibus* alto Quaesiuit coelo lucem. * *eleg.* Aen. 3, 75. Quam (*insulam*) pius Acciteneus oras et littora circum *Errantem* Gyaro celsa, Myconoque reuinxit Immotamque coli dedit et contemnere ventos. *Sic et* erratiua Delos, *vide* Clav. Ouidian. Reuinxit *capio pro simplici* vinxit. *Sed cur Apollo dicitur* pius? *aut quid vltus est matrem de Tityone, de Niobe, de Pythone? ita* Seruius. *Sed hac ratione quis fere Deorum esset, cui non epithet.* pii *conueniret? Profecto tam alte repetita nomina non placent. Aut est epitheton quaesitum a pietate, qua vsus Apollo erga vagantem insulam? Ita* Cerda. *Quis vero tandum est, qui inde* pium *Apollinem dictum putet? An amat hoc verbum adeo Virgilius, vt non continuo solum Aeneam talem nominet, verum etiam quoscunque lubet alios Deos? Dicam quae sentio. Legendum est cum nonnullis codd.* prius *pro* pius. Quam *prius* Acciteneus oras et littora circum &c. *antea iam, priori tempore. Nonne ita omnia melius cohaerent, quam*

si

si Apollo pius *sit*, *quia* insulae *bene fecit? De illa ipsa historia autem lege inter alios multos scriptores* Plin. Hist. Nat. libr. 4. c. 12.

ERROR, *fraus dolus*, Aen. 2, 48. Aut aliquis latet error. *Sic etiam* Aen. 6, 27. inextricabilis *error*. * *de furore* Georg. 3, 513. Di meliora piis, *erroremque* hostibus illum.

ERVBESCERE, *cum quarto casu*, *signif.* vereri. Aen. 2, 542. Iura fidemque Supplicis *erubuit*. fides supplicis *est* erga supplicem praestanda, *quae sacrosanctis legibus mandabatur*, *vt libri Antiquitatum affatim docent.*

ERVCTARE, *de Aetna igniuomo*, *suauissime.* Aen. 3, 576. Interdum scopulos auolsaque viscera montis Erigit *eructans*, liquefactaque saxa sub auras Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo. *Quae imago! et quam poëtice*, liquefacta saxa!

ESSE, *licere*, *posse*. Eclog. 10, 46. Nec *sit* mihi credere, i. e. *liceat mihi non credere.* Georg. 4, 447. Scis Proteu, scis ipse, neque *est* te fallere cuiquam. sed tu desine velle. *subint. fallere*, *illudere assumtis variis formis.* cf. *modo* v. 443. *vbi* pellucia *pro* fallacia *recte restituit* Heinsius. *Alii sub* velle *intelligunt* cognoscere aduentus mei causam. *Male.*

ESSEDVM Georg. 3, 204. Belgica vel molli melius feret *esseda* collo. Cerda *aliique currum bellicum intelligunt*; Heynius *id altius videri repetitum dicit apud poëtam*, *nec vllum fuisse essedorum vsum apud Romanos in bello. putat itaque currus et rhedas lautiorum hominum*, *vt imperatorum*, *esse intelligendos*, *qui essent* esseda belgica *vocata vel ab origine*, *vel vsu proprio. Sed pace* summi viri *vulgarem illam explicationem amplectimur.* Esseda *belgicis fuere vsitata*, *vt et Britannis: erat genus curruum celerrimum.* Caes. de bell. gallic. L. 4. c. 33. *ad hoc vero*

vero respexisse poëta videtur, vt virtutem equi describat; nam quod esseda *non fuerint vsitata in bello apud Romanos, hic nihil impedit. Bellicum vsum voluit innuere.* cf. v. 179. *dicit et antecedenti versu* Elei metas, *specie pro genere sumta.* Ferre currum *pro rapere, raptum auferre, defendit* Heynius.

ETIAM, *increpantis, in germanica lingua, so.* Aen. 4, 305. Dissimulare *etiam* sperasti, perfide tantum Posse.

EVADERE, Aen. 12, 907. Nec spatium *euasit* totum nec pertulit ictum.

EVANTES, *bacchantes, i. e. Bacchum Euan (nam hoc nomine etiam venit) vocantes.* Aen. 6, 517. Illa chorum simulans *Euantes* orgia arcum ducebat Phrygius. *Constat vocatum a bacchantibus Bacchum fuisse* Euan, *vt* Statius *docet* 5. Theb. et a summis auditus montibus *Euan; vbi de bacchantibus.*

EVERSVS, *ruens, labefactus.* Georg. 1, 500. Hunc saltem *everso* iuuenem succurrere seclo Ne prohibete. *Notat* Augustum, *qui tum* 27. *circa annum agebat.*

EVINCTVS, *vinctus,* Aen. 5, 364. Si cui virtus animusque in pectore *praesens (fortis)* Adsit et *euinctis. (i. e. vinctis caestu)* attollat brachia palmis. cf. vers. 379. *et vide* Attollere.

EVOLVERE, *verbum, vatibus conueniens et canentibus* Georg. 4, 509. *de Orpheo querente;* Septem illum totos perhibent ex ordine menses Fleuisse et gelidis haec *euoluisse* sub antris. Haec, *quae passus fuerat, quaeque antea exposuit* Virgilius. *Ita* euoluere *pro* exponere *etiam* Aen. 9, 528. &c.

EXCEDERE palma i. *cedere.* Aen. 5, 380. Ergo alacris, cunctosque putans *excedere* palma. *Probant omnes Critici lectionem* palma, *reprobantque aliam illam* pugna excedere palma, *vt diximus, est cedere.*

EXCIDIVM, *noue de ipsis cadaueribus, reliquiis vrbis* Aen. 10, 46. per

euersae genitor, sumantia Troiae *excidia* obtestor. *Quod constet mea interpretatio, patet ex epitheto* sumantia.

EXCIPERE, *cum vi dicitur, de eo, qui leniter tractat, fouet.* Georg. 2, 345. Si non *excideret* coeli indulgentia terras. i. e. *clementia, temperies, post frigoris calorisque molestiam.* * sorti, Aen. 9, 270. illumque ipsum clypeum, cristasque rubentes *Excipiam* sorti, iam nunc tua praemia Nisi. *Extra sortem seponam, excipiam sortitioni praedae solemni, et tibi prae aliis statim dabo.* * *animaduertere* Aen. 4, 297. Motusque *excepit* prima futuros.

EXCVTERE, *eleg.* Aen. 9, 68. duris dolor ossibus ardet, Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos *Excutiat (eliciat aut agat ex)* vallo, atque effundat in aequor. *etiam bene* effundat in aequor, *in planitiem.* qua *h. l. pro*, qua parte *posit. plerique accipiunt, ego vero* quae *legendum esse crediderim. vide tamen* Burm. *ad* Eclog. 9, 1.

EXERCERE choros, *agere.* Aen. 1, 503. Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi *Exercet* Diana choros. *nescio vero, an illa comparatio* Dianae choros agentis *cum* Didone, *quae* incessit magno iuuenum stipante caterua, vt opus vrgeat, *satis sit iusta. Quae similitudo* Dianae venantis *cum* Didone aedificante? Et *cur cernimus Dianam vt* illa pharetram fert humero. *Saltim optem aliis hanc imaginem magis placere quam mihi. eodem sensu, in nobili illa et excellenti comparatione* Aen. 7, 380. Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo *exercent.* ille actus catena curuatis fertur spatiis &c. *vide* Tortus. * Aen. 8, 412. Noctem addens operi; famulosque ad lumina longo *Exercet* penso. *fatigat, vrget.* Sic et Aen. 3, 182.

* Vices

* Vices Aen. 9, 175. Excubat, *exercet*que vices, quod cuique tuendum est, *vide* vices. *bene* exercere, *cum de militari munere, mandato agatur.* * diem, *pro, die exerceri, fatigari.* Aen. 10, 808. Dum pluit: in terris possint vt sole reducto *Exercere* diem.

EXHAVSTVS labor; *vulgaris locutio*; *At obscurius poëta* Georg. 2, 398. Est etiam ille labor curandis vitibus alter, Cui nunquam *exhausti* satis est. Exhausti *pro* exhaustionis, *iam* Seruius *notauit, qui nunquam satis exhauritur.* * *finitus* Aen. 4, 14. quae bella *exhausta* canebat. *bellè dictum.*

EXIGERE, *pro* explorare, *de loco.* Aen. 1, 313. Qui teneant (nam inculta videt) hominesne feraene Quaerere constituit; sociisque *exacta* referre. * Aen. 10, 682. crudum per costas *exigat* ensem. *Sic et ibid.* vers. 815. &c.

EXPEDIRE Aen. 1, 706. Dant manibus famuli lymphas Cereremque canistris *Expediunt; proferunt, ministrant.* * *liberum euadere eleg.* Aen. 2, 633. Ducente Deo flammam inter et hostes *Expedior. aufugio.* v. l. P. Clav.

EXPENDERE scelus, *pro, luere poenam ob scelus commissum,* Aen. 2, 229. scelus *expendisse* merentem Laocoonta ferunt.

EXPERIENTIA Georg. 1, 4. quae cura boum, qui cultus habendo sit pecori, apibus quanta *experientia* parcis. *ad vsum hominum et ex eo natam doctrinam de habendis, curandis apibus trahunt omnes rectè. Bene autem* experientiam *apposuit, apum enim cura in eo videtur consistere maxima, vt quis eorum naturam obseruet, quam habent mirabilem, et quam Iupiter ipse addidit* cf. Georg. 4, 149. sqq. *neque in ea cura possunt homines suo ingenio tantum indulgere, quantum in aliis.* Georg. 4, 316. Vnde noua ingressus hominum *experientia* coepit. *vid.* extundere.

EXPLORARE *eleganter pro* penetrare. Georg. 1, 175. Et ſuſpenſa focis *exploret* robora fumus. *Alii, vt* Seruius, *pro* probare *hic dictum eſſe putant* explorare, *num iuſtae nimirum ſoliditatis lignum ſit, materies curruum et aratrorum. At prior ratio ſimplicior et eleganter illud praeceptum inculcat, quod habet* Heſiodus εργ. L. 2. v. 627. πηδαλιον δ' ενεργες ὑπερ καπνε κρεμασασθαι. Aen. 1, 815 Tuus, o regina, quid optes *Explorare (deliberare, quaerere modo)* labor; mihi iuſſa capeſſere fas eſt.

EXSERTARE, Aen. 3, 425. At Scyllam caecis cohibet ſpelunca latebris Ora *exſertantem* et naues in ſaxa trahentem. Cohibet *h. l. ſimpliciter* tenet.

EXSILIVM. Georg. 2, 511. gaudent perfuſi ſanguine fratrum *Exſilioque* domos et dulcia limina mutant. *Ad veteranos hic reſpexiſſe poëtam ſuſpicatur* Heynius, *qui bello ciuili transacto, ad quod auaritia eos maxime pertraxerat, aſſignatos illis agros occupabant, ſuas itaque domos non quaerebant, et quod artificioſe inferat poëta, patriam non curabant amplius, ſed in hoc exſilio, dum in colonias eſſent deducti, beati viuebant.* Dulcia *itaque* limina *vocat* propria *eorum tuguria, e ſenſu hominum.* cf. Ecl. 1, 3. *Tangit obſcurius turbatas res romanas.*

EXSORS Aen. 8, 552. Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua. Ducunt *exſortem* Aeneae. Seruius: „*ingentem, praecipuum; ſed ſenſus: Aeneae adducunt equum, non ſortito, ſed deligunt ſine ſorte, vt* Aen. 9, 271. excipere ſorti. *Sic etiam* exſors Aen. 5, 534. Talibus auſpiciis *exſortem* ducere honores. *ſine ſorte, cum alia munera ſortito darentur. Et auolarat columba, ergo eam ferire non poterat, et columbae ictae praemium ferre. conf. contexta.*

EX-

EXSPECTARE, *morari* Aen. 4, 225. Tyria Carthagine, quo nunc *Exſpectat.*

EXSVLTARE, *pulchre de bellantibus, qui proſiliunt, et huc et illuc cito ſe conferunt* Aen. 11, 663. Feminea *exſultant* luratis agmina pectis. *Sed mihi comparatio* Camillae *cum* Amazone *plane diſplicet; eſt enim eiusdem rei cum eadem re comparatio, quam recte iam culpauit* Homius, Grundſaetzen der Critic Tom. 3. cap. 19. *quae ſequuntur verſ.* 664. *dicta ad imitationem* Homeri, cf. v. c. Iliad. π. 692. &c.

EXSVPERARE, *tranſire, praeterire* Aen. 3, 698. *exſupero* praepingue ſolum ſtagnantis Eloni. * *de conſilio, quod peruincit, vt comprobetur* Aen. 7, 591. vbi nulla datur caecum *exſuperare* poteſtas conſilium. * Aen. 10, 658. *Exſuperat*que moras, *difficultates.*

EXTERRITVS, *concitatus, furiis quaſi actus.* Georg. 3, 149. de aſilo (*inſecto e veſparum genere. vide plura apud Virgil. h. l.*) Aſper, acerba ſonans, quo tota *exterrita* ſiluis diffugiunt armenta. *Eodem ſenſu poſitum* Georg. 3, 434. *de Melydro, probat* Heynius. Exſilit in ſiccum, et flammantia lumina torquens Saeuit agris, aſperque ſiti, atque *exterritus* aeſtu. *Serpentes enim ſiti fieri ſaeuiores, docent auctores; hic* exterritus aeſtu ἐκπλαγεὶς, *correptus et incitatus ad ſaeuitiam. Legunt alii,* exercitus. *Habet haec poëta a* Nicandro. *vid.* Heynium.

EXTORRIS, *remotus* Aen. 4, 615. At — finibus *extorris* complexu auulſus Iuli (*reliquerat filium ſuum* Aſcanium *ad* Euandrum *proficiſcens auxilium petiturus.*)

EXTREMVS, mors extrema. Aen. 2, 447. Quando vltima (*ruinam*) cernunt *Extrema* iam in *morte* parant defendere telis. *Intelligo ego: in ipſa morte, cum iam inſtaret mors; licet alibi eiusmodi plures locutiones abundantes occurrant,*

rant, *vt* finis mortis *apud* Ouidium *me legere memini* &c. * extrema sequi, *pro se interimere* Aen. 6, 457. Verus mihi nuntius ergo Venerat exstinctam ferroque extrema secutam. conf. Iliad. ζ, 412. et. O, 495. It Apoll. Rhod. 2, 18. ει τις κρατερη επιεψετ' ἀναγκη.

EXTVNDERE, *de eo quod fit necessitate et iterato conatu tandem efficitur. Hinc signate de artibus humanis, quae e necessitate o tae, sensim obseruatione et exercitatione perficiuntur.* Georg. 1, 133 Ignemque remouit Et passim riuis currentia vina repressit Vt varios vsus meditando *extunderet* artes Paullatim. *bene* Seruius, *studiose reperiret.* Quis Deus hanc Musae, quis nobis *extudit* artem? *quod supra* vsu extundi *dixit*, *h. l. sic effert* vnde noua ingressus hominum experientia cepit. Deus extudit, *viam docuit*, *qua inueniretur. Primae artes omnes ad Deum quendam referuntur.* Georg. 4, 325. quid me coelum sperare iubebas? En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers Omnia tentanti *extuderat*, te matre, relinquo. suum vitae honorem *vocat* Aristaeus *gloriam et fructum quam sibi acquisiuerat e re agraria et pecuaria.* Extuderat, *magno labore et exercitatione demum nactus erat. Historia* Aristaei *nota vid. h. l. Seruium. videtur tamen in exornanda ea narratione h. l. Virgilius nimium tribuisse in ipsa rei gestae serie Homero, vbi Achillis expostulationem describit cum matre* Thetide Iliad 1. *Neque enim hic in parte tantum imitatorem egit Virgilius.* * *propria significatione, qua est fabrorum verbum, de clypeo Aeneae.* Aen. 8, 665. Lanigerosque apices et lapsa ancilia cado *Extuderat.*

EXVRERE *bene dicitur* aestus *agros, quum steriles reddit*, Aen. 3, 141.

141. Tum ſteriles *exurere* Sirius agros. Arebant herbae et victum ſeges aegra negabat. *eleg.* ſeges aegra; *nec minus* negare victum.

EXVVIAE, *proprie.* Aen. 2, 473. poſitis nouus *exuuiis* nitidusque iuuenta coluber. *eleg.* nitidus iuuenta, *de ſerpente, qui corium depoſuit, nouamque nitentem cutim aſſumſit tempore verno.* * Aen. 9, 307. Dat Niſo Mneſtheus pellem horrentisque leonis *Exuuias, illae exuuiae ſunt* pellis. *Meminiſſe vero iuuat hic ſimilis, quem expreſſum hic leges, loci Homeri* Iliad. κ. 261. *quem* cf.

F.

FACERE Ecl. 3, 77. Phyllida mitte mihi: meus eſt natalis Iola: Cum *faciam* Vitula pro frugibus ipſe venito. *Rogat Damoetas Iolam, vt Phyllida amicam ei mittat ad celebritatem ſui natalis Diei, quo voluptate frui liberius licebat, vt hic adnotat* Seruius, *ad ambarualia autem ſacra, vbi caſtius res agebantur, herum Iolam inuitat. Iolam quaſi praeſentem alloquitur Damoetas, quod idem repetit Menalcas, dum obtrectare ſtudet Damoetae dictis, et Iolam quoque inuocat. Ita* Heynius *optime docet, caeteri fere omnes ſane nugantur.* * facere nomen, *dare* Georg. 4, 272. Eſt etiam flos in pratis, cui *nomen* a melle *fecere* agricolae. it. Georg. 1, 137. * vela. Aen. 5, 281. Vela *facit* tamen, et velis ſubit oſtia plenis. Harduinus *et hic ſui ſimilis, hoc eſt, ridiculus, hanc phraſin Galliciſmum eſſe, ait, culpatque, cum* vela facere *pro ventis vela dare, nauigare, frequentiſſima locutio ſit.*

FACESSERE, *vox rem pingens cum vi alacritate et impetu facere* Aen. 4, 295. iuſſa *faceſſiunt.*

FACILIS Ecl. 3, 6. Nouimus et qui te, Et quo, ſed *faciles* Nymphae riſere, ſacello. *Ipſum commiſſum tacet, ob foeditatem,*

tatem, quanquam notum esset; faciles Nymphae, *quae hoc scelus tulerunt, cum alii Dei seuere puniturі fuissent. Nympharum enim ingenium in illo crimine placabilius.* Simplices Nymphae *dicit Horatius in eadem re* Lib. 2. od. 8, 14. * facilis fiscina Georg. 1, 266. *facta e viminibus flexibilibus et teretibus.* * oculus *ei tribuitur, qui celeriter et viuido vultu omnia circumspectat, non de vino cum* Seruio *cogitandum* Aen. 8, 310. Miratur, *facilesque* oculos fert omnia circum Aeneas. *vbi eodem modo Seruius nugatur.*

FALLACIA Georg. 4, 443. Verum vbi nullam fugam reperit *fallacia;* pellucia *recte restituit* Heinsius. *vide plura sub* Esse.

FALLAX siliqua Georg. 1, 195. Grandior vt foetus siliquis *fallacibus* esset. *Eleganter, non enim semper pleni folliculi, sed saepe inanes, ventosi, atque sic* fallaces. Seruius.

FALLERE Georg. 2, 467. Nescia *fallere* vita, *constans et tuta, nulli periculo aut metui obnoxia* * *de sagitta* Aen. 10, 754. longe *fallente* sagitta, *quae eminus* fallere, *superuenire solet.* * numen *i. e. de iis qui id non seruant, quod per Deos facere iurauere.* Aen. 6, 323. Dii cuius iurare timent et *fallere* numen. Quem versum sic, *quoniam tamen tirones offendere possit, interpretor? Timent Dii sic per Stygen iurare, vt promissis non stent.*

FALSVS *fallax* Georg. 1, 463. Solem quis dicere *falsum* audeat?

FAMA malum quo non aliud velocius vllum Mobilitate viget viresque acquirit eundo (*mire et suauiter cum alii eundo defatigentur*) Parua meta primo, mox se se attollit in auras, Ingreditурque solo et caput inter nubila condit. Monstrum horrendum ingens; cui quot sunt corpore plumae, tot vigiles oculi sub-

li subter, mirabile dictu, tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures, Tam ficti praui- que tenax quam nuntia veri. Aen. 4, 173. seq. *non potui quin hanc celebratam famae descriptionem hic ponerem, quum, licet ab aliis nonnullis criticis reprehensa, adeo pulchra sit, vt vix multos similes in Aeneide locos inuenire possis. Nullas tu cura reprehensiones sed ἀλληγοριαν bene modo detegere cura. Non impedit famam esse monstrum horrendum, quo minus descriptio pulchra sit. Similes famae descriptiones vt* Butleri *aliorumque hic omitto, et ipsum* Homerum, cuius et hic imitator est Virgilius.

FANDVM, *iustum* Aen. 1, 547. Si genus humanum et mortalia temnitis arma At sperate (*i. timete*) Deos memores *fandi* atque nefandi. *bene* memores, *qui certe, licet non statim, punient.*

FASTIGIVM, *de profunditate*, Georg. 2, 288. *Forsitan et scrobibus, quae sint fastigia quaeras.* cf. profundus. * *noue* Aen. 1, 346. summa sequor *fastigia* rerum. *longe suauissima metaphora, non totam rem per ambages, quasi longum aedificium permeabo, sed leuiter tangam, summam rerum enarrabo, extremitates quasi exponam, initium et finem.*

FATALIS, *vt saepius, vide h. v. in* 1. *Sectione Partis* II. Clauis. *supra.* Aen. 2, 165. *Fatale* aggressi sacrato auellere templo Palladium. *bene* auellere, *namque, vt tradunt mythologi, vinctum catenis alligatumque templo erat.* *Sic et* Aen. 2, 237. Scandit *fatalis* machina muros. *et, vt sit fatale fato datum* Aen. 4, 355. Quem regno Hesperie fraudo et *fatalibus* aruis.

FATIDICVS Aen. 7, 82. Rex sollicitus monstris oracula Fauni *Fatidici* genitoris, adit, lucosque sub alta consulit Albunea. cf. vers. 47. *vide* Clav. Ouidian. in h. v.

FATIFER, *letifer* Aen. 8, 621. Miraturque interque manus et brachia versat Terribilem cristis galeam flammasque vomentem. *Fatiferum*que ensem, loricam ex aere rigentem, Sanguineam, ingentem. *versus primus expressus ex Homero* Iliad. T. 18. τερπετο δ' ἐν χερσσιν ἐχων θεσ ἀγλαα δωρα κ. λ. rigere *eleg. de lorica aenea, vide* rigere. Sanguinea *vero est* terribilis *secundum* Seruium. *Nonne autem potius ad rubrum colorem pertinet? ob similitudinem adiecta* qualis cum caerula pubes &c. * Aen. 9, 631. sonat vna *fatifer* arcus, *vide* Clav. Ouidian.

FATIGARE Aen. 8, 94. Olli remigio noctemque diemque *fatigant. Durum mihi videtur, si* fatigant *refertur ad verba* diem et noctem; *quomodocunque explices. Ego intelligo* fatigant *ita, vt sit* fatigant se, fatigantur, *vide* praecipitare. *Et sic alia verba saepius.* * siluas. *de venatoribus* Aen. 9, 605. Venatu inuigilant pueri, siluasque *fatigant. Aut* fatigant se in siluis, *aut, quod magis placet*, siluas fatigare *dicuntur, qui pererrantes siluas, feras agunt. Sic, vt paullo abhinc* iuuencum fatigare vers. 610. Omne aeuum ferro teritur, versaque iuuencûm Terga *fatigamus* hasta, *caedendo vrgemus.* * *vi et perpetuo, vsque surgant, e somno excitare.* Aen. 4, 572. Corripit e somno corpus, sociosque *fatigat.*

FATISCERE rimis, *abundanter, nam* fatiscere *est* rimis *aperiri* Aen. 1, 127. Accipiunt inimicum Imbrem, rimisque *fatiscunt. poët. et eleg.* inimicum imbrem.

FATVM *simpliciter pro malo a diis immisso* Aen. 1, 36. Errabant acti *fatis* maria omnia circum. *Quaerunt interpretes multi, quomodo* fatis *agi potuerunt Troiani, cum antea ipse poëta nominasset iram Iunonis? Sed res facilis explicatu: namque, vt dixi,* fata *sunt etiam quaecunque ma-*

mala a deo aut dea quadam immissa. Sic et h. l. et de voluntate Iouis Aen. 4, 110. Sed *fatis* incerta feror. i. e. *Incerta sum, propterea quod, quae voluntas sit Iouis, nescio.* * *vita* Aen 6, 461. Extremum *fato* quod te alloquor, hoc est.

FAVERE ore Aen. 5, 71. Ore *fauete* omnes, et tempora cingite ramis, *de more in sacris; vide* Fauere *in I. Parte Clauis.*

FELIX; *hoc verbo foecunditas exprimitur saepius apud Virgilium. Notanda vero sequentia.* Georg. 2, 188. Summis liquantur rupibus amnes *Felicemque* trahunt limum, *foecundantem.* * Georg. 2, 127. Media fert tristes succos tardumque saporem *felicis* mali. *Citrum hic esse intelligendum probauit* Cerda. Cytrus *malus medica seu Persica; in hoc perpetua successione sucrescunt mala, inde* felicem *eam dixisse poëtam vult* Heynius *cum aliis, solemni eius verbi de arboribus vsu. Subiungit* Seruius *significationem salubritatis, quia citrus malum saluberrimum, contra venena maxime, quam eius virtutem statim hic inculcat Virgilius. Nobis hic praeferendus videtur Grammaticus, quia inter plures eius fructus notas, quae ad naturam et salubritatem eius omnes pertinent, vix cogitationi de fertilitate arboris locus relinquitur. Est vero accuratior descriptio, quae sequitur documento, citrum tunc ignotum adhuc fuisse in Italiae oris.* Georg. 1, 345. *felix* hostia, *grata, qua litari potest, quaeque* felicem *frugum prosentum portendat, sic optime* Heynius, foecundam *interpretabatur* Seruius. * Georg. 4, 329. felices syluae. Quin age et ipsa manu *felices* erue siluas; *de hortis suis loquitur Aristaeus, quos diligenti cultura foouerat.* * Georg. 1, 277. Ipsa alios alia dedit ordine luna *Felices* operum. *h. e. ad opus faciendum felices in opere; in quibus*

bus opus fortunatur. * *propitius, qui dat felicitatem* Aen. 1, 334. Sis *felix* noſtrumque leues quaecunque laborem. *Sic plane* Bucol. 5. Ecl. 65. ſis bonus, o *felix*que tuis. *Et contra Iuno* Aen. 7, 309. Quae potui *infelix, aduerſa Troianis.*

FENESTRA, *foramen,* Aen. 2, 482. exciſa trabe firma cauauit Robora et ingentem lato dedit ore *feneſtram. bene* ingentem *h. l. et addit inſuper* lato ore.

FERAE; *de auibus* Georg. 1, 139. Tum laqueis captare *feras*, et fallere viſco Inuentum.

FERENS, *ſecundus, felix eleg. de vento, qui* ferre *nauem ſolet.* Aen. 4, 400. Exſpectet facilemque fugam ventosque *ferentes.*

FERRATVS orbis, *de rotis atque plauſtris* Georg. 3, 361. Vndaque iam tergo *ferratos* ſuſtinet orbes Puppibus illa prius patulis, nunc Hoſpita plaüſtris. *Ferratos* rotarum orbes *habet* Lucretius L. 6, 555. *quem ro-*

ties expreſſit noſter. * Aen. 7, 622. Tum regina Deum coelo delapſa morantes Impulit ipſa manu portas, et cardine verſo Belli *ferratos* rupit Saturnia poſtes. *Imitatio Ennii, qui:* Belli *ferratos* poſtes portasque refregit. *vide* Horat. Serm. 1, 7, 9.

FERRE *pro* auferre Ecl. 9, 51. Omnia *fert* aetas, animum quoque. i. e. *memoriam* conf. 53. et Aen. 12, 285. Crateraſque focosque *ferunt.* * ferre pedem; *venire, adeſſe.* Georg. 1, 11. *Ferte* ſimul Faunique pedem Dryadesque puellae. *Nugatur* Seruius. * ferre ſacra *ſacerdotis eſt. Adde* Georg. 2, 476. Muſae quarum ſacra *fero. i. e. cuius ſum ſacerdos.* conf. Hor. od. lib. 3, 1, 3. * vrbem. *noue* Aen. 2, 373. alii rapiunt incenſa *ferunt*que pergama; (*ſecum ferunt omnia Troiana, aut incendunt et populantur*) * ore, *de forma* Aen. 4, 11. Quem ſeſe ore *ferens*, quam forti pectore et armis.

FERREVS Georg. 2, 501. ferrea iura, *multa cum vi ponit poëta simplicem vitam extollens agrestium hominum, per quos iustitia excedens terris vltima vestigia sparsit, quibus non opus est iurium vinculis ad excutiendam virtutem.* Nec ferrea iura Insanumque forum aut populi tabularia vidit. *Quid? si ad leges aere incisas respexit poëta, rem suo more expressit, felix est enim verborum auceps.* * somnus Aen. 12, 310. Olli dura quies oculos, et *ferreus* vrguet *somnus.* cf. Hom. Iliad. A, 241, *et alibi, vbi* χαλκεος ὑπνος. * ager, *belle de Campo, vbi hastae, spicula, tela ferro coniiciuntur, aut tenentur sublimia arma manibus, vt adeo ferro consitus ager videatur.* Aen. 1, 601. late *ferreus* hastis Horret ager, campique armis sublimibus ardent. *bene lecta omnia verba.* Horrere — sublimia arma — ardent campi. —

FERVERE, *longe suauissime* Aen. 1, 440. *Feruet* opus, *de ardenti sedulitate.*

FERRVGO Aen. 9, 582. Pictus acu Chlamydem; *mire pro* Gerens pictam acu chlamyden, *vt* Aen. 4, 484. et *ferrugine* clarus Hibera. i. *splendens colore illo fusco, subnigro ex Hispaniis quem* pullum *vocabant colorem, natiuum, Spanum, siue Hispanum, vt ait* Nonius, *siue etiam Iberum, Baeticum, ferrugineum. Plura et longe doctiora leges de hoc colore apud* Cerdam *ad* h. l.

FESSVS, *adflictus* Aen. 12, 593. Accidit haec *fessis* etiam fortuna Latinis, *et sic saepius.*

FESTINARE, *festinanter exsequi* Aen. 6, 176. Tum iussa Sibyllae Haud mora, *festinant* flentes. *vide* Deproperare *in Clauis P. I.*

FICTOR fandi *epithet. Vlyssis, aut ad Graecum* λογοδαιδαλος, *siue, vt quidem potius reor,* δολομητις Aen. 9, 602.

Non

Non hic Atridae, nec
fandi *fictor* Vlyſſes.

FIDES, *certitudo.* Aen. 3, 375. Nate Dea, nam te maioribus ire per altum Auſpiciis (*ſub tutela magnorum Deorum*) manifeſta *fides.*

FIGERE, *ſolemne verbum de* donariis *datis, affixis poſtibus templorum, aedificiorum* &c. Aen. 3, 287. Aere cauo clipeum, magni geſtamen Abantis Poſtibus aduerſis *figo*, et rem carmine ſigno. *vide* carmen. *Ita et* Aen. 9, 408. Sacra ad veſtigia *fixi.* * Aen 3, 210. Accipite ergo, animis atque haec mea *figite* dicta. *expreſſit illud frequens Homeric:* συ ἐνι Φρεσι βαλλεο σησι. *namque vbique Virgilius imitator eſt, etiam in paruo, Homeri.* * *cum vi, ſignificate* Aen. 7, 291. Iuno ſtetit acri *fixa* dolore. *percuſſa penitus. bene vero* ſtetit; *pingit cogitabundam*

FINGERE, *bene de vinitore, qui purificat vites abſcindendo ramos inutiles.* Georg. 2, 407. perſequitur vitem attondens *fingit*que putando. * lingua *dicuntur animalia, vbi lambunt, et quaſi tergent foetus* Aen. 8, 634. illam tereti ceruice reflexam Mulcere alternas et corpora *fingere* lingua. *vide de hac voce Burm. ad Ouidii Epiſt.* 134. Add. Ouid. Faſt. 2, 418.

FIRMVS, *diuturnus* Georg. 2, 97. Sunt etiam Amineae vites, *firmiſſima* vina, *vnde vinum diuturnae bonitatis conficitur. Cohaeret cum hoc verſus* 99. Argutisque minor *ſcil. vitis ſubint. firmiſſimum quoque vinum. Offendebat* Burmannum, *appoſitio iſta* vites, vinum firmiſſimum, *ſed nihil timendum.*

FLABRVM, Georg. 4, 199. Qualis Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris Incubuit, Scythiaeque hiemes atque arida differt Nubila: tum ſegetes altae campique natantes Lenibus horreſcunt *flabris* ſummaeque ſonorem Dant ſiluae. *Minus accommodate locutus ad vim aquilonis videri poterat Virgilius,* leni-

lenibus flabris horrere segetes, *quare eum iam defendit* Burmannus. *Pertinent vero haec verba magis ad fluctus aristarum leniter sese inclinantium atque stridentium, quia aliter non fert earum natura, quamquam sit ventis vehementia; ea enim dum segetibus incumbit, leues aristas cum stridore personat.*

FLAGELLVM, *virga.* Georg. 2, 299. 300. Nene *flagella* summa pete, aut summas destringe (*hanc lectionem praetulit* Heynius) ex arbore plantas. *Duo autem praecepta hic ponere videtur poëta de defigendis vitium surculis, vitem enim hic arborem vocat, vt saepius. Primum est surculorum eorum summam partem, infirmam et tenuem non esse plantandam sed recidendam potius, inferiore parte assumta. Alterum: ipsos illos surculos non ex summa vitis parte esse petendos, quos ferro abscindebant. Haec interpretatio debetur ingenioso Anglo, Martino, quem hic laudat* Heynius.

FLAGRARE, *Flagrantes* perfusa genas *i. e. lacrymis perfusas genas habens.* Aen. 12, 65. *Flagrantes* perfusa genas, cui plurimus ignem Subiecit rubor.

FLAMMATVS *pro* ira flammatus Aen. 1, 54. Talia *flammato* secum Dea corde volutans. *Imitatus h. l. est* Statius Theb. 1, 249. sq. *Flammato* versans in opinum corde dolorem Talia Iuno refert.

FLATVS, *superbia, arrogantia* Aen. 11, 346. Det libertatem fandi, *flatus*que remittat.

FLAVERE Aen. 10, 324. *flauentem* prima lanugine malas. *Et ita saepius.* Aen. 4, 590. &c.

FLORERE: *qui deditus cum fructu alicui rei, dicitur.* Georg. 4, 464. Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope (Neapolis) studiis *florentem* ignobilis otii. *Sed 4 illos postremos versus liberi reiecit* Heynius, et sane Gramma-

tici

maticum redolent. * *splendere, translate* Aen. 7, 804. *florentes* aere cateruae.

FLVCTVARE, *eleganter de re fulgurante et resplendente* Georg. 2, 281. ac late *fluctuat* omnis Aere renidenti tellus. *Coruscat tremulante splendore, armorum, inter agmen eorumque lineas, quae dum se mouent in tellure, ipsa tellus resplendere dicitur. Inuersam rationem, sed aeque elegantem, quamvis vulgarem, habes* Georg 3, 439. *Vbi de vibranti lingua et trepidante serpentis.* Ille linguis micat ore trisulcis, *vid.* Heynium. * Aen. 12, 486 Haec quid agat vario nequidquam *fluctuat* aestu.

FLVERE, *de vuis abundantibus, et vinosis* Georg. 2, 100. Argitisque minor; cui non certauerit vlla, Aut tantum *fluere*, aut totidem durare per annos. *confer, quae sub* firma *monuimus.* ibid. 190. Multoque *fluentes* Baccho vites. * *pro* luxuriari, Georg. 2, 370. ramos compesce *fluentes.* * eleg. *de cadente, et prolabente subito, vt corruat* Aen. 11, 828. simul his dictis linquebat habenas. Ad terram non sponte *fluens. Notat haec vox celeritatem, et omnino totam fingit imaginem miserandae ex vulnere procumbentis subito Camillae.*

FLVMEN, *vt olim ludi Olympici habebantur ad Alpheum flumen* conf. Georg. 3, 180. Aut Alphea rotis praelabi *flumina* Pisae. *Sic celebris est* fluminum *commemoratio in ludorum descriptione* Georg. 3, 18. Centum quadriiugos agitabo ad *flumina* currus. *Promittit ludos instituendos in honorem Augusti, si Mantuam rediret, ad Mincium vero fluuium respexit.*

FOEDARE Aen. 2, 55. Impulerat ferro Argolicos *foedare* Latebras. i. *Impulit. Iul. Scalig. haec:* „Noluit *dilacerare:* vel vt aliter quam vulgus loqueretur. *Seruius notauit*, foedum non

non turpe, *sed* crudele *apud poëtam et* Sallustium. (*vide* tamen Cort ad Cat. c. 15.) *significare. Alii* foedare *secundum Graecos accipiunt. Quid enim foedius, quam dulces Graecorum latentes deprehendi? Recte. Maxime placet illa posterior explicatio; nam sustentatur verbis:* argolicas latebras. * *pro cruentare, vulnerare.* Aen. 3, 241. Obscoenas pelagi ferro *foedare* volucres. *Sic* foedare *et saepius apud nostrum, vt* Aen. 5, 228. * vnguibus, i. *dilacerare* Aen. 4, 673. Vnguibus ora soror *foedans.*

FOEDVS *pro* lege Aen. 1, 66 qui *foedere* certo Et premere et laxas sciret dare iussus habenas. *ad graec.* διαθηκη, *quod saepius modo leges non foedus notat, cuius significationis vsus in N. T. etiam est.* * aequum, *de matrimonio iusto; et, quoniam legibus contrarium bis matrimonio iungi.* Aen. 4, 520. tum si quod non aequo *foedere* amantis curae numen habet.

FOETA, *de enixa, quae peperit, sumunt interpretes* Georg 1, 50. Non insueta graues tentabunt pabula *foetas.* graues, *aegras e partu* Heynius; Cerda *nimis ingeniose* foetas *ad sequentem versum transferebat, quem sequitur nostra editio, male.*

FOETVS *omnino de apibus, qui alueorum suboles* Georg. 4, 231. bis grauidos cogunt *foetus; nim. mellarii; duo sunt tempora mellationis, tum vt mel eximant fingant apes ex alueario.* * Georg. 4, 163. foetus adulti, *examina noua. Dicit vero illos cogere s. abigere* grauidos foetus, *quia plena tenent alueoria.* * *de fructu* Georg 1, 55. Hic segetes, illic veniunt felicius vuae, arborei *foetus* alibi. Georg. 2, 429. Nec minus interea foetu nemus omne graueſcit. *Hinc de succo quo arbor vivet* Georg. 2, 56. Creſcentique adimunt *foetus*, vruntque ferentem. * Georg. 1, 189.

de floribus nucis, vt ipse locus docet.

FOETVS *adiect. pro* plenus Aen. 1, 55. Nimborum in patriam loca *foeta* furentibus Austris Aeoliam venit. *Sic et* Aen. 2, 238. foeta armis. *Quae sequitur, descriptio, summo poëta, virgilio digna, hoc est, longe praestantissima, quod ideo moneo, vt discant iuuenes mature singulas imaginis lineas contemplari, et hoc loco inde iudicare de vatum arte et virtutibus poëticis. Notandum est v. 9. h. l. poëtam vsum esse data opera voce* Austris *pro* ventis, *quia inde horrisonus quodammodo et pingens rem enascitur versus.* conf. Luctari. * foeta *etiam est et grauida et partu liberata, vt* Aen. 8, 630. Fecerat et viridi *foetam* Mauortis in antro. *v. supra.*

FOMES, *de ipsa materia arida* Aen 1, 180 arida circum Nutrimenta dedit, rapitque in *fomite* flammam. *Virgilium in illo loco imitatum Theocritum* Idyll. 22, 33. *et auctorem Hymni in Mercur.* vers. 110. *censuit* Doruillius.

FORI, καταζρωμματα, Aen. 6, 412. Inde alias animas Deturbat, laxatque *foros. Alii tabulata* foros *interpretari voluerunt, vt sint loca, quibus insederent nautae: in quibus numerandus est* Seruius, *qui* foras laxat *idem esse ac* fori se laxant, *vacui sunt nautis, arbitratur, et ab hac opinione non alienus* Sosipater. *Alii vero int.* καταζρωμματα, *quibus calculum adiicio, licet non satis accurate de hac re loquantur. Nam non illas vias, incessus, quibus intremus nauem, intelligunt, quod quidem non est negligendum. Quicquid probationis est, illud est:* fori *pro* καταζρωμμασι *occurrunt in libr. de Senectut.* Cic. c. 6. Cum alii malos scandant, alii per *foros* cursant &c. *vbi alio sensu accipi non possunt. Deinde* laxare *innuit, quod aliquid aperiatur, aut ianua, aut alia quaedam res;*

et

et denique commodum sensum et cum consequentibus conuenientem suppeditat. Nam sequentibus Aeneam accepisse Charon fertur, et quid magis respondet naturae, quam introitus illo esse ab eo patefactos? Non tamen valde repugnemus, si quis priorem illam significationem, qua fori *sunt* tabulata, *accipere malit, et ita, ni fallor, intellig.* Aen. 4, 604. Faces in castra (*classem, vt saepius apud nostrum*) tulissem, Implessemque foros flammis.

FORMARE classem, *pro aedificare* Aen. 9, 80. Tempore quo primum Phrygia *formabat* in Ida Aeneas classem.

FORMIDO, *linea alias vocatur, quae versicoloribus pinnis innectitur, qua re terrent et in retia feras repellunt venatores.* Georg. 3, 372. Hos non immissis canibus non cassibus vliis Puniceaeue agitant pauidos *formidine* pinnae. * *religio, cultus.* Aen. 7, 607. Sunt geminae belli portae, sic nomine dicunt Religione sacrae et saeui *formidine* Martis, cf. verss. sqq. *vide* Metus.

FORS Aen. 1, 381. *Forte* sua Libycis tempestas appulit oris. i. *casu suo: quae sequuntur verba Aeneae profecto non bene lecta et tributae personae ab Virgilio, quidquid dicat* Seruius *ad h. l. et* Scaliger, *quorum prior ineptus, alter odiosus nugatur, et quidquid alii proferunt, vt* Cerda, *qui ex Plutarcho de laude sui ipsius Maronem defendit, ceterique laudatores. Nimis apertum est, Virgilium h. l illum versum Homeri* Odyss. 1, 20. και μευ κλεος ουρανον ικει *imitari voluisse, sed nunc non erat his locus.*

FORTIS, *simplic.* fortia *de factis fortibus, virtutis operibus* Aen. 8, 509: seclis effoeta senectus inuidet imperium, seraeque ad *fortia* vires.

FORTVNA de *casu* Aen. 12, 593. Adcidit haec fessis etiam *fortuna* Latinis.

FOVERE, *amplecti, persequi, amare.* Ecl. 3, 4. Ipse Neaeram dum *fouet. Aegon amicam persequens reliquit gregem et Damoetae male credidit.* Georg. 3, 420. fouere humum, *assidue ibi morari.* Idem Georg. 4, 43. sub terra *fouere* larem, *de apibus.* * *curare, medicari* Georg. 2, 135. animas et olentia Medi ora *fouent* illo, et senibus medicantur anhelis. * *conseruandum curare, tueri.* Aen. 4, 218. Quippe tuis ferimus famamque *fouemus* inanem *i. e. ideoque inaniter tibi fidem habemus, et te tam potentem tantumque gubernatorem dicimus.*

FRAGILIS Ecl. 8, 82. *fragiles* incende bitumine lauros. *h. e. crepantes, fragorem edentes dum vruntur. habet iam sic* Lucretius L. 6, 111. Et *fragiles* sonitus chartarum commeditatur. *Imitatus vero noster* Theocritum Ecl. 2, 23. 24. Δελφις ἐμ' ἀνιασεν. Εγω δ' επι Δελφιδι δαφναν Αιθω. χιως αυλα λακησει μεγα καπυρισασα. *Erat autem haec res boni ominis.*

FREMERE, *ita vt exprimat hoc vocabulum nostrum Schnauben, quod signum est equorum alacritatis. Solebant ex equorum vel moestitia, vel alacritate euentum futurum dimicaturi colligere* Aen. 12, 82. Poscit equos gaudetque tuens ante ora *frementes.* * *cum quarto casu* Aen. 5, 555. quos omnis euntes Trinacriae mirata *fremit* Troiaeque iuuentus. *cum fremente, sonante applausu prosequitur! Sic etiam assentiri cum sonitu, aut strepitu, de multitudine. bene* Aen. 1, 563. cuncti simul ore *fremebant* Dardanidae. *expressit illud Homeric.* Il. α. vers. 27 ἐνθ' ἀλλοι μεν παντες ἐπενφημησαν. *quod verbum et alibi ita inuenitur.*

FRENARE Aen. 1, 58. Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit, est vinclis et carcere *frenat. suauiter* frenare,

nare, *cum praeceſſerit* vincla. vinclis et carcere *eſſe* vinculis in carcere *ſciunt omnes.*

FRENVM Aen. 12, 568. Ni *frenum* accipere et victi parere fatentur.

FRIGIDVS Georg 4, 104. *frigida* tecta, *relicta, quae non habitantur aſſidue, fouentur.* * *mortuus* Georg. 4, 506. Illa quidem Stygia nabat iam *frigida* Cymba. *ibid.* 525. *de Eurydice iterum orco immiſſa:* Eurydicen vox ipſa et *frigida* lingua, Ah miſeram Eurydicen! anima fugiente vocabat. *et ita vocabulum ſaepius; ſemel annotaſſe ſatis ſit* * frigidus anguis. Ecl. 3, 93

FRIGVS, *ſimpliciter de pluuio tempore apud poetas* Georg. 3, 279. aut vnde nigerrimus Auſter Naſcitur, et pluuio contriſtat *frigore* coelum. *Dubitarunt h. l. docti viri, an cum de Auſtro hic ſermo ſit, frigoris mentionem hic bene fecerit poëta. Optime defendit locum, iſta, quam adduximus, rattone* Heynius; *vt enim pluuia tempeſtas plerumque eſt frigidiuſcula, hanc rem, quae raro aliter accidere ſoleat, arripiunt poëtae, vt conſtans pluuii temporis ea effingant epitheton.* Georg. 4, 261. frigidum *vocat* Auſtrum, *quem alias* Georg. 1, 462. humidum *dixerat.*

FRONS, *variae ſcenae frontes, de immutationibus ſcenae* Georg. 3, 24. 25. Vel ſcena, vt verſis diſcedat *frontibus; vtque purpurea intexti tollant aulaea Britanni. ſcenae tunc erant verſatiles, quae circumagebantur vt diuerſae partes oſtenderentur, et ſic* frontes *verterentur.* Diſcedat *ad id pertinet, quod ita erant fabricatae, vt a ſe diuelli partes, et vero etiam coniungi poſſent. vid.* Pegma P. I. Indicis. *Aulaeum autem non pro noſtro more ſuperne affixum inde demittebatur, ſed a ſolio in altum tollebatur, ad obuoluendam ſcenam; ita imagines pictae quales ſunt h. l. intexti Britanni, qui bellicoſa ſpecie cum ſenſim*

e terra surgere sic viderentur, tollere bellum dicuntur. cf Ouid. Metam. L. 3. vers. 111-14.

FRVSTRARI Aen. 6, 488. Inceptus clamor *frustratur* hiantes; elegant. *Qua fitum est, qui fieri potuerit, vt clamare haud potuerint, cum tamen cum illis Aeneam loquutum esse liqueat. Pauci. responderi potest ex natura idolorum id esse depromtum, vt in magico susurramine, quod refert* Appuleius Lib. 3. *in re magica &c. fitum fuerit colloquium.*

FVLMINEVS, *de Heroe praeclare* Aen. 9, 812.

FVNALE *est, quod intra ceram est, dictum a funibus quos ante vsum papyri cera circumdatos habuere veteres. Alii* funalia *appellarunt, quod in fune vt cincendula lucet, quos Graeci πυρσους vocant. Varro de vita pop. Rom.* Facibus aut candela simplici aut ex funiculo facta, cera vestita, quibus ea figebant, appellarunt *funalia.* Aen. 1, 731. noctem flammis *funalia* vincunt.

FVNDA, *retis genus, iaculum* (βολος) *quod funditur in aquam.* Georg. 1, 141. atque alius latum *funda*, iam verberat amnem, alta petens; pelagoque alius trahit humida lina. Altum petens *explicat* Heynius *de medio alueo fluminis; sic* Burmannus *quoque, qui et exempla affert* flumen altum *dici, quae an huc pertineant, dubito. Fuerunt iam ante* Seruium, *qui post* amnem *distinguerent,* altum petens *vero traherent ad maris piscationem. Et nobis quoque videtur prior illa ratio incommodior, praesertim si ad incrementum artis videndum, cum alius latum amnem transnauigat, alius vero iam securior alta petit, et in ipso mari piscatur.*

FVNGVS, *de solidioribus partibus atque sordidis, quae ex ellychnio in* fungi *speciem excrescunt.* Georg. 392. testa (*lucerna fictili*) cum viderent, scintillare oleum, et putres concrescere fungos.

gos. *Bene adiicit* puires.

FVNVS, *de ipsa morte* Aen. 11, 28. Abstulit atra dies, et *funera* mersit acerbo. *audacter dict.* funere, *morte aliquem mergere.* * funera pati *intelligo ego de calamitatibus, interitu nauium, vrbis Troiae, et sociorum.* Aen. 1, 236. Quibus tot *funera* passis cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis. * *de cadauere, mortuo.* Aen. 9, 491. Quo sequar, aut quae nunc artus, auulsaque membra Et *funus (corpus)* lacerum tellus habet, *sic etiam ego capio* Aen. 4, 618. vidensque indigna suorum funera, *indigne foedata.*

FVR, *seruorum communis appellatio* Ecl. 3, 16. Quid domini faciant, audent quum talia *fures?*

FVRIAE ventorum, *poëtice et noue de procellis impetuosis.* Aen 10, 694. rupes vastum quae prodit in aequor Obuia ventorum *furiis*, expostaque ponto.

FVRTVM, *de latenti nocturna caede* Aen 9, 356. Hic *furto* feruidus instat. *vide* h. v. in Claue Quidiana.

FVSVS, *nota res in manibus parcarum, quae si humanas res moderantur aut tempora, id suis fusis facere dicuntur.* Ecl. 4, 46. Talia secla, suis dixerunt currite *fusis* parcae. *Ita* Catullus 60, 320. Currite ducentes sub tegmina, currite *fusi. Id vult Virgilius: dixerunt parcae suis fusis currite per haec tam felicia secula, ita vt non interrumpantur vnquam, id enim infestum erat.*

FVTILIS, *fragilis.* Aen. 12, 740. Mortalis mucro glacies ceu *futilis* ictu dissiluit. Aen. 11, 339. consiliis habitus non *futilis* auctor, *inanis, inutilis. vide* h. v. in I. Part. Clauis.

G.

GALERVS, *genus pilei in modum galeae* Aen. 7, 688. pars spicula gestat Bina manu, suluosque

lupi de pelle *galeros* Tegmen habent capiti. *vide* Varron. de L. L. 4, 23. Iunius *putat respondere hunc pileum ei, quem Dionysius vocat* πίλον κωνοειδῆ.

GAVDERE, *Alacritatem voluit leonis exprimere gaudii verbo* Aen 12, 6. Gaudetque comantes Excutiens ceruice toros. *suauiter, ad imaginem veram effingendam!*

GEMERE, *suauiter et poetice de fluuiis* Aen. 5, 806 cum — Millia multa daret leto, *gemerent*que repleti Amnes, nec reperire viam atque euoluere posset In mare se Xanthus. *comp. cum h. l.* Iliad. Φ, 9. sqq.

GEMINVS Aen. 7, 450. quaerentem dicere plura Reppulit et *geminos* erexit crinibus angues. *Atqui omnes erexit? Ergo* similes *explic.* Seruius. *Quod cum profecto sit frigidum*, Burmann. *malit* gelidos. *Sed quidni* duos *praecipue? Aut forte* extraxit? *quia sequitur* verbera insonuit. *vt vers.* 346. Vnum de crinibus anguem Conlicit; *adeoque extractum.*

GENERATIM, *per singula genera* Georg. 2, 35. Quare agite, o, proprios *generatim* discite cultus, Agricolae.

GENIALIS, *magnificus, instar eius rei, quae nuptiis in honorem genii paratur.* Aen. 6, 604. Lucent *genialibus* altis Aurea fulcra toris. *Itaque* tori geniales *sunt magnifici, lecti ad discumbendum, tales, quales in nuptiis in honorem genii sternuntur. Quem sensum etiam probat, vt* Cerda *vidit*, Hor. ep. 1. L. 1, 87. Lectus *genialis* in aula est. * *quodcunque tale est, vt eo liceat genio suo indulgere*, geniale *dicitur* Georg. 1, 302. Mutnaque inter se laeti conuiuia curant; Inuitat *genialis* hiems, curasque resoluit. *Hiems agricolis* genialis.

GENITALIS Georg. 2, 324. Vere tument terrae et *genitalia* semina poscunt; *quibus procreantur fruges.*

GENS *pro genere, aut grege* Georg 3, 73. et pecori est idem dilectus equino Tu modo, quos in spem statues submittere *gentis*. Praecipuum iam inde a teneris impende laborem. *ibid.* 122. Neptunique ipsa deducat origine *gentem*. *ibid.* 158. *continuoque notas et nomina gentis inurunt, de more; vid. ad h. loc.* Cerdam, *et ad* Georg. 1, 263. *genus et nobilitas et patria designabatur, atque dominus.*

GERERE *de imitatione vel simili specie* Aen. 12, 472. Cuncta *gerens*, vocemque et corpus et arma Metisci. * gerere nomen, *de celebritate famae* Aen. 2, 90. Et nos aliquod nomenque decusque *gessimus*, i *nominis decus*. * Aen. 2, 156. vittaeque Deum, quas hostia *gessi*, *ex more veterum, quo hostiae vittis cingebantur. vt ex Antiquitt. notum.*

GLACIALIS, *epithet. hiemis pulchr.* Aen 3, 285. Et *glacialis* hyems aquilonibus asperat vndis. *vide* Asperare.

GLISCERE, *crescere, augeri, Et quidem latenter crescere, Vox cum delectu vsurp.* Aen. 12, 9. Haud secus adscenso *gliscit* violentia Turno. *Bene ergo hoc verbo vtitur, de quo ait:* Vltro implacabiles ardet Aen. 12, 3.

GLOBVS flammarum, *venuste* Aen. 3, 574. Attollitque *globos* flammarum, et sidera lambit. *Tota descriptio longe excellentissima. lege ipsum locum et conf. vocab.* Ruina. * *de assurgente puluere.* Aen. 9, 36. Quis *globus*, O cives caligine voluitur atra. *bene* voluitur, *de globo. cf. vers.* 33.

GLOMERARE fuga, Aen. 4, 155. Agmina cerui puluerulenta fuga *glomerant. suauiter* Puluerulenta, *nec minus* glomerare; *rem subiicere videntur verba oculis.* * *bene* Aen. 2, 315. Sed *glomerare* manum bello, et concurrere in arcem. Cum sociis ardent animis. adde Aen. 9, 792.

Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno et *glomerare* manum. * *de multitudine eunte* Aen. 1, 504. mille secutae Hinc atque hinc *glomerantur* Oreades. * *de Aetna igniuomo cum insigni virtute pingendi* Aen. 3, 577. Cum gemitu *glomerat* fundoque exaestuat imo. * gressus glomerare *eleganter de equo in palaestra exercitato* Georg. 3, 117. equitem docuere sub armis Insultare solo et gressus *glomerare* superbos. *Quod proprie hic est equi, id equiti insedenti recte tribuitur* v. 191. 192. *fere idem* carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare Compositis sinuerque alterna volumina crurum Sitque laboranti similis.

GRACILIS auena, *tenuis* Aen. 1, 1. Ille ego qui quondam *gracili* modulatus auena Carmen, et egressus siluis vicina coëgi. *Quaerunt interpretes, cur* gracilem *auenam dixerit; res vero est in promptu, namque silius Bucolicorum tenuis est. vocab.* siluas *respicit Bucolica; et voc.* vicina *Georgica. Si amarem lectionis variae speciem, quamplurimos doctos viros laudarem, qui disputarent, sint isti priores quatuor versus Virgilii, an Tuccae et Varii, qui recensentes hoc opus eos adiicerent. Sed Janus poeticae artis sensus, et doctus statim mecum conspirabit, vt spero, si dicam, non esse eos versus Virgilianos.* Marcklandus ad Statii. Silv. 3, 8. *plura doctiora dare potest; nunc ego profiteor, hos versus non redolere Virgilianam rationem. namque repugnat primum legibus epici carminis, de se poëtam talia in initio carminis iactare, deinde versus tertius:* vt quamuis auido parerent arua colono *habent nescio quid superflui, et displicentis skili; denique illud* At *versu 4 turbat sensum. Tandem nimis apertum est, Virgilium in initio carminis esse Homerum imitatum, qui sic Odysseam incipit:*

Ανδρα

Ἄνδρα μοι ἔννεπε &c. *Accedit vt his verbis Aeneidos initium faciant* Ouid. Amor. 1, 15, 22. et Martial. 8, 51. *et Seruius ita eos interpretetur, vt diserte dicat, e propositione* fieri initium. *Iudicat mecum etiam Francogallus le Bossu* libr. 3, c. 1. hos versus Virgilio plane indignos, *et a primordio bono docti epici poëtae prorsus abhorrentes, vt taceam, quod iam* Burmannus *vidit*, coëgi, vt parerent *esse phrasin minus elegantem, licet in tali re vix nostro iudicio praesertim in poëtis, fidendum sit. Vox* gracilis *autem ita etiam antiquis nonnullis poëtis vsurpata est, vt notet* stilum tenuem; *exempla protulit* Cerda *ad h. l. ex* Propertio, *qui* graciles Musas *dixit de carminibus tenuis orationis, et ex aliis. Sed cur* vicina arua *dicantur, nemo intelligit.*

GRADIVVS pater, *nomen Martis* Aen. 3, 35. Nymphas venerabor agrestes *Gradiuumque* patrem Geticis qui praesidet armis. *Dicitur* gradiuus, *quod* graditur *quasi in pugnis. Mihi pingi maiestas Dei hoc verbo, in pugnis magnis gressibus, qui eum decent, incedentis, videtur. Omitto omnia alia explicationis genera.*

GRAIVGENA, *Antiqua vox pro* graeco. Aen. 3, 550. *Graiugenumque* domos suspectaque linquimus arua.

GRAMEN segetis. Aen. 7, 808. Illa vel intactae segetis per summa volaret *gramina* (*cuspides*) nec teneras cursu laesisset aristas, vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti Ferret iter, celeres nec tingueret aequore plantas. *Quam bella descriptio volitantis, rapidae virginis. Laudat h. l. pluribus* Marmontel dans la poëtique francoise. Tom. I. pag. 2.

GRANDAEVVS, *vox forte a Virgilio nata* Aen. 1, 121. Qua (nam) rectus Abas et qua *grandaeuus* Alethes. *postea plures poëtae*, Ouidius *alii-*

aliique hoc vocabulo vsi sunt.

GRATIA *pro* vtilitate Georg. 1, 83. sic quoque mutatis requiescunt foetibus arua. Nec nulla interea est inaratae *gratia* terrae. *per fructus suos ager fit gratiosus. Dissentiunt, vt video, interpretes in explicatione huius loci, neque certi aliquid quisquam addidit. Obseruandum vero est ne illud, quod dicit* nec nulla *more consueto sumatur, affirmando, vt fere omnes intellexerunt, et quo inductus Seruius per λιτοτητα dictum arbitrabatur, oblique sane. Constant vero verba Virgilii a versu 73. sic optime: post legumina et vicias farra seres iterum, lina autem auenae et papauera in illo agro non serenda, nimis enim vrunt et exsiccant eum, sed tamen si alternis annis tales fruges seruntur vt scilicet vrentes excipiant aliae, quae minus succi desiderant, et agrum non exsugunt, facilis fit agri labor, sub quo non succumbere debeat, tu modo eum adiuues, et simo atque cinere sub arationem recrees. Ita enim necesse non est, vt requiescat ager noualis, (quod commendauerat v. 71.) sed alternis illis annis, quibus leues fruges fert, requiescit iam quasi, et tu habes hanc vtilitatem, vt nec quaeri debeas (quod forte fit iis annis, vbi interquiescit ager) nullam esse agri tui vtilitatem, quia noualis scilicet et inaratus isto anno sit.*

GRAVATVS, nodis grauatum robur, *de claua Herculis* Aen. 8, 220. rapit arma manu: nodisque *grauatum* Robur. Grauatum *pro* graue *dixit.*

GRAVIDVS imperiis, *qui multos reges regit est* Aen. 4, 229. qui *grauidam* imperiis belloque frementem Italiam regeret.

GRAVIS *fortis* Aen. 12, 458. Fecit ense *grauem* Thymbraeus Osirim. Sallustius fragm. incert: Lusitaniae *grauem* ciuitatem.

tatem. *auctoritate pollens, venerabilis.* Aen. 1, 155. pietate *grauem* ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent. * auro dona grauia *intelligo ego* aurum ipsum; *dona grauia, quia auro constabant.* Aen. 3, 464. Dona dehinc auro *grauia*, sectoque elephanto imperat ad naues ferri. *verba* secto elephanto *non retulerim ad* grauia, *sed à capio* dona elephanto secto *pro* ex eleph. s. *vt saepissime, i. e.* eborà. *Nihili est quaestio* Seruii „vtrum aurea, an „quibus non totis aureis „addito auro pondus accesserit?„ * Ecl. 1, 50. Non insueta *graues* tentabunt pabula foetas. *vid.* foetus. *Si post tantos viros, qui hunc locum tentarunt, licet dicere quod videtur, simplicissimus est sensus et rei magis conueniens, si* foetae *intelligantur* praegnantes, *his enim pabula maxime salubria, eiusmodi sunt consueta, procuranda sunt,* graues *additum ornatus causa, non propriae significationis. Non audiendi, qui, quod duo hic coniungantur adiectiua, regerant.* * Georg 3, 415 galbaneoque agitare *graues* nidore chelydros. graues chelydri *quod foetore intolerabiles aut venenosi. Alii legere malunt* graui nidore, *male, vid* Heyniu. Georg. 3, 451. Elleborus *grauis, graui odore.*

GVRGES curuatus, *defluctibus impetuosis, sinuantibus* Aen. 3, 564. Tollimur in coelum curuato *gurgite* et idem Subducta ad manes imos desidimus vnda. *praeclara descriptio!*

GYRVS *interior, breuior.* Aen. 11, 695. Orsilochum fugitas, magnumque agitata per orbem Eludit *gyro* interior sequiturque sequentem. *pulchra descriptio: de voce* gyro. cf. I. Part. Clav. * *bene de serpente* Aen. 5, 85. Dixerat *haec*: adytis quum lubricus anguis ab imis Septem ingens *gyros* septena volumina traxit. *Verba omnia proinde lecta!*

Eius-

Eiusmodi vero signa solemnia fuere quae angues *indicarent, quos* genios *loci credebant. Hoc loco vero, in tota illa narratione* Virgilius *est imitator illius portenti Homer.* Iliad. β, 308. &c. *quam comparare necesse est c. h. l.* * Georg. 3, 117. equitem docuere sub armis insultare solo et gressus glomerare superbos; *qui locus conf.* cum Georg. 3, 191, et 192. vbi carpere *gyrum.* vide Glomerare.

H.

HABENA, *de funibus nauium recte explicat* Seruius *in* Aen. 6, 1. Sic fatur lacrymans, classique immittit *habenas. Recte etiam notatum est esse imitationem Homeri, qui* Odyss. δ, 782. ἐντύναντο δ' ἐρετμὰ τροοὶς ἐν δερματίνοισιν. *et* Odyss. β, 426. ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐὺς ῥεπτοῖσι βοέσσι. *i. e. loris bouis, his enim vtebantur antiqui. Omnino notandum, et maiorem partem huius* sexti libri, *ita vt* quinti *constare imitationibus Homericis.* * Aen. 5, 662. furit immissis Vulcanus *habenis. noue dict. a poëta. ignis vi sua, suo impetu furit, vt equus ruens immissis habenis.* * teres Aen. 11, 529. et fundam *tereti* circum caput egit *habena. habili, bene tortili.* * Aen 12, 499. suscitat, irarumque omnes effundit *habenas.* cf. Lib. 1, 63.

HABERE Ecl 3. 52. Quin age si quid *habes. potes.* * *est proprium in re pecuaria* habere pecus *nutrire, seruare bene habitum.* Georg. 1, 3. quis cultus *habendus* sit pecori. Georg. 3, 159. Et quos aut pecori malint sumittere *habendo.* * Hoc *habet,* i. e. *lethali percussus est vulnere. Apud antiquos enim haec erat nota formula, inprimis de gladiatoribus:* hoc habet, *quod nunc,* peractum est. *Sic Terentius:* Certe captus est, *habet.* Aen. 12, 296. Hoc *habet,* haec melior magnis data victima Diuis. *Sane sarcasmos*

casmos est, quasi de loci qualitate inuentus; nam quia super aras cecidit, ait: Haec melior magnis data victima Diuis.

HABILIS Georg. 2, 92. Pinguibus hae terris *habiles*, leuioribus illae, *scil vuae s. vites. si qua terra arbori cuidam est accommodatior, in ea fit* habilis *et maxime virens*. Colum. 3, 2. *quaedam vites terrae mediocritate lactantur*. * arcus Aen. 1, 322. humeris de more *habilem* suspenderat arcum: Seruius „aptum sexui„, *explicat. at cur* sexui? habilis arcus *est aptus, decens, et quem bene tractare possit Venus. vid. hoc. vocab. in l. Part. Clauis.*

HABITVS Georg. 1, 52: *habitus* locorum, *natura, genius agri*, Φυσις της γης, *vt Xenophon* in Oeconom. 16.

HAERERE Georg. 2, 422. Non vlla est oleis cura Quum semel *haeserunt* aruis, auraeque tulerunt. haeserunt aruis, *radices egerunt*! cf. 318. *Mauult* Heynius *versum nostrum* 422. *trahi ad id, quod sequitur, non vero coniungi cum prioribus versibus, id quod fit apud omnes fere; sic enim frigidiusculus ille versus videatur. Nobis sane nunc ita videtur.* Auras ferre arbor *dicitur, si iam validior, nec prorsus recens ac tenuis.* * Aen 7, 533. *Haesit* enim sub gutture vulnus, et vdae vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam. Haesit vulnus: i. *mansit infixum, bene* iter vocis inclusit, *nec minus*, tenuem vitam. * *immutabile esse* Aen. 4, 614. Et si fata Iouis poscunt, hic terminus *Haeret*. * haeret vox, *obmutescit* Aen. 4, 280. Arrectaeque horrore comae et *vox* faucibus *haesit*.

HASTA Aen. 6, 760. Ille, vides? pura iuuenis qui nititur *hasta*. *Contra omnes interpretes asseruit* Gerda *sub* pura hasta *sceptrum intelligendum, id quod multis exemplis effecit. In quo consentio, quum* 765 *is, cui* hasta *tribuitur, tanquam rex*

rex indicetur. cf. Cerda *ad h. l.*

HASTILE *dicitur* ramus, *teres et rotundus, aptus haſtis faciendis, et ab ipſo hoc vſu dictus* Aen. 3, 23. cornea ſummo virgulta et denſis *haſtilibus* horrida myrtus. *non voc.* horrida *ad terram referendum, ſed ad ipſam myrtum, quae* horret *denſis ramis. vox* haſtile *ita occurrit etiam paullo abhinc* verſ. 37.

HAVRIRE, *emetiri, peragrare, quaſi adimplere* Georg. 4, 426. *de ſole medio. Et* medium ſol igneus orbem *hauſerat. Eleganter quoque de pauore* Georg. 3, 105. Exſultantiaque *haurit* Corda pauor pulſans. *Et phyſicam vim expreſſit poëta.* Pauorem *vero hic omnes affectus ſignificare, quibus turbantur homines, dum curſu certarent, monet* Heynius. * *occidere, audacter.* Aen. 2, 600. ni mea cura reſiſtat iam flammae tulerint, inimicus et *hauſerit* ignis. *vide hanc vocem in latae Ouidiana.* * latus, *confodere* Aen. 10, 314. Per tunicam ſqualentem auro latus *haurit* opertum. *vide* Haurire *in Clav. Ouid.* apertum latus *eſt, quod aperuerat,* ὕστερον πρότερον *grammatici vocant.* * haurire coelum i. *aërem* Aen. 10, 899. Vt auras Suſpiciens *hauſit* coelum, mentemque recepit. * ſupplicium, *none prō luere* Aen. 4, 383. Spero equidem mediis, ſi quid pia numina poſſunt, Supplicia *hauſurum* ſcopulis. *Similiter fere Cic. Tuſcul.* 1, 35. *hauſi* calamitates. * *improprie, ſed eleganter ſaepius vtitur noſter hoc vocabulo, vt* auribus *hauſi: vbi a ſenſu corporis conuertit verbum ad ſenſum animi. En varietatem* Aen. 12, 26. Sublatis aperire dolis ſimul hoc animo *hauſi.*

HAVSTVS Georg. 4, 220. Eſſe apibus partem diuinae mentis, et *haūſtus* Aetherios dicere. *h. e. ſpiritus emanantes ex anima vniuerſi, quae igneae aethereaeue naturae eſſe credebatur.*

Totus

Totus vero ille locus est e philosophia pythagorica, seu qui hanc in ea parte sequebantur, platonicorum et stoicorum; omnes animas esse particulas vniuersi seu animae mundi, quae si corpora relinquant, eo recipiantur. Inde est quod noster v. 226. 227. *dicit* viua volare sideris in numerum atque alto succedere coelo. *h. e. animae quasi in coelum inter sidera redeunt, ibi recipiuntur ab Aethere seu ab illo Deo.* * Georg. 4, 229. Si quando sedem angustam seruataque mella Thesauris relines (*emenda errorem in nostra editione*) prius *hausta* (*sic rectius legitur*) sparsus aquarum Ora (*idem rectius*) foue, fumosque manu praetende sequaces. *Est locus difficilis non ob lectionis verae impedimenta, sed etiam sensum plane eruendum.* Ora fouere hausto aquaram *exquisite dixisse videtur pro* aqua hausta ore fouere seu eluere. *Simili fere ratione explicat* Heynius, *nisi quod* fouere *simpliciter explicat pro tenere, continere. potest vero locus* Georg. 2, 135. olentia Medi ora fouent illo et senibus medicantur anhelis *optime huc trahi. vid. voc.* fouere. Sparsus *ornatus causa additum, cum enim aquam haurit, ea quasi spargitur seu imbuitur. Qui* sparsus *per* spargens *explicant, male interpretantur. Sed est varia interpretum quoque opinio de ratione huius praecepti.* Seruius *aqua spargendas esse apes monet, ne irritatae noceant; amplectitur hanc sententiam* Cerda. Philargyrius *lepide sane sic explicat, vt eo signo silentium sit mellario impositum.* Burmannus *et qui eum sequitur* Heynius *de purificatione oris intelligunt, quia malus odor ingratus apibus, addam etiam ipsi melli noxius. Hanc ob rem maluerunt etiam cum* Heinsio *legi* v. 228. sedem augustam, *sancte, casteque adeundam scilicet.* „*Imprimis*, ait „*Plinius*, *praecipitur*, „*vt*

„vt lauti purique exi-„mant mella. Habet Cerda plura, quae huc pertineant ad verſ. 49. Eumus vero adhibendus, quo apes abigantur. vid. Plinius c. 16. Colum. c. 15. Quae autem res ipſa facit, vt vix conquieſcere in poſteriore quoque ſententia poſſim. Os eluendum prius, ne graueolentia oris fuges apes, at quid tamen in manu fumi ſequaces? Videtur hercle locus aliam deſiderare explicationem, quam quae data ab interpretibus. Sic fere coniicerem duo praecepta dediſſe Virgilium ei, qui aluearia adire vellet et mella capere, primum vt lautus accederet purusque, ne mel nimirum inficeretur, aliqua ſorditie: deinde vt fumum ſemper prae ſe ferret ad abigendas apes, fouere itaque ora hauſtu aquarum idem ſit ac abluere ſe, et os atque manus quoque, quas tamen deinde vocat. Confirmatur hoc eo, quod addit ſparſus, ad rem deſcribendam. fouere de lauatione quoque non inſolitum videri poterit, cum aqua recreentur quaſi membra, pro lenire enim et mitigare ſaepius, imo de rebus adeo frigidis vſurp. vide Geſneri theſaurum.

HEBETARE viſus, obſcuriores facere, eleg. Aen. 2, 605. omnem quae nunc obducta tuenti Mortales hebetat viſus tibi et humida circum caligat nubem eripiam. Plane tota illa fictio ex Homero Iliad. E, 127. ſumta, ſed mihi non aequo iure vſurpata videtur a Virgilio. Cur enim Venus h. l. Aeneae oculos aperit, vt diuos cognoſcat? Cur? quo cernere poſſet diuos ſolos perdere Troiani? Atqui hoc matri credere debebat, neque ideo tanto miraculo opus erat. Cur itaque? — Neſcio plane ego. Quae ſequuntur verſibus ſequentibus, eo magis me adducunt vt dubitem de felici Homeri hoc loco imitatione. Longe alia res eſt apud Homerum. namque Diomedem loc. cit. diuos cognoſcere opor-

oportebat, nisi occidi debebat, quod Minerua pati nullo modo poterat, quoniam eo vti in bello in animo habebat, id quod et postea factum.

HEBRVS, *fluuius Thraciae, iuxta Cypsala oppidum* Aen. 12, 330. Qualis apud gelidi cum flumina concitus *Hebri* sanguineus Mauors clipeo increpat.

HESPERVS Vesperus. Ecl. 8, 30. deserit Hesperus Oetam. *Obseruat* Heynius *a graeco quodam poëta ductam esse locutionem, qui in Thessalia forte habitans noctis aduentum sic descripserat, tali enim videbatur Vesperus oriri in monte Oeta. Caeterum Damon hic per sarcasmum nuntiat Mopso citiorem noctis aduentum.*

HESTERNVS Aen. 8, 543. sopitos ignibus aras Excitat, *Hesternum*que Larem; *cui pridie sacrificauerat, eum Larem rursus excitat igne sacro nouo. vide* Sopitus.

HIARE, *auere, ambire, impatienter exspectare* Georg. 2, 508. hunc plausus *hiantem* Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque Corripuit. *Alii aliter sensum diuidunt. nos sequimur* Heinsium, *cum in eo, quod* geminatus *legendum sit pro* geminatur, *tum quod* geminatus enim *parenthesi concludamus, cetera coniunctim legamus. Elegans vero versus videtur; de illis loquitur poëta, qui auram vulgarem captare solent, quos ille plausus corripit seu percellit, commouet animum, quique in theatrum venientes plausum dari ibi solitum, hiantes, ore quasi sectantur, et oculis modo ad primos proximosque ordines coniectis modo ad altiores et viliores, geminatus enim et a principibus exspectatur et a plebe. Pulchre inhaesit poëta significationi* hiare, *h. l. de hac re.*

HIBERNVS Ecl. 10, 20. Vuidus *hiberna* venit de glande Menalcas. *vid.* vuidus. * *procellosus* Ge-

org. 4, 474. *hibernus* imber. cf. Hiems.

HIBISCVS, *maluarum agreſtium genus* Ecl. 2, 30. Hoedorumque gregem viridi compellere *hibiſco*. *Intelligendum h. l. de virga* hibiſci, *qua gregem agit paſtor.*

HIEMS, *ſimpliciter pro tempeſtate* Georg. 3, 470. Non tam creber agens *hiemem* ruit aequore turbo. Georg. 1, 320. Omnia ventorum concurrere proelia vidi Quae grauidam late ſegetem — Sublime expulſam eruerent; ita turbine nigro Ferret *hiems*. *Varie interpretantur hunc locum, de conſtructione enim inter plerosque non ſatis conuenit. Optime* Heynius *rem totam conſtituit in commentario ſuo; Variauit, inquit, poëta orationem, cuius naturalis ordo hic erat: vidi ventos, ſeu ventorum proelia concurrere et hiemem ferre. h. e. cum dicit vidi — vt ita hiems ferret; omiſit particulam copulandi.* Georg. 1, 391. Nec nocturna quidem carpentes penſa puellae Neſciuere *hiemem h. e. tempeſtates horridiores.* * *Sic et pro procellis* Georg. 3, 197. Hyperboreis aquilo quum denſus ab oris Incubuit Scythiaeque *hiemis* atque arida differt Nubila. * *pro ſignis hiemalibus.* Georg. 2, 322. Quum rapidus ſol Nondum *hiemem* contingit equis.

HILARANS Ecl. 5, 69. Et multo inprimis *hilarans* conuiuia Baccho. „*Hilaritas praecipue de ebriis dicitur*„ *h. l. adnotat* Cerda.

HISCERE *elegantiſſime, de eo, qui prae moerore non loqui aperte poteſt, ſed per ſingultum ſingula verba, aut ſonos ſubmiſſe prodit* Aen. 3, 314. Vix pauca furenti Subiicio, et raris turbatus vocibus *hiſco*. *bene* raris vocibus,

HONESTVM, *pulchrum, formoſum, inter poëtas conſueta ſignificatio, ab eccleſiaſticis ſcriptoribus deinde adamata;* Tertullianus *ſaepius ea vtitur. de Bacchi vultu*

Georg.

Georg. 2, 392. Caput *honeſtum. de elegantia huius loci vide* Heynium; *tam multa complexus eſt ea allegoria Virgilius. conferenda praeterea ſunt, quae ſub* oſcillum *dicentur.* Aen. 10, 133. Dardanius caput ecce puer detectus *honeſtum, quae ſequitur comparatio elegans laudatur et fuſe explicatur a Francogallo* Le Boſſu du poëme epique libr. 1. c. 6.

HONOR arborum, *ſiluarum, pro fronde frequenter apud poëtas* Georg. 2, 403. Frigidus et ſiluis aquilo decuſſit *honorem.* * *ſimpliciter pro ſacrificio. ſic* Georg. 3, 486. ſaepe in *honore* Deûm medio ſtans hoſtia ad aram. * *de pudicitia, illibata iuuentute, qui vere poteſt et ſolet eleganter* honor *dici* Aen. 1, 32. ſpretaeque iniuria formae Et genus inuiſum et rapti Ganymedis *honores.* ſpretam formam *referendum eſſe ad iudicium Paridis, apertum eſt* cf. Faſt. Ouid. 6, 43. genus *vero* inuiſum *pertinet ad* Electram pellicem *Iouis ex qua Dardanus natus, vnde Troiani ducunt originem.* Rapti *denique* honores *reſpiciunt fabulam de Ioue, qua narratur puerum Ganymedem a Ioue raptum* cf. Valer. Flacc. 2, 414 *vbi raptus fuſius deſcribitur et* honores *Ganymedis. Adde* Ouid. Met. 10, 155. *Sunt qui* raptos honores Ganymedis *intelligant de honore quo in coelo* pincerna Iouis *receptus eſt, loco Hebes, quae antea hoc munere infundendi et miſcendi nectaris vſa erat. Sed illi ne refutatione quidem digni.* * Aen. 1, 53. ſupplex aris imponat *honorem; tura in meum honorem, ſuauiter. Sic et* Aen. 3, 118. meritos aris mactauit *honores, de ſacrificiis.* * honores *de oculis* Aen. 1, 595. Caeſariem nato genitrix, lumenque iuuentae Purpureum et laetos oculis afflaret *honores; decentiam, pulchritudinem.* * honorem indicere templis, *de feſtis, ſupplicationibus a-*

pud Virg. Aen. 1, 636. simul Aeneam in regia ducit Tecta; simul diuum templis indicit *honorem*. *Adscribam hic notam* Seruii: Apud ma„iores nostros fuit mos, „vt magistratus post res „serias, quae consulto „peragebantur, in fine „actus adderent: *diis ho„norem dico*: vel alio „modo: *hinc ad Deos*: „quod poëta, amator „antiquitatis, subtiliter „docet: („*non amator, sed poëta antiquitatis, tum temporis enim adhuc hic mos inualuit*) infert enim Didonem, „post habitum cum Ae„nea colloquium, et iun„ctam hospitalitatem. „*Quare agite, o tectis, „iuuenes, succedite no„stris*: *vt* supra: *vr„bem quam statuo vestra „est*: post actum publicum Diis sacra iussisse. indicere *hac in re notum et solemne verbum*. * Aen. 3, 484. Fert picturatas auri subtemine vestes Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit *honori*. Seruius *explicat*„ tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius„. *Sinistre alii legunt* honore; *et interpretantur*: „honore non „cedit Steleno, qui pa„tri eius et auo donaue„rat multa„. *non bene!* Burmannus *haec*: „ho„nor verborum intelligi„tur, qui saepe occur„rit„ *pessime! facilis sensus*: non cedit honori *est*: *honorem Ascanio praebet, honore eum ornat, scilicet cum tanta dona daret; nam statim sequitur*: Textilibusque onerat donis. *sic* cedere *et apud Ciceronem occurrit* saepius. * *praemium* Aen. 5, 308. Omnibus hic erit vnus *honor*.

HONORATVS Aen. 5, 50. Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum, semper *honoratum*, sic Dii voluistis, habebo „ *quia Deus effectus Anchises mortuus*„ Seruius. *ego vero* honoratum *simpliciter intelligo, dignum honoribus, feriis, de quibus iam sequitur oratio Aeneae vers. consequ. cf.* prae-

praesertim vers. 53. *et* 58

HORRENDVS clamor Aen. 2, 222. Clamores simul *horrendos* ad sidera tollit. Quales mugitus &c. cf. *cum toto illo de Laocoonte loco imitationem Petronii in* Haloisi Troiana *et praecipue* Lessingii Laocoontem, *siue* über die Grenzen der Poësie und Mahlerey pag. 54. &c. *vbi et laudatum* Winçkelmannum, *qui statuam explicat hoc monstrum exhibentem, et alia, quae huc pertinent, plura leges, quae ideo excerpere non lubet, quod et nimis multa et lectu per se dignissima sunt.*

HORRENS, *de eo, quod horrorem iniicit, ab effectu, vt mos poëtis est.* Aen. 1, 315. Arboribus clausam circum et *horrentibus* vmbris. * Aen. 1, 638. magnorum *horrentia* centum Terga suum. *bene, quia horrebant setis.*

HORRERE *apud poëtas id dici solet, quod erectum stat, eminet* aut durescit Georg. 1, 151. *Eleganter de carduo, qui spinis erectis stat,* Segnis *horret* in aruis carduus. Georg 2, 69. horrida arbutus *a cordice hispido.* Georg. 3, 161. Campum *horrentem* fractis inuertere glebis, *durum et incultum* Georg 1, 449. Tam multa in tectis crepitans salit *horrida* grando. *Eleganter quae exsultim ludit.* * *de acie in hastis et armis stante consueta locutio* Georg. 2, 142. Nec galeis densisque virum seges *horruit* hastis. *segetem vocat, quia nati e dentibus satis. Nota est fabula de Iasone. Caeterum est ad notandum iucundissima illa ars, quam hic adhibet poëta vt laudes Italiae prae ceteris regionibus extollat* 140-148. * Aen. 2, 12. Quamquam animus meminisse *horret* luctuque resugit. *i. discessit a me, de statu deiectus sum.* * lustra horrentia Aen. 11, 570. *sunt squalida, quae excitant horrorem.* * *de campo vbi hastae erectae, sublimes, manibus elatae asperum quasi pro-*

spectum effingunt Aen. 11, 602. late ferreus hastis *Horret* ager, campique armis sublimibus ardent. *Est vero ducta imago ex Homero. vide voc* Ferreus. * Aen. 6, 419. Cui vates *horrere* videns iam colla volubris — offam obiicit. *Belle* horrere, *sich straeuben adhibetur de* colubris, *cum Cerberus pro* pilis serpentes *habuisse fertur.*

I.

IACERE, telo, *per breuiloquentiam, iacere interfectum telo.* Aen. 1, 103. Saeuus vbi Aeacidae *telo iacet* Hector. Iacere *dici de victis et interemptis notum est.* * terta iacens; *quasi in longum expositа, epitheton pingens* Aen. 1, 228. Iupiter aethere summo Despiciens mare veliuolum, *terrasque iacentes. vide* Veliuolus.

IACTARE, *dici* iactari, *qui errant, praesertim in mari, procellis huc illuc acti, notum est, sed non adeo notum fuisse videtur, bene etiam,* terris iactari *illum dici, qui ad varias regiones appellit, errabundus in mari, id quod accidit Aeneae, vt ex Virgilio constat, male itaque omnes fere interpretes versum hunc:* Aen. 1, 7. multum ille et terris *iactatus* et alto, *sic explicuerunt, vt in* terris iactatum *Aeneam intelligerent de* monstris in Thracia, pestilentia in Creta, Harpyiis in Strophadibus, patris morte in Sicilia; *cum potius referendum sit ad varios illos errores, quibus in Sicilia, Africa &c. morari coactus fuit.*

IACVLARI ignem, *de mittente fulmina* Aen. 1, 46. Ipsa Iouis rapidum *iaculata* e nubibus *ignem* Disiicit rates, euertitque aequora ventis. *Habet h. l. vocab.* ipsa *vim quandam:* dulcis enim propria manu quaesita vindicta, *vt iam notauit Seruius.* Iaculari *autem sic etiam apud* Horatium cf. *hoc vocab.* in 1. Parte Clauis, * *eleg.* Aen. 2,

276.

276. Danaum Phrygios *iaculatus* puppibus ignes. *intellig. de flammis in puppes aduentantes Graecas siue potius nauem Protesilai coniectis ab Hectore. cf. praeter Homerum* Quid. Met. 13. Ecce ferunt Troes ferrumque ignesque Iouemque In Danaas classes. *bene vero* iaculari *de vibratis, et rapido impetu coniectis ignibus. Vsurpatum hoc verbum ita etiam alibi reperies in l. Parte Clauis.*

ICTVS, *de telo quum coniicitur et propulsatur neruo.* Aen. 2, 544. telumque imbelle sine *ictu* (vi) Coniecit. *bene* telum *imbelle* h. l.

IDVMAEVS Idumaea *aut* Idume *pro tota Iudaea. illa vero terra erat palmarum feraciſſima atque ab iis celebris maxime inter poëtas; inde* Idumaea *solemnis epitheton palmae a nobili quodam eius genere* Georg. 4, 12. Primus *Idumaeas* referam tibi, Mantua, palmas. *Virgilius primus poëta Mantuanus; nonuimus iam haec supra. De Idumaeis palmis pro genere vniuerso plura habes loca apud* Cerdam e. gr. Martial. libr. 10. ep. 50. Franget *idumaeas* triſtis victoria *palmas.* Silius 7. *Idumaeas* referat de Pallade palmas. *His obseruatis facile carere* Seruii *nota possumus, qui* idumaeas *abundantes explicat; frequenti enim epitheto vtitur Virgilius, propriae eius significationi minime inhaerens.*

IGNARVS *passiue, ignotus, qui ignoratur* Aen. 10, 706. *Ignarum* Laurens habet ora Mimanta. * *cui nondum aliquid nuntiatum est* Aen. 9, 288. Hanc ego nunc *ignaram* huius quodcunque, pericli est, Inque salutatam linquo. * *ad* Aen. 1, 202. *Seruius* ignarum *explicit* immemorem, *male! simplex est ib. significc. accip.*

IGNAVVS Georg. 1, 299. hiems *ignaua* colono, *quae eum retardat, otiosum esse iubet. conf.* Segnis.

IGNEVS, *belle de acri, pugnante feruide heroe.*

Aen. 11, 746. Volat *igneus* aequore, *campo quo certatur* Tarchon Arma virumque ferens. cf. *praeced.*

IGNIPOTENS, *epithet. Vulcani*, Aen. 8, 414. Haud secus *ignipotens*, nec tempore segnior illo Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit. *Sic et ibid.* 423. *&c.* Aen. 12, 90. Ensem quem Dauno *ignipotens* Deus ipse parenti fecerat.

IGNIS, *nota appellatio eius, cuius amore aliquis flagrat.* Ecl. 3, 66. mihi sese offert vltro meus *ignis* Amyntas. cf. Hor. Od. 3, 7, 11.

IGNOBILIS, *qui in rebus magnis ac grauibus non inclaruit. hinc* ignobile otium Georg. 4, 564. *de poëta. cf.* Inglorius.

ILICET, *vt respondeat gallico* enfin, *kurtz.* Aen. 2, 424. *Ilicet* obruimur numero. * *confestim, continuo.* Aen. 8, 223. fugit *ilicet* Ocior Euro. *sic etiam* Aen. 2, 758.

ILLABI animis, *de Apolline oracula edente.* Aen. 3, 89. Da pater augurium atque animis *illabere* nostris. „Quia Apollinis oracula, licet semper obscura, vera tamen sunt; vnde cum intelligentia oraculum postulat„ Seruius. *Ego simpliciter intelligo* illabi animis, *de edente oracula, qui ἐνθεὰς facere solet, aut animos hominum capere, inire.*

ILLAETABILIS, *noue, pro tristis, infaustus.* Aen. 3, 707. Hinc Drepani me portus et *illaetabilis* ora Accipit. *propter mortem Anchisis tristis locus.*

ILLAVDATVS Georg. 3, 5. quis *illaudati* nescit Busiridis aras? *Inuidiam fecerunt Virgilio hanc ob vocem nonnulli. Defendit eum iam* Gellius Lib. 2. c. 6. *qui* illaudatum *dici pro illaudabili, nulla memoria digno probat. Nec est talis verborum vsus prorsus insolens apud latinos vid. h. l.* Seruius. Illaudatus *dici poterat Busiris, quia eius crudelitas tanta dicebatur, vt nemo nisi cum horrore vnquam eius nominis memi-

miniſſet. Quod hic Cerda *praeſertim diſputat reſpexiſſe poëtam ad Iſocratis orationem, qua Buſiridem laudauit, cum iure explodit* Heynius.

ILLE, κατ' ἐξοχήν, ille Leo *i. e. princeps ferarum* Aen. 12, 5. Saucius *ille* graui venantum vulnere pectus. *Ceterum in hac comparatione vnice adhaeſit Virgilius* Homer, Iliad. 20, *vbi eadem cum Achille comparatio.*

ILLVDERE, *per fraudem moleſtiam parere. Eleganter de animalculis, quae in areas ruſticorum ſeſe furtim inducunt.* Georg. 1, 181. tum variae *illudant* peſtes. *bubones, curculiones, formicas &c. intelligit, quae furtim irrepunt et operam agricolarum eludunt.* Georg. 2, 375. Cui ſuper indignas hiemes, ſolemque potentem ſilueſtres vri aſſidue, capreaeque ſequaces Illudunt. *laedunt, ſed haec vox petulantiam bene expreſſit, qua arboribus carpendis inſultant.* * *ſic de Proteo formam mutante et in varias ſeſe ſpecies induente, ne teneatur.* Georg. 4, 406. Tum variae *illudent* ſpecies atque ora ferarum. *Alii malunt legere* eludent. *Vtrumque poſitum mira cum ſuauitate eſſe pateſt.* * *de artifice grata locutio, qui ſic imitando naturam expreſſit, vt eamne ipſam teneas an mendacium fere neſcias.* Georg. 2, 464. *illuſae* auro veſtes, *pictae vt naturam mentiantur; ſic etiam opera, quae excellens artifex producit,* illuſa *dicuntur.*

IMAGO, *de phantaſia, cogitationibus mentis.* Aen. 8, 557. propiusque periclo It timor et maior apparet Martis *imago.* * *ſpecies* Aen. 2, 369. Luctus vbique pauor, et plurima mortis *imago. variae quaſi ſpecies, i. genera mortis. Sic etiam* Aen. 12, 560. Continuo pugnae adſcendit maioris *imago.* * *vmbra* Aen. 4, 654. Et nunc magna mei ſub terras ibit *imago.*

IMBEL-

IMBELLIS Georg. 2, 172. Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris *Imbellem* auertis romanis arcibus Indum. *Vulgare est epitheton populorum Asiaticorum, qui molles, delicati vocantur ob benigniorem scilicet suae regionis naturam.* conf. Georg. 1, 57. *Consueto itaque Indorum epitheto hic vsus videri poterat Virgilius, nisi parum accommodatum haberi posset ad eam, quam infert, Augusti Caesaris laudem, qui tunc auertebat a finibus Romanorum* Imbelles *Indos; quid enim magni, si molles ac timidos? Quaerunt itaque alii probabiliorem interpretationem* imbellium. Seruius *vult idem esse ac auertendo eos reddis imbelles. Sed talia frustra, seruat poëta tenorem orationis, atque vt antea strenuam virtutem veterum Romanorum praedicauerat, eandem habet ante oculos in Augusti laudibus, qui nulla fractus molestia extremos regni fines tuetur, ita vt delicati illi Indi consistere contra Italiae tantam virtutem atque laborum tolerantiam non possint.*

IMBVERE *proprie est madefacere seu perfundere, hinc implendi, exornandi assumit significationem, vtrumque coniunctum, si de sacrificio dicitur.* Ecl. 1, 8. illius aram saepe tener nostris ab ouilibus *imbuet* agnus. * *in choare* Aen. 7, 542. Promissi dea facta potens, vbi sanguine bellum Imbuit. *venuste h. l.* imbuere *tali sensu! explic. sequentia*, et primae commisit funera pugnae.

IMMANIS ora, *tempestuosa intellig.* Aen. 1, 620. Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus Insequitur? Quae vis *immanibus* applicat oris? *Nihil hic de saeuis regionibus cum aliis cogitandum.*

IMMEDICABILIS, *de telo quod vulnera letalia infligit* Aen. 12, 858. telum immedicabile torsit.

IMMEMOR Aen. 2, 244. Instamus tamen *immemores* caecique furore.

demen-

dementes, sine omni quasi memoria, et aduertendi mente.

IMMENSVS, *bene de Cyclope Polyphemo.* Aen. 3, 632. lacuitque per antrum *immensus. Laudauit hunc locum* Quintilianus Lib. 8. c. 3. *quem confer.*

IMMINERE, *prope adstare, sed cum virtute pingendi.* Aen. 1, 169. Horrentique atrum nemus *imminet* vmbra. *sic et eod. libro* vers. 423. collis vrbi *imminet.*

IMMITIS, *epithet. Achillis* Aen. 1, 34.

IMMITTERE: habenas classi. Aen. 6, 1. Sic fatur lacrymans, classique *immittit* habenas. Immittit *idem ac permittit, remittit; sic etiam Valer.* Flacc. Argon. 8. Fugit *immissis* nam puppis habenis. *Praeterea hic belle res aurigae ad naues applicantur.* Artemidorus lib. 3, c. 58. *loquens de equo* ὁμοιως δε εστι και πλοιω, *probat, quod Homerus naues appellauerat equos.*

IMMVNDVS Aen. 12, 611. Canitiem *immundo* perfusam puluere *turpans*, cf. Georg. 1, 81. Et cinerem *immundum* iactare per agros.

IMMVNIS, Immunis *est, qui nihil praestat, quasi* sine muniis Aen. 12, 559 *Immunem* tanti belli atque impune quietam.

IMPACATVS, *ferus, indomitus.* Georg. 3, 408. *Impacati* Iberi, *quibus totum praedonum et latronum genus poëtarum more innuit Virgilius.*

IMPELLERE labentem, *adferre quid ad lapsum, befoerdern.* Aen. 4, 23. Solus hic inflexit sensus, animumque labentem *impulit. pulcra imago. Antea Dido, quam immotus ipsius sit animus, narrauerat. Nunc cum solido quasi comparat illam, signif.* quomodo *dimota ab Aenea et ad labandum prolliuis per hunc quasi fuerit protrusa et incitata.*

IMPERDITVS, *noua Virgilii vox* Aen. 10, 430. Et vos o Graiis *imperdita* corpora, Teucri. *Seruius „quos Graeci ad Troiam perdere nequierunt.*

erunt. Vsurparunt, Virgilium secuti, postea hoc verbum Statius *et* Silius.

IMPERARE aruis, *colere agrum atque exercere, vt quasi necessitate coactus fruges ferat, non sua sponte id facere videatur, sed vt iure eas ab illo poscere possimus.* Georg. 1, 99. Exercetque frequens tellurem atque *imperat* aruis. Exercere *ad ipsum cultum agri referas,* imperare *vero ad totam rationem atque curam, qua frugibus producendis insistit rusticus.* cf. Georg. 2, 10. *et arborum amputatio sic quoque ad* imperium *pertinet earum.* Georg. 2, 370.

IMPIA arma vel bella: *quae ob fidem datam non sunt sequenda.* Aen. 6, 613. Quique arma sequuti *impia. Consului interpretes:* Cerda *omni contentione efficere vult, haec bella esse ciuilia, non qualia dixi. Sed satis sequentia docent, quae tam arcte connexa cum antecedentibus sunt, non, sicuti ille arbitratur, discerni posse. nec veriti Dominorum fallere dextras, est, fidem datam non praestare. Malim itaque a partibus Turnebi, quod ad summam rei attinet, stare, licet ei in eo, quod ad vnum Menam referat, non assentiar.*

IMPLACATVS, *saeuus, qui placari nequit.* Aen. 3, 420. Dextrum Scylla latus laeuum *implacata* Charybdis Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras Erigit alternas, et sidera verberat vnda. *Longa excellens descriptio! sed comparand. fundus eius* Homer. od. μ. 105. sq. *Sed Virgilius non dixit, ter diebus singulis, sed ter, atque adeo ter deinceps, tempus non definit.* in abreptum, *est* in profundum *vide* Abreptus.

IMPLERE aliquem nuntio, *noue, ni fallor, et cum efficacia* Aen. 11, 896. Interea Turnum in siluis saeuissimus *implet* Nuntius, et iuueni ingentem fert Acca dolorem *Graecam hanc esse phrasin docet*

docet ad h. l. Cerda: *ego putauerim ad rei ἐνεργειαν pertinere. Implebatur Turnus eo nuntio, cum extra se raptus nihil nisi hoc cogitaret, et percussus eo penitus esset.*

IMPLICARE ignem, ossibus, *de amore* Aen. 1, 664. donisque furentem Incendat reginam atque ossibus *implicet* ignem. furentem incendere *est incendere et furere facere. noue vero et eleg.* implicare ignem ossibus! * Aen. 12, 743. Et nunc huc, inde huc incertos *implicat* orbes.

IMPRVDENS, *expers, impatiens.* Georg. 2, 372. pecus omne tenendum Praecipue dum frons tenera *imprudens*que laborum h. *molestiae, morsus aliorum.*

IMPONERE: *absolute* impositum *est pro* necessarium *est*, *noue*, *ni fallor.* Aen. 8, 410. Cui tolerare colo vitam tenuique Minerua *Impositum. vide* Tenuis.

IMPVNE, *sine noxa.* Georg. 2, 32. *de insitione arborum.* Et saepe alterius ramos *impune* videmus Vertere in alterius, mutatamque insita mala Ferre pirum. * Aen. 12, 559 adspicit vrbem Immunem tanti belli, atque *impune* quietam, *ita vt non poenam pro foedere non praestito luere debeat.*

IN Georg. 2, 277. *In* vnguem arboribus positis secto via limite quadret *i. e. ad vnguem.* * Ecl. 8, 83. ego hanc *in* Daphnide laurum. *subint. adoleo in Daphnidem, vt is eodem modo flamma amoris consumatur. Talem habebant de incantationibus et caerimoniis opinionem, qualis superstitio agrestibus hominibus decenter adiungitur, in his enim maxime alitur superstitio. Expressit vero noster Theocritum* Idyll. 2, 23. sqq.

Δελφις ἐμ' ανιασεν
εγω δ' επι Δελ-
φιδι δαφναν
Αιθω χως αυτα
λακεει μεγα καπ-
πυρισασα
Κηξαπινης. ἀφθη,
κουδε σποδον ει-
δομες αυτης

Ουτω

Ουτω τοι και Δελφις
ενι Φλογι σαρκ'
αμαθυνοι.

* Georg. 2, 332. *In*que nouos soles audent se germina tuto Credere. Credunt se in solem *noue dixit Virgilius vt h. l. animaduertit* Heynius, *qui causam locutionis ita exponit, credunt se, dum in nouum solem prodeunt. similiter dixit poeta* Georg. 3, 551. saeuit et *in* lucem stygiis emissa tenebris Tisiphone. *Imitatur praeterea hic vt in toto loco* Lucretium Lib. 5, 780. * *in* proelia meditari, *rara sed eleg. locutio* Aen. 10, 455. Specula cum vidit ab alta Stare procul campis meditantem *in* proelia taurum. *Firmat hanc lectionem ingenti locorum copia et pluribus verbis* Heins. *ad h. l. Alii legunt*: meditantem proelia. * Aen. 10, 746. *In* aeternam claduntur lumina noctem. *praecedens locutio* ferreus vrget somnus *est Homerica*, conf. Iliad. δ, 241. πεσων κοιμησατο χαλκεον υπνον. * *cum vltimo casu pro* erga. Aen. 2, 541. non ille satum quo te mentiris, Achilles, Talis *in* hoste fuit. *Nihili est explicatio, qua* in hoste *accipitur*, cum se hostem gereret, cum ipse hostis esset; *repugnat omni latinitati. conf. cum loco laudato Virgilii* Propert. Eleg. 3, 19. *et* Ouid. Trist. 5, 2, 29.

INAMABILIS, *inuisus detestabilis* Georg. 4, 479. deformis arundo cocyti, tardaque palus *inamabilis* vnda. *sic multi legunt, alii* innabilis. cf. Gellium 2, 6. *tristis, odiosus* Aen. 6, 438. Fas obstat, tristique palus *inamabilis* vnda Adligat, et nouies Styx interfusa coercet, *respondere volunt illi loco Homeri*, ex Odyss. λ, 749. ὄφρα ειδῃς νεκυας και ἀτερπεα χωρον. *Sed variant Codd. et multi legunt* innabilis *pro* inamabilis. Heins. *laudat* Gell. Noctt. Att. 2, 6. Macrob. Saturn. 6, 7. *vbi lectio* inamabili *reperitur. Sed, vti iam dixi, non pauci libri etiam*

tenent

tenent: τὸ innabilis, *et iam est apud Virgil.* Georg. 4, 479. *licet et ibi varians sit lectio, et* Heynius *acceperit in textum* inamabilis. v. supra. *Videtur praeterea mihi h. l.* Aen. 6, 438. τὸ innabilis *magis conuenire rei, quia est* innabilis, *ideo* alligat. *Nonne etiam foret idem bis dictum,* tristis *et* inamabilis? *Sed nolo statuere certum, cum* Heynii *auctoritas me timidum reddat. Lectio vero* Fata obstant, *pro* Fas obstat, *mihi nulla videtur.*

INANIS, *vacuus, concauus quoque.* Georg. 1, 496. Agricola incuruo terram molitus aratro — aut graulbus rastris paleas pulsabit *inanes.* * Georg. 2, 255. Non animum modo vti pascat prospectus *inanem. Nam nihil mutandum de scriptura; per translationem dicit, animum inaniter delectat.* * *epitheton picturae* Aen. 1, 468. animum pictura pascit *inani. eleg. h. l.* inanis pictura; *quae rem modo adumbrat, innuit.* * currus inanis i. *rectore priuatus* Aen. 1, 480. * Aen. 12, 354. Ante leui iaculo longum per *inane* secutus. Longum per inane, *est per longum spatium.*

INCEDERE, *venuste et cum vi ethica* Aen. 1, 50. Ast ego, quae diuûm *incedo* regina Iouisque Et soror et coniux vna cum gente tot annos Bella gero. Seruius: „incedere proprie est nobilium personarum„ *hoc non opus, sed pingit haec vox Iunonem cum aliqua dignitate irabundam ambulantem, et auget totam rem. De omni vero illo soliloquio Iunonis iam plurimi monuerunt, esse longe praestantissimum et personae Iunonis longe dignissimum. Singula ipse perpende. vox* incedere *vero sic vt h. l. occurrit etiam* Aen. 1, 496. Regina ad templum forma pulcherrima Dido *incessit, graditur. cf.* Aen. 5, 68.

INCERTVS, incerti menses, *sunt veris et autumni, ii enim dubiae*

ſunt tempeſtatis, Cum modo frigoribus premitur, modo ſoluitur aeſtu Aëre non *certo*. Ouid. Art. 2, 318. ſic Georg. 1, 115. praeſertim *incertis* ſi menſibus amnis abundans erit. *de verno tempore tantum hic intelligendum.* * Aen. 6, 270. Quale per *incertam* lunam ſub luce maligna Eſt iter in ſyluis. Incertum *hic non nouilunium innuere poteſt, quia illo tempore nulla ſplendorem, aut ſibi parem emittit. Hoc adductus malim cum aliis* incertam lunam *intelligere, quae per nubes modo obuoluitur, modo ab illis eſt immunis.*

INCESSERE, *adoriri, occupare.* Georg. 4, 68. ſin autem ad pugnam exierint, nam ſaepe duobus Regibus *inceſſit* magno diſcordia motu. Inceſſere *alicui non inſueta conſtructio, quare nihil mutandum, vt aliis videbatur. In omnibus aliis editionibus* nam ſaepe duobus — diſcordia motu *incluſa parentheſi leguntur, ſine ratione, vt docet* Heynius. *Non animaduerterunt docti viri ad ſeriem ſermonis, quae cum paullo difficilior videretur, ſuccurrere illi incongruentiae voluerunt, et ſenſum planiorem reddere, at idem fuit obſcurare. Nam poſt Philargyrium hic obſeruat Heynius, poëtam negligentiore oratione eſſe vſum, et digreſſione ſemel incepta redire demum in ordinem orationis inſtitutae. v. 86. 87. eosque verſus continere apodoſin ad* ſin autem ad pugnam exierint. *Alii minus commode apodoſin v. 79. ſe deprehendiſſe putabant.* * *inuadere* Aen. 12, 596. *Inceſſi* muros: ignis ad tecta volare, *et ſic ſaepius.*

INCIDERE, *praecidere.* Ecl. 9, 14. Quod niſi me quacunque nouas *incidere* lites Ante monuiſſet cornix. *quacunque ratione lites cauere cum veteranis militibus agros occupantibus, monitus fuit.*

INCIPERE, *eleganti ratione vt graecum morem ſequi-*

sequatur poëta, dum incipiens *dicit pro* ἀρχόμενος i. e. *primum.* Georg. 3, 295. *Incipiens* stabulis edico, in mollibus herbam Carpere oues, v. 300. post hinc digressus &c.

INCITVS Aen. 12, 492. Poplite subsidens: apicem tamen *incita* summum Hasta tulit. *i. cum impetu iacta.*

INCOMMODVM, *de summis malis et periculis* Aen. 8, 24. Quo te cunque lacus miserantem *incommoda* nostra Forte tenet.

INCONCESSVS, *nefandus* Aen. 1, 651. *Inconcessique* Hymenaei.

INCONDITA, *non artificiose dicta, vt fieri in animorum affectibus, amore, cet. solet.* Ecl. 2, 4. Ibi haec *incondita* solus Montibus et syluis studio iactabat inani. Georg. 2, 386. *versus incompti.*

INCREMENTVM, *soboles* Ecl. 4, 49. Magnum Iouis *incrementum.* Διοτρεφῆς *graeci.*

INCREPARE, *bene de tuba sonante, desides castigante, quasi increpante, excitante et acuente acres.* Aen. 9, 504. At tuba terribilem sonitum procul ore canoro *Increpuit vide quam bene lecta omnia verba, et quam bene litterae ipsae horrisonae rem exprimant. Quoties repetita est, litera* r, *et quam duri penitus sonant sonitus! * cum virtute pingendi, arguere familiariter* Aen. 1, 742. Bitiae dedit *increpans* pateram. * *obiurgare, incusare* Aen. 12, 758. Ille simul fugiens Rutulos simul *increpat* omnis. cf. Georg. 4, 138. Aestatem *increpitam* seram.

INCVBARE, *poët. et eleg.* Aen. 1, 94. Ponte nox *incubat* atra. *Senfit poeticam huius verbi virtutem etiam* Cerda, *sed minus scite explicauit,* „Hoc verbo molestissimum quiddam indicatur.„ *Est vero imago horrida, sistens densam et quasi impressam, arcte inhaerentem mari caliginem.* * Aen. 4, 83. Sola domo moeret vacua, stratisque relictis *Incubat.*

Vltimorum verborum hic sensus: Modo lectum aggreditur, modo relinquit et denuo aggreditur.

INCVMBERE *de aestate.* Georg. 2, 377. grauis *incumbens* scopulis arentibus aestas. *quam pulchre, ad exprimendam molestiam.* * *suauiter de ventis, qui ingruunt ponto, et super eo quasi iacent.* Aen. 1, 88. *Incubuere mari*, totumque a sedibus imis Vna Eurusque Notusque ruunt. *vide* Ruere. * humero, *bene dicitur* currens, *qui premit anteuntem, instat, et prope impendet ei, quem iam anteuertere studet.* Aen. 5, 325. Ecce volat *calcemque terit iam*, calce Dioris *Incumbens* humeris. *vide* Terere. * *vti, belle de diuitiis.* Aen. 6, 610. Aut qui diuitiis soli *incubuere* repertis Nec partem posuere suis.

INCVTERE vim, *pro* augere Aen. 1, 73. *Incute* vim ventis, submersasque obrue puppes. *Nihili est nonnullorum explicatio; incute Troianis vim, per ventos, vt ablatiuus sit* ventis.

INDAGO, *series plagarum, quae circum disponuntur, secundum* Cerdam, *in saltibus ad capiendas feras.* Aen. 4, 121. Dum trepidant alae saltusque *indagine* cingunt.

INDIGNATVS Aen. 12, 952. Vitaque cum gemitu fugit *indignata* sub vmbras. *Sic Hom. Iliad.* ε, 856. Ψυχη δ' εκ μελεων πταμενη κ. τ. λ. *Occurrit idem versus et alibi apud nostrum poëtam.* Aen. 11, 831.

INDIGNVM, *nota est significatio apud poëtas, qua id, quo alter dignus non est, grauius est iusto et iniquum*, indignum *appellant.* Georg. 2, 373. pecus cui super *indignas* hiemes solemque potentem siluestres vri capreaeque sequaces Illudunt. *Recte Seruius* saeuas *explicat.*

INDOCILIS, *ferus, indoctus.* Aen. 8, 321. Ie genus *indocile*, ac dispersum montibus altis Composuit. *vide* Componere.

INDO-

INDOMITVS, *bene.* Aen. 7, 521. raptis concurrunt vndique telis *Indomiti* agricolae. *feroces; pingit haec vox exercitum ruricolarum saeuum, sine more, sine ordine furentium.*

INDVBITARE *pro* dubitare. Aen. 8, 404. absiste precando viribus *indubitare* tuis.

INDVCERE *pro* ducere Ecl. 5, 30. Instituit Daphnis thiasos *inducere* Bacchi. i. e. *choros ducere, est enim thiasus saltatio in Bacchi honorem, in Liberalibus, quibus et Bacchi expeditio repraesentari solebat: huc pertinet versus* 29. * *ornare, induere* Ecl. 5, 40. spargite humum foliis: *inducite* fontibus vmbras Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis. *Haec puto non proprie pertinere ad funereum honorem pastoris, sed potius ad aliquem cultum, quem praebere Daphni, optimo pastori, et nunc sane inter Deos relato debebant. Ad hoc enim inclinat oratio, quam deinde persequuntur. Fuit vero solemne in festis diebus laetitiis flores spargere, loca sunt satis obuia, neque abludit ab hoc more et illa caerimonia* inducendi *fontes frondibus praesertim inter homines rusticos, qui sic suos Deos colebant. Idem mos commendatur* Ecl. 9, 19. Quis caneret nymphas, quis humum florentibus herbis Spargeret? aut viridi fontes *induceret* vmbra? *ad pristina gaudia respicit et solemnia sacra. Quare non dubito, quin locus ita intelligendus sit, vt Mopsus velit post acerbas de Daphni querelas ea re se solari, quod sciat praestantem iam inter Diuos haberi, eumque sibi sacra fieri mandare, in eius vero memoriam tumulum aeterno carmine ornandum iubeat. Confirmat et id aliquo modo imitatio Theocriti, cui inhaesit hic Virgilius, qui Ecl.* 1, 142. *eadem fere infert. Addendum denique est, quod ipse fatetur* Heynius, *inter hono-*

res mortuis habitos nesquam memorari, quantum ille sciat, has caerimonias. Errauit itaque iam Seruius *qui* spargite humum &c. *de loco sepulchri intellexit. Neque etiam opus est, vt de satione florum aut arborum interpretemur, vt volunt nonnulli, tegebant enim puteos seu fontes frondibus, vt de fontanalibus scripsit* Varro L. L. Lib. 5.

INDVERE Georg. 1, 187. quum se nux plurima siluis *induet* in florem, *vestiet sese floribus*. Induere in florem, *non vulgare*. * Induere se mucrone, *configere se*. Aen. 10, 681. An sese *mucrone* ob tantum dedecus amens *Induat*. *explicant seqq.* et crudum per costas exigat ensem.

INDVLGERE, *relaxare, non nimis contendere atque rem vrgere, hinc commode*. Georg. 2, 277. si pinguis ager Densa sere. Sin tumulis adeliue solum collesque supinos *Indulge* ordinibus. *Bene* Seruius: *ordines effice largiores. Alii haud recte interpretantur: facito ordines.* * *fauere*, Aen. 8, 577. tua cuius et annis Et generi fata *indulgent. sequitur explicatio*, quem numina pascunt. *conf. praeced. vers.* 502. seqq.

INELVCTABILIS Aen. 2, 325. Venit summa dies et *ineluctuabile* tempus Dardaniae. „Quod nemo eluctari possit, vt effugiat, cum decem annis luctati sumus.„ Seruius

INERMVS Aen. 10, 425. Arcadio infelix telo dat pectus *inermum*.

INEXPLETVM, *aduerb.* Aen. 8, 559 Tum pater Euandrus dextram complexus euntis Haeret, *inexpletum* lacrymans. *Mire variant codd., sed vera videtur, quam dedimus, lectio. resp. graec.* ἀπληστον, ἀπλησον; *adeo lacrymatur, vt ne expleri possit, impense plorat.*

INFECTVS: hymenaei *infecti, rara locutio, nondum peracti*. Aen. 10, 720. Graius homo, *infectos* linquens profugus hymenaeos. * Aen. 12,

354. Pulsatos referens *infecto* foedere Diuos. cf. Aen. 12, 242.

INFELIX, *sterile*. Georg. 1, 154. *Infelix* lolium et steriles dominantur auenae. *sic saepius.* * Infelix animi, *turbidus, inquietus.* Aen. 4, 629. At non *infelix animi* Phoenissa.

INFENSVS Aen. 11, 859. volucrem Threissa sagittam Depromsit pharetra, cornuque *infensa (cum ira)* detendit Et duxit longe, donec cruata coirent Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis Laeua aciem ferri dextra neruoque papillam. *praeclara profecto descriptio, et ingenii documentum vere poetici: sed sumta non ex Virgilii ipsius mente, verum Homeri. Iliad. δ, 122. sqq.*

INFORMIS, *verosimilius de magnitudine* Georg. 3, 247. *Informes* vrsi Ouid. Trist. 3. Eleg. 5. turpes vrsi. conf. Turpis. * Aen. 12, 603. Et nodum *informis* leti trabe nectit ab alta. *Informe* letum *dicit, quasi mortem infamissimam. Cautum enim in Pontificialibus libris, vt qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur.*

INFRACTVS Aen. 9, 499. Torpent *infractae (fractae)* ad proelia vires. *Nescio quid sibi velit* Seruius, *qui et hoc et alio loco* Aen. 12, 1. infractum *interpretatur: non fractum.* Turnus vt *infractos* aduerso Marte Latinos Defeciisse videt. cf. Aen. 9, 499, infractae vires. *i. e. debilitatae.*

INFRENIS Aen. 10, 750. Illum *infrenis* equi lapsu tellure iacentem. *Intelligit* Seruius *asperrimum equum, frenorum spernentem regimen.* Cerda *efferatum, et praeduri oris. Sed quidni sit* infrenis equus, *qui modo frenis caret, immissis currens et elapsis manu frenis?*

INFVNDERE, *de sole.* Aen. 9, 461. Iam sole *infuso*, iam rebus luce refectis. *noua, ni fallor, haec imago et Virgilio propria, quales profecto non multas apud eum inuenies.*

INGENIVM, *indoles*, *natura*, *de aruis*. Georg. 2, 177. Nunc locus arvorum *ingeniis*, quae robora cuique Quis color, et quae sit rebus natura ferendis. * *absolute*, *de poëtis*. Georg. 2, 382. praemiaque *ingeniis* (*sic profecto legendum cum* Heinsio *et* Burmanno, *non* ingentes, *quod vulgatum*) pagos et compita circum theside posuere. *Describit hanc primam institutionem scenae in ludis compitalitiis* Horatius, A. v. 275. sqq.

INGENS pontus *pro* magna copia aquae Aen. 1, 118. Ipsius ante oculos *ingens* a vertice pontus In puppim ferit; excutitur pronusque magister Volvitur in caput. *pro* puppim *dicit* in puppim, *graecorum exemplo* ἐπὶ πρυμναν ἐλαυνειν.

INGLORIVS, *qui nullam famam quaerit e rebus magnis et cum gravitate peragendis* Georg. 2, 486. flumina amem silvasque *inglorius*. *Loquitur de se poëta, suamque artem opponit iam philosophiae gloriae. Ludere enim poëtae sui tantum causa videbantur. vide* Ignobilis *quoque.* cf. Aen. 12, 397. It. 9, 548 &c.

INGREDI, *adgredi*, *instituere*. Georg. 2, 175. Saturnia tellus: tibi res antiquae laudis et artis *Ingredior. h. e. rem rusticam apud maiores nostros maxime cultam, et in summa laude constitutam dicere adgredior, in tuum, Italia, honorem.* * *praesto esse* Georg. 1, 41. *Ignarosque viae* mecum miseratus agrestes *Ingredere, et votis* iam nunc adsuesce vocari. * *alloqui* Aen. 4, 107. Sic contra est *ingressa* Venus.

INHIARE, *eleganti ratione de rusticis pauperibus et duris* Georg. 2, 463. Nec varios *inhiant* pulchra testudine postes. * *de stupore admirantium bene!* Aen. 7, 840. effusa iuventus Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem Attonitis *inhians* animis.

INHONESTVS, vulnus inhoneſtum. i. *deforme, quod deturpat* Aen. 6, 497. populata tempora raptis Auribus, et truncas *inhoneſto* vulnere naces.

INHORRERE Georg. 1, 314. ſpicea iam campis quum meſſis *inhorruit. vide* horrere.

INHOSPITVS, *barbarus*, Aen. 4, 41. Et Numidae infraeni cingunt et *inhoſpita* Syrtis.

INIQVVS Aen. 11, 531. Arripuitque locum, et ſiluis *infedit iniquis. bene primum* inſedit, *de inſidiis ſtruente: latet ſedens alte, vocem autem* iniquis *Cerda explicat, nec diſſentiunt nonnulli alii*, inaequalibus *ſiluis, vbi loca iam alta, iam ima, iam ſurrecta, iam depreſſa. Sed ego non conſentio, accipiens* iniquas ſiluas, *hoſtiles quaſi, noxias hoſti, quia inſidiae ibi latent*; iniquum *ſaepe eſſe* noxium *conſtat.* cf. Part. I. Clav. h. v. *Mihi videtur locus poëticus magis eſſe et quaſi animari magis, ſi* iniquae ſiluae, *ſunt tales accipiendae, quales dixi.* * *quo quis indignus, quo iniuſte fruitur.* Aen. 4, 618. Nec quum ſe ſub leges pacis *iniquae. Perbelle in ore Didonis, quae quaeque mala Aeneae apprecabatur, cuique pax nil optati de Aenea eſſe poterat.*

INIRE, *prodire, vitam inire*, Ecl. 4, 11. Teque adeo decus hoc aeui, te conſule *inibit* Pollio. *Varie intellexerunt verba interpretes atque coniunxerunt. Vulgare eſt vt* decus aeui *intelligatur pro* aeuum optimum *et* aureum. *quod* ineat, *h. e. inchoet. Difficultatem mouet* Burmannus, *qui* inire *abſolute ſic poni pro* inchoare *negat, quare ita verba mauult coniungi*: Apollo *i. e.* Caeſar Auguſtus (*qui ſine dubio ſignificatur,*) inibit decus hoc aeui te, Pollio, conſule. *ſed haec ſunt contra ordinem et tenorem carminis. Cogitabamus aliquando* decus illud aeui *intellig: ipſum puerum naſcendum, de quo optima quaecunque*

nunc ſperanda, quippe auream aetatem quaſi ſit reducturus, huc conſpirat totum argumentum eclogae. vide quae ſub Cumaea *diximus. Illud et nunc quoque placet, itaque interpretamur* decus hoc aeui, *ille, qui aeuum illuſtre et vere aureum faciet, te Conſule, Pollio, inibit, in mundum intellige, aut in vitam. ſic nulla erit difficultas. quanvis primum illum et vulgarem ſenſum non reiiciamus.* * *pro* inducí Georg. 2, 381. Non aliam ob Culpam Baccho caper omnibus aris Caeditur, et veteres ineunt proſcenia ludi. *Veterrimi illi ludi facti in Liberalibus. Quare cum de hircina victima Baccho oblata ageret poëta, perſequitur omne id quod tum fieri ſolebat, quod nemo mirabitur qui cognouerit quisnam ſit ordo apud poëtas.*

INIVSSVS Georg. 1, 55. *iniuſſa* vireſcunt gramina. *Eleganter!* αυτοφυῆ. *Contra fruges imperantur. vide ſub* Imperare.

INIVSTVS Georg. 3, 347. Iniuſtus faſcis, *de pondere armorum.*

INNABILIS Georg. 4, 479. *vide* inamabilis.

INANE, *in quo nil ſuſcipitur coniugii* Aen. 4, 432. Tempus *inane* peto, *requiem ſpatiumque furori.*

INNARE fluuium Aen. 8, 651. Et pontum vinctis *innaret* Cloelia ruptis. *Res nota ex Liuio* eſt: *ſed de tota illa caelatura clypei Aeneae et imaginibus plura dicere iuuat, quam nunc quidem praeſtare licet; quae ideo ſingulari diſquiſitioni reſerno. cf. autem cum hac deſcriptione clypei* Iaſonis veſtem apud Apoll. Rhod. 1, 721. ſqq.

INNECTERE, *eleg.* Aen. 4, 51. Indulge hoſpitio cauſſasque *innectere* morandi. *Verbum* innectere *miram habet pulchritudinem, vt exprimat, quoquo modo poſſit, eo perducat Aeneam, vt vel inuito ei remanendum ſit, propter multas res, quae eum retardent.*

INOPS

INOPS Aen. 6, 325. Haec omnis quam cernis, *inops*, inhumataque turba est. *Quod hic Seruius etymologici parturit, quantum habeat rationis, non video. Putat enim* inops, *sine terra significare, quoniam* ops *idem sit ac terra. Falsam esse hanc explicationem, apparet. Quis hoc sensu occurisse, quis etymologiam illam probet? Multo vero melius est, et cum veterum consuetudine congruit, si retineo sensum vulgatum.*

INSANVS Georg. 2, 502. Insanum forum, *insano clamore, litibus, perstrepens.*

INSCIVS Georg. 3, 189. Inualidus et iamque (*sic melius scribitur*) fremens et iam *inscius* aeui, *Equus* inscius aeui, *est nondum habens, inquit* Seruius, *ab annis fiduciam, qui itaque nondum est ferax, qualis fit, si vigoris tandem sui et virium aeuo crescentium factus fuit conscius. Huic explicationi assentitur* Heynius. *At, quod* Cerda *immuit, potest et esse is, qui aetatem nondum habet aut senserit, iuuenis adhuc dum est, et ea re facilem habet animum et mobilem aetatem, quam in iuuencis commendauerat.* 165. *Vires vero suas, puto, mox experiuntur equuli.*

INSCRIBERE, *de linea ducta in puluere hasta.* Aen. 1, 483. huic ceruixque comaeque trahuntur Per terram et versa puluis *inscribitur* hasta.

INSEQVI, *instare, intermisso labore.* Georg. 1, 105. Quid dicam iacto qui semine comminus arua *Insequitur*, cumulosque ruit male pinguis arenae, *non aliter* persequi. Georg. 2, 407. *Persequitur* vitem attondens, fingitque putando. * *pulchra translatione* Aen. 9, 275. Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas *Insequitur. Facile est animaduersu, de curriculis in stadio desumtam translationem ad aetatis cursum deferri.*

INSER-

INSERTARE manum clipeo. i. e. *loro affixo clipei.* Aen. 2, 671. ferro accingor clipeoque siniſtram *Inſertabam* aptans. *explicat hunc locum laudatis gemmis, vbi hic ſtatus exprimitur,* Klotzius *in libro* Ueber den Nutzen und Gebrauch der geſchnittenen Steine. pag. 105. *Cunctationem hoc verbo oſtendi putauit* Seruius *ad h. l. Ego non facile crediderim, eſt enim hoc verbum hac in re proprium, vnde lorum illud, quo ſcutum apprehenditur, dicitur* inſertorium.

INSERTVS, feneſtrae inſertae. Aen. 3, 182. multo manifeſti lumine qua ſe Plena per *inſertas* fundebat luna feneſtras. *Sunt aut* feneſtrae *non* ſeratae, *quaſi* inſeratae *ſecundum Seruium, quod plane improbo; aut traiectae, penetrataeque luce, quam fundebat luna, ad eum modum, quo pellucida corpora transmitti ſolent a lumine, vt vult* Cerda, *quam tamen explicationem ego duram inuenio. Aut denique, vt vult* Turnebus, *cui accedo, interpoſitae aedibus, vtpote per varias domorum partes affixae, ac veluti* inſertae *adeo. Sed illa viſio* Phrygiorum penatium tota cf. *contexta, non admirationem habet meam. Cur enim omnes penates apparent, et cur* vaticinantes? *vt nempe poëtae rationem dent, qua ductus Aeneas non Delphos profectus eſt. Plura omitto, et noto modo, mihi videri hunc locum dignum aut accurata defenſione aut vituperatione.*

INSIGNE, *de phaleris* Aen. 11, 89. bellator equus poſitis *inſignibus* Aethon It lacrymans. *De lacrymis* cf. Homer. Iliad. τ, 408. it. Iliad. ϱ, 426. *quem hoc loco imitatus eſt Virgilius, ita tamen, vt ſolitam verecundiam adhiberet, apud* Homerum *enim longe audaciora.* * *de armis, ſecundum* Seruium Aen. 2, 389. Mutemus Clipeos Danaumque *inſignia* nobis Aptemus. *Omnino tamen*

tamen ego malim de omnibus signis, quibus Graeci a Troianis distinguebantur, intelligere. Arma *non diuersa Troianorum et Graecorum erant, vt ex Homero abunde liquet; nisi* Argiuos ensis *alios fuisse ac* Phrygios *ex vers.* 393. *colligis; sed versus praecedens fouet meae explicationi, et praesertim vers.* 412. orituque miserrima caedes Armorum facie (,,feritate, *Seruius*) et Graiarum errore iubarum, *cristarum, quas diuersas igitur, et* insignia *fuisse constat.* * *Ornamentum* Aen. 2, 392. comantem Androgei galeam clypeique *insigne* decorum Induitur, laterique Argiuum accommodat ensem. * *de ornamentis regum propriis, diademate &c. dici, notum. Sic* Aen. 12, 289. *et alibi.*

INSIGNIS Georg. 3, 7. humeroque Pelops *insignis* eburno. *Nota est fabula de humero eburneo, quem Ceres ei reddidit.*

INSIGNIRE *de pictura ornante, splendida* Aen. 7, 790. At laeuum clipeum sublatis cornibus Auro *insignibat*, iam fatis obsita, iam bos. * Aen. 11, 386. quando stragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis *Insignes* agros, possit quid viuida virtus experiare licet.

INSINCERVS cruor, i. *corruptus ex putredine* Georg. 4, 285. quoque modo caesis iam saepe iuuencis *Insincerus* apes tulerit (*protulerit, generarit*) cruor.

INSINVARE Aen. 2, 229. *Insinuit* pauor, *pro* insinuatur, vel, insinuat se.

INSISTERE curis; *indulgere*, Aen. 4, 533. Sic adeo *insistit*, secumque ita in corde volutat. Seruius ,,*in proposito lucis fugiendae manere*,, *interpretari studet, sed cur studeat, non video. in perpetuitate sermonis, qui de hoc proposito agat, non est. Quid? quod iam, quid faciendum, deliberat Dido.* * Aen. 6, 563. Nulli fas casto sceleratum *insistere* limen; *adire.*

IN-

INSOMNIA, *somnia*, Aen. 4. 9. Anna soror, quae me suspensam *insomnia* terrent. *Quid difficultatis insit huic loco, partim ab interpretibus ipsi illatae, partim ab ipsis versibus cum proposito colligatis, mirum est. v. 5. legitur, Didonem se non quieti dedisse, et hic illa sorori narrat, quantis* insomniis *territa fuerit; quomodo haec sibi respondent? Id adduxit interpretes veteres, vti* Seruius *ait et alii, vt pro* terrent, terent *legerent, et* insomnia de vigiliis *acciperent, propterea quod apud veteres ita in vsu fuerit, et ita magis sibi omnia conuenirent. Sensus enim esset* consumor vigiliis. *Huic vero interpretandi rationi repugnat, quod* teret, *produceretur, licet alioquin corripiatur. Id vero poëtae excidisse non temere est affirmandum. At dicat quispiam, huius rei plura exstant in hoc libro vestigia, vti* 18. *vere penultima praeter morem correpta est, et plura alia testantur, huic libro non vltimam limam fuisse admotam. Quod vero nil efficit, est semper ea hoc loco cautio, ne quid, quod non saepius accidit, sed semel nobis concedere putemus, ad id quaeuis alia, quae nobis displiceant, referemus. Deinde incredibile est, hanc ob caussam, quod vnam noctem somno non frui potuerit, Didonem se consumi dixisse. Largior nunc semper remanere multum difficultatis, sed quoniam multa sunt, vti dixi, quae hunc librum minus elaboratum testantur: malim hanc repugnantiam poetae furori poëtico largiri, aut in partes* Seruii *discere, somno quidem oppressam, sed multis rebus, quas per somnum viderit, a somno reuocatam, et sic quietis expertem fuisse.*

INSPICARE Georg. 1, 292. Ferroque faces *inspicat* acuto. Incidere *dicit* Ecl. 8, 29.

INSPOLIATVS, *vox, ni fallor, primum ab Virgilio cusa.* Aen. 1, 594. arma

arma *Inspoliata* feram tumulo, patriaeque reponam. *non detracta, non capta ab hostibus arma.*

INSTARE, *curare, rationem habere* Georg. 1, 220 solis *instabis* aristis *h. e. legumina non curabis.* * Aen. 1, 508. Talis erat Dido, talem, se laeta ferebat Per medias *instans* operi, *vrgens.*

INSTAVRARE, *denuo incipere* Aen. 4, 63. *Instauratque* diem donis. *Nam* lib. 1, 631. *legimus eam sacrificasse* * *rependere*, s. *repetere, in alio, quod iam in alio fuit patratum.* Aen. 6, 530. Dii talia Graiis *instaurate.*

INSTERNI, *eleg.* Aen. 2, 722. sulnique *insternor* pelle leonis. *tanquam onus laturus.*

INSTRATVM, *non stratum*, Georg. 3, 230. Dura iacet pernox *instrato* saxa cubili.

INSVLTARE, *proprie, insilire.* Aen. 11, 600. Fremit aequore toto *Insultans* sonipes, et pressis pugnat habenis Huc obuersus et huc. *descriptio tota vere est poëtica, et rem oculis subiicit; est et numerus pingens, et dicto imitans. plenus est vers.* 600. *literis s et p. recita quaeso clare:* Insultans *sonipes*, et *pressis* pugnat habenis.

INTEGER aeui, *est qui habet* integrum aeuum, *integram aetatem h. e. iuuentute floret* (*sic* Terent. Andr. 1, 1, 45.) Aen. 9, 255. pius Aeneas, atque *integer aeui* Ascanius. Seruius *citat locum* Ennii, *vbi dii* aeui integri *i. e. aeterna iuuentute florentes vocantur. Sic et* Aen. 2, 639. Vos quibus *integer* aeui Sanguis, *iuuentas sanguine animoso, valido.*

INTEMERATVS, *vox solita in sacrificiis, resp. voci* castus (*vide h. v. I. Parte Clav.*) *et signif. sacrum quodcunque, sanctum; de more iusto factum* Aen. 3, 178. tendoque supinas Ad coelum cum voce manus et munera libo *Intemerata* focis. *Seruius ad h. l.* „intemerata s. *rite perfecta; vt, si leuiter vinum fundendum est, aut mola iniicienda, sic fiat,*

fiat, vt ratio exigit sacrificii: aliter si fiat, temerata, *et* turbata *sunt sacrificia.* „

INTEMPESTVS Aen. 10, 184. Et Pyrgi veteres, *intempestae*que Grauiscae. *pestilentes temperie coeli earentes. cf. Serv.* * *noctis epitheton* Aen. 12, 846. Quas et Tartaream Nox *intempesta* Megaeram vno eodemque tulit partu, *&c. Sic etiam* Georg. 2, 247. *&c.*

INTENDERE vincula. i. *illigare.* Aen. 2, 236. Stuppea vincula collo *Intendunt. Simili sensu* Aen. 4, 506. *Intenditque* lorum sertis, et fronde coronat.

INTERIOR Aen. 5, 170. Radit iter laeuum *interior* subitoque priorem Praeterit. *h. e. breuiori cursu. Finge naues ita habuisse aduersum se metam, vt illarum puppes terram respicerent: deinde cogita cursum inceptum a dextra ita, vt sinistra esset meta. Inde fiebat, vt duae naues, cum currerent, illa sinistra ire diceretur, quae* propior *esset metae; illa contra dextra, quae remotior. Hinc omnia clara; quantum enim fieri potuit, formata est in aqua Circi ratio. Ergo pars sinistra ea erat, quae metae proxima; pars dextra, quae remotior. Hinc recte* Turneb. libr. 14. c. 4. *et* Bulengerus de Circo c. 29. *accipiunt* interiorem cursum, *pro sinisteriori, breuiori. Sic fere* Cerda *h. l. interpretatur. at vero etiam breuiori pacto explicari* interior cursus *potest, vt signif.* breuiorem; *nempe pluribus ab vno communi puncto descriptis circulis, interiora circula, sunt breuiora. vide* h. v. in I. Parte Clav. cf. Aen. 5, 204.

INTERLVCERE. *elegant. raro, sparsim apparere.* Aen. 9, 508. Qua rara est acies, *interlucet*que corona Non tam spissa viris.

INTERLVERE Aen. 7, 717. Quosque secans infaustum *interluit* Alia nomen. *Quare sit* infaustum nomen, *ex historia*

storia Romana, et pugna contra Gallos pugnata infelici Allienſi conſtat. Heinſio *placet* interuenit *pro* interluit, *inſicete!*

INTERNECTERE Aen. 7, 816. vt fibula crinem Auro *internectat. i. aurea fibula.*

INTERPRES, *eleganter, et exquiſita latinitate is, qui quaſi medius eſt inter duo aut plures, qui* mediator *barbare dicitur.* Aen. 10, 175. Ille hominum diuûmque *interpres* Aſylas, Cui pecudum fibrae, coeli cui ſidera parent. *Non poteſt h. l.* interpres *proprie capi, propter adiecta verba:* hominumque diuûmque. * Aen. 4, 608. Tu harum curarum *interpres* et conſcia Iuno. Seruius *et* Taubmannus *hunc locum ita intelligunt, vt ſub voce* interpres *poſitum eſſe putent munus Iunonis, adminiſtrandarum nuptiarum. Quantum id veri habeat, facile eſt perſpectu. Non nego, fortaſſe in tanta obſcuritate hoc mentem poſſe noſtram ſubire, ſed nimis durum mihi videtur, hanc vim huic verbo tribuere, quoniam nil eſt in ſermonis perpetuitate, id quod iubeat, et quoniam haec ſignificatio plane caret exemplis. Neque magis* Cerdae *placet ſententia, qui exemplo Apollinis totam rem dilucidare conatur. Putat Apollinem interpretem ob narrationem voluntatis Iouis. At vero ſcimus, oracula, proprium eſſe Apollinis, adminiſtrare; de eoque commode haec poſſe dici; iam vero quomodo in Iunonem cadunt? Mihi vero interpres h. l. dici Iuno recte videtur ob eam cauſam, quia hunc Didoni amorem iniecerit; quaſi* arbitra *fuerit i. e. interpres. quae ſequitur vox,* conſcia *non ſolum fauet huic explicationi, verum etiam tota rerum ab Virgilio narratarum ſeries.*

INTERRVPTVS Aen. 9, 239. *Interrupti* ignes, aterque ad ſidera fumus Erigitur. *ſupra verſ.* 189. dixe-

dixerat Lumina rara micant. interrupti ignes *nescio an alibi hoc sensu occurrant.*

INTONARE Aen. 9, 709. Dat gellus gemitum, et clypeum super *intonat* ingens ἀραβησε δε τευχε' ἐπ' αὐτω. Iliad. δ, 503. *et saepius.* Clypeum *h. l. malo cum* Seruio *neutrius generis accipere, quam* super clypeum *coniungere, quod vix sanum sensum praebet.*

INTRACTABILIS bello *dicitur, aut qui non facile superatur, aut qui nullam fidem seruat, quicum nihil in bello agi potest.* Aen. 1, 343 fines Libyci, genus *intractabile* belli *Burm.* fines Libyci *explic.* regna Libyca. *Sed hoc vel tironibus notum.*

INVADERE, *acriter alloqui*, Aen. 4, 265. Continuo *inuadit.*

INVERGERE *i. e. conuersa in sinistram partem manu deorsum ita fundere, vt patera conuertatur, et id fit* in sacrificiis *oblatis Diis* inferis. *huic oppositum est* fundere, *quo in dextram conuertitur, vbi sacrificatur superis.* Aen. 6, 244. Constituit frontique *inuergit* vina sacerdos.

INVISERE Georg. 1, 25. Tuque adeo, quem mox quae sint habitura Deorum Concilia incertum est, vrbisne *inuisere* Caesar Terrarumque velis curam *Vulgata interpretandi ratio ea est, vt* vrbis *positum hic pro* vrbes *putent. vid.* Gellium Noct. 13. c, 19. *At* vrbes inuisere *nota locutio de Deis, in quibus quasi praesentes sunt h. e. maxime colunt et tuentur. Vrbes quoque cum terris coniungi ab ipso Virgilio demonstrat pluribus locis* Burmannus. *sed dubium, quo trahendum hoc modo sit* velis. Burmannus *aliique sic construunt sensum:* an velis inuisere vrbes, an curam. *Nos Veteres sequemur interpretes, qui omnes sic locum intellexerunt, vt* vrbis *sit* vrbes. *vid.* Gellium l. c. *phrasi:* vrbes et loca inuisere: *nihil frequentius de Diis.* Terrarum-

rumque velis curam *non prorsus frigide dictum, est enim locutio ad honorem Augusti amplificandam compositа; minus significanter extulisset* cupias *aut* optes, *pro quibus* velis *hic potuit poëta, dum idem de altero imperio repetit* vers. 29. Venias *inquit, eadem, qua diximus, ratione. Videtur* Heynius *aliam amplecti interpretationem, quam nonnulli iam tentauerant, qua* vrbis *est secundus casus, ac* orbis inuisere curam *coniungendum. Defendit hanc locutionem* Heynius, *vt ferri hic quoque possit. Equidem si veteribus grammaticis vnquam quid tribuerim, hoc sane loco tribuo.*

INVISVS, *non visus, occultus* Aen. 8, 245. Vmbrosae penitus patuere cauernae (Caci) Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas referet sedes, et regna recludat Pallida, Dis *inuisa*; trepidentque immisso lumine manes. *elegantissima descriptio, at optimae lineae picturae expressae ex Homero* Iliad. υ. vers. 61. ἐδδεισεν δ' ὑπενερθεν ἀναξ ἐνερων Ἀιδωνευς Δεισας δ' ἐκ θρονε ἀλτο καὶ ἰαχε κ. τ. λ. * Aen. 2, 574. Abdiderat sese atque aris *inuisa* sedebat. Helena *aut* Diis inuisa, *aut* non ab aliis visa. *posterius placet; sic non solum praecedenti modo loco occurrebat, verum etiam* Horat. od. 1, 34, 10. *Inuisam* Taenaro sedem *dixit. Obiter noto, versus* duo et viginti *inde a* 567. *abesse a plurimis codicibus, et sublatos fuisse a Tucca et Vario. Quaeris, quo iure? Si recto et accurato iudicio vtendum est, abesse profecto possunt, namque totum illud soliloquium non suo loco stare videtur.*

INVNDARE, *bene de confluentibus multis.* Aen. 12, 289 Hinc densi cursus *inundant* Troës, Agyllinique et pictis Arcades armis.

IPSE, eleg. *pro sua sponte, sine adiumento, per naturam.* Ecl. 4, 21. *Ipsae* lacte demum rese-

rent distenta capellae V-bera. i. e. *non accersitae.* Ecl. 7, 11. Hac *ipsi* potum venient per prata iuuenci. Georg. 2, 459. Agricolas quibus *ipsa* procul discordibus armis Fundit humo facilem victum iustissima tellus. Ecl. 4, 23. *Ipsa* tibi blandos fundent cunabula flores. v. 43. *Ipse* sed in pratis aries iam suaue rubenti Murice, iam croceo mutabit vellera luto. Georg. 2, 423. *Ipsa* satis tellus sufficit humorem. i. e. *sine aratione.* * *praecipuam habet significationem, vt insignem quemque maxime et eminentem indicet; inde* ipse *in Aeneidos libris est* Aeneas. *sic* Ecl. 7, 7. Vir gregis *ipse* caper deerrauerat. *adeoque et hoedi totusque grex, vt bene hic monet* Heynius. *Ducem enim designat poëta. vid.* Seruium *ad* Georg. 3, 387. *et* Burmannum *ad* Georg. 4, 82. *vbi* ipsi *absolute de apibus pro regibus earum. Ipsi* per medias acies, *insignibus alis* Ingentes animos angusto in pectore versant. *Breuiores enim eorum pennae, inquit* Plinius 11, 16. * ipsi, *vt respondeat Graec.* αὐτοις Aen. 1, 44. Pallasne exurere classem Argivûm, atque *ipsos* potuit submergere ponto, *ipsos Graecos,* ἐπιβατας, *vt recte intellexit* Doruilius. *Sic* Homer. Iliad. ξ, 47. Iliad. λ, 525. *et saepius.*

IRA alicuius, *pro propter aliquem* Aen. 2, 413. Danai gemitu et ereptae virginis *ira; propter sibi ereptam Cassandram. sic etiam alibi.*

IRASCI Georg. 3, 232. Irasci in cornua, *poëtice plane more dictum, nec grammatica ratione diiudicandum, sed e poëtae ingenio, qui cum dicere vellet bouem iratum exercere se in cornuum vsum, eum dicit* irasci in cornua. *Haec acute, et magis cum sensu incorrupto, quam doctrina inani, exposuit* Heynius.

IRRIGARE, *eleganter de somno* Aen. 3, 511. sessos sopor *irrigat* artus.

IRRIGVVS, *actiue, qui irrigat.* Georg. 4, 32. *ri-*

riguumque bibant violaria fontem. Violaria *h. l. pro* violis *accipi vult* Heynius.

IRRITVS Aen. 11, 735. Quo ferrum, quidue haec gerimus tela *irrita* dextris, *inertia, quae nos vlciſci minime valent, interpret.* Seruius. *Sunt vero* irrita tela, *quae geruntur irrito conſilio. figura nota.*

ITYRAEA, *nota regio Iudaeae vicina, incolae ſagittandi arte clari.* Cic. philipp. 2. c. 8. 44. *hinc arcus optimos deſignans vocat* Ityraeos *poëta* Georg. 2, 448.

IVBA, *de criſtis ſerpentum* Aen. 2, 206. Pectora quorum (*anguium*) inter fluctus arrecta *iubae*que Sanguineae exſuperant vndas, *exſtant aquis.* Petronius in Haloiſi Troiana *vbi totum hunc de Laocoonte locum Virgilii imitatur*: liberae ponto iubae coruſcant luminibus: fulmineum iubar Incendit aequor, ſibilisque vndae tremunt &c. *vide loc. ipſum laud. et* conf. Leſſingii Laocoont. *ſiue*: Ueber die Grenzen der Poëſie und Mahlerey, pag. 55. ſqq. *vbi plura leges et alia quam quae hic libellus capit, et quae ſcire tua intereſt.*

IVBERE *de conſilio dato, aut propoſito. vide* hui. voc. *ſignificationem illam explicatam* in l. Parte Clav. *et adde*: Aen. 12, 584. vrbem alii reſerare *iubent* et pandere portas.

IVGALE vinclum, *coniugium*; iugale *propterea, quod, vt Seruius ait, iugum imponebatur matrimoniis coniungendis.* Aen. 4, 16. Ne cui vinclo vellem ſociare *iugali.*

IVSTVS, *aptum epitheton terrae, quae quod ipſi creditur, ſine fraude, cum foenore adeo, reddit.* Georg. 2, 460. fundit humo facilem victum *iuſtiſſima* tellus. * Aen. 10, 132. Veneris *iuſtiſſima* cura Dardanium caput, ecce, puer detectus honeſtum. iuſtiſſima cura *eſt accuratiſſima, pro quo agit curam diligentiſſimam; ſic vox* iuſtus *et alibi occurrit. bene* caput honeſtum *h. l. decorum, puero dignum nobili.*

IVVENTVS, *praeclare de*

serpentibus pellibus suis exutis, qui sic quasi noui et iuuenes bona sane Virgilii arte dicuntur. Georg. 3, 437. quum positis nouus exuuiis nitidusque *iuuenta* Voluitur.

IXION, *noua quaedam ad Ixionis fabulam pertinentia vid.* Georg. 3, 38. metuet tortosque *Ixionis* anguet Immanemque rotam. *Anguibus religatus ad rotam; „Certe in aere rota agebatur, et proxime accedit quod Euripidis Scholiast.* Phoen. 1192. *haud dubie e vetustiore aliquo auctore sua exc. serpens memorat,* ὀργισθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς ὑποπτέρῳ τροχῷ τὸν Ἰξίονα δήσας ἀφῆκε τῷ ἀέρι φέρεσθαι — Servius hoc idem confirmat.„ Heynius ad Georg. 4, 484. Atque *Ixionii* vento rota constitit orbis. Vento constitit: i. e. *a vento, cohibuit se, quo minus a vento non impelleretur. Fabula non vulgaris.* v. Heynius.

L.

LABEFACTVS. Georg. 2, 264. *labefacta* iugera, *de terra quae foditur, mouetur, concutitur.* mouere terram v. 316.

LABI, oleum labens Aen. 3, 281. Exercent patrias Oleo *labente* palaestras Nudati socii. *an* lubrico? *imo* labens oleum *est liquidum, quo corpus facile perfunditur.* * *de volante* Aen. 11, 588. *Labere*, nympha polo, finesque inuise latinos, *Ita* labi *et alibi.*

LABOR Georg. 1, 150. Mox ex frumentis *labor* additus. *noxae, damna, recensentur statim de iis quaedam.* * *de iniuria, quae pecudum dentibus infertur arboribus.* Georg. 2, 372. praecipue dum frons tenera, imprudensque *laborum.* * *de molestia frigoris atque aestus* Georg. 2, 343. Nec res hunc tenerae possent perferre *laborem*, Si non tanta quies iret frigusque caloremque Inter. * *de Lunae defectu eleganter* Georg. 2, 478. defectus solis varios, Lunaeque *labores.* * Ecl. 10, 1. Extremum hunc Arethusa mihi concede *laborem*, pro carmine quo

quo indignum Galli amorem desseret; munus vocat Ecl. 8, 60. *et h. l. v.* 6. sollicitos dicamus amores. * Georg. 2, 514. Agricola incuruo terram dimouit aratro: Hinc anni *labor*, hinc patriam paruosque nepotes Sustinet. *Intellexit iam* Seruius *de prouentu e labore annuo, sequuntur alii;* Cerda *in explicatione h. l. de opere annuo, s. per totum annum intelligit, non male, vt mihi videtur. Descripserat enim poëta varia studia, quibus sollicitarentur homines ad satiendas suas cupiditates. quanto felicior agricola! Vnice incumbit suis agris colendis et rei rusticae augendae, nihil praeterea curans nec incertus de re futura, per totum annum suum laborem beatus persequitur, et habet vnde patriam suosque sustentet.* Laborum seriem et *infelicitate ponit* Horatius Epod. 3, 9. sqq. * Georg. 3, 97. *admissiuram equi senio confecti vocat* laborem ingratum. *vid. locum.* Si quando ad proelia ventum est, *proelia Veneris intellige.* Aen. 11, 736. nocturna bella *vocat Hanc explicationem locus ipse exigit.* Georg. 3, 127. ne blando nequeat superesse *labori.* * Aen. 1, 81. Tuus, regina, quid optes Explorare *labor*, mihi iussa capessere fas est. *Omnia in quibus te laborare decet, modo est voluntas, modo delectus optandi. tuum est modo optare, meum perficere.* * labores *de calamitatibus, vt saepius* Aen. 1, 246. Quem das finem, rex magne, *laborum? et ita centies.*

LABORATVS, vestes arte laboratae, *noue, de vestibus artificiose textis, de stragulis pretiosis* Aen. 1, 643. Arte *laboratae* vestes, ostroque superbo. * *epitheton Cereris, quae* laborem posuit, *Serv. ego potius interpretor* Aen. 8, 181. onerantque canistris Dona *laboratae* Cereris, *fruges terrae, panem &c. labore parta dona Cereris.*

LACRYMA Aen. 1, 466. Sunt *lacrymae* rerum et mentem mortalia tangunt. *Burm. interpungit:* sunt lacrymae: rerum et m. m. tang. *nam* lacrymae rerum *quid sit, se non capere dicit; phrasin vero* mortalia rerum *sic dictam putat, vt* pretiosa rerum Senec. epist. 93. Mortalia rerum *vero* i. mortales res *intelligit humanas. Sed non cogitasse videtur* Burmannus, *qualis paene absurde formatus versus ex illa interpunctione profluat.* Sunt lacrymae. rerum et mentem mortalia tangunt. *Ego talem Virgilii versum concoquere non possum; praeterea, si* mortalia rerum *dici potest, quidni* lacrymae rerum i. lacrymabiles res? *Denique, quamuis sit noua phrasis, non reiicienda est, plura noua in quoque felici poëta inueniuntur. Accedit vt, quod equidem sciam,* Burmanni *sententia ne vno quidem codice sustentetur.* * Aen. 12, 72. Ne quaeso, ne me *lacrymis* neue o-mine tanto prosequere. *Sunt quippe* lacrymae *infelix omen profecturis.*

LACRYMANS, *belle de Aenea, quum male res se haberent.* Aen. 6, 1, it. 1, 459. &c. *Non enim sunt hic audiendi Galli, qui et Homerum quod Achillem* Iliad. 1, 350. lacrymantem *seorsim sedere iusserit, vitio vertere haud dubitarunt. Si quis emisitiis Homerum perlustrat oculis, tunc temporis magis naturam esse homines sequutos quam adfectatam mentis rationem videt. Quid mirum, si etiam Virgilius hic sic Aeneam depingat? Dignum est homine et heroe, commoueri rebus aduersis. Et recte, vt* Cerda *vidit,* Plutarchus 2. *de fortuna Alexandri notat, vt immanis tyrannus Pheraeorum, spectans tragoediam Hecubae et Polyxenae tepidus e theatro exsiluit, quod se misericordia ad lacrymas commoueri videret, et parum abfuerit quin tragoe-

goedum interfecerit, quod se emolluisset.

LAETARI, *bene succedere alicui* Aen. 6, 392. Nec vero Alcidem me sum *laetatus* euntem, Accepisse lacu. *non bene mihi successit, siue male mecum actum fuit, quod acceperim* &c.

LAETVS, *habet vox habilitatis, pinguedinis et abundantiae notam. Obserua haec* Georg. 2, 520. Glande sues *laeti* redeunt. ibid. 526. pinguesque in gramine *laeto.* Inter se aduersis luctantur cornibus hoedi. Lucretius Lib. 2. v. 320. Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant Georg. 3, 310. *Laeta* magis pressis manabunt flumina mammis. * Laetus *pro* pinguis *posit. putat* Seruius Aen. 3, 220. *Laeta* boum passim campis armenta videmus. *Sed sunt* laeta armenta *modo, quae nobis laetitiam creabant*, ab effectu *dicta, vt mos est poëtis.*

LAEVVS, *noxius* Aen. 10, 275. Sirius ordo — *Laeuo* contristat *lumine* coelum. cf. *vers. praeced.*

LANIARE Aen. 12, 606. Et roscas *laniata* genas tum cetera circum Turba furit ante rogos.

LANIGER apex; *virga illa pilei pontificialis* Aen. 8, 664. *Lanigerosque* apices et lapsa ancilia coelo Extuderat. *Adscribamus hic notam Seruii:* „Flamines in capite habebant pileum: in quo erat breuis virga desuper habens lanae aliquid, quod cum per aestus ferre non possent, filo tantum capita religare coeperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat, vnde a filo, quo vtebantur, *flamines* sunt dicti quasi *filamines.* Verum festis diebus filo deposito, pilea necesse erat accipere, quae secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta: sicut columnae mortuis nobilibus superponuntur, ad ostendendum eorum columen. Alii dicunt, non propter eminentiam dignitatis hoc factum, sed quia,

cum sacrificarent apud Laurolauinium et eis exta frequenter aues de vicinis venientes lucis abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit, vt apud Laurolauinium ingentes haberent virgas, non breues vt in vrbe „

LANX Aen. 12, 725. Iupiter ipse duas aequato examine *lances* Sustinet et fata imponit diuersa duorum. *belle: locus ex Virgilio translatus, longe et pulcherrimus et celeberrimus* cf. Homer. Iliad. 10, 209.

LAPSARE *nouum verbum Virgilii* Aen. 2, 551. in multo *lapsantem* sanguine nati; *vacillantem, et lapsum minantem. Vsus est postea eo verbo* Silius Italicus, *neque non* Tacitus.

LAPSVS rotarum *pro* rotis Aen. 2, 236. Accingunt (se) omnes operi pedibus (*scil. equi*) *rotarum* subiiciant *lapsus. Supponunt rotas pedibus equi, quo trahere possint in vrbem.*

LAQVEAR, *quid sit vide in Parte I. Clav.* Aen. 1, 730. dependent lychni *laquearibus* aureis. * Aen. 8, 25. Sicut aquae tremulum labris vbi lumen aeris sole repercussum aut radiantis imagine lunae Omnia peruolitat late loca iamque sub auras (*sursum*) Erigitur summique ferit *laquearia* tecti. *At qualis comparatio, cum animo celeriter cogitante, et trepidante!*

LATRARE, *de vndis sonantibus, noue.* Aen. 7, 538. vt pelagi rupes, magno veniente fragore Quae sese multis circum *latrantibus* vndis Mole tenet &c. (*iterum noue et bene* veniente fragore, i. *quasi ex improuiso occupante*). Heinsius *aut priorem horum versuum, aut proxime praecedentem* vers. 586. *spurium putat, male!*

LAVDARE *id bene dicimur, quod non requiximus, cuius pretium laudando tantum agnoscimus.* Georg. 2, 412. *Laudato* ingentia rura, Exiguum colito. *Non sine*

sine dilectu dixisse videtur ingentia, *at simpliciter* exiguum.

LAVS, *in singulari, de virtute, et actionibus laude* dignis Aen. 1, 465. Sunt hic etiam sua praemia *laudi. plura dixit* Burmann. *ad* Valer. Flacc. 6, 546.

LAXARE, *translate.* Aen. 9, 225. Ceterum per terras omnes animalia somno *Laxabant* curas, et corda oblita laborum.

LEGERE *belle, pro* cognoscere Aen. 6, 755. Inde — possit aduersos *legere* et venientum discere vultus. * legere ore, *excipere.* Aen. 4, 684. Et extremus si quis super halitus errat, *Ore legam. Mos enim apud veteres inualuerat, vt, si quis moriretur, propinqui et alii os morientis ori admouerent, quo spiritum exciperent.*

LEGES, Aen. 4, 231. totum sub *leges* mitteret orbem. *i. e. Qui totum orbem in vnum imperium concludat.*

LENTARE, *nouum Virgilii verbum, certe in illa pictura* Aen. 3, 384. Ante et Trinacria *lentandus* remus in vnda: *flectendus. proprie* lentus faciendus, *atque adeo incuruus, quod fit, quia remus semper humectatur, et ita fit lentus.*

LENTESCO Georg. 2, 250. haud vnquam manibus iactata satisfcit, sed picis in morem ad digitos *lentescit* habendo. *Pinguis terra, dum manu tenetur, adhaerescit digitis.*

LENTVS, *de gestu cubantis* Ecl. 1, 4. Tu, Tityre, *lentus* in vmbra formosam resonare doces Amaryllida siluas. * argentum lentum *est molle, quod facile ducitur, flectitur,* Aen. 7, 634. Aut leues ocreas *lento* ducunt argento. * *de hastilibus* Aen. 11, 650. *lenta* manu spargens hastilia densat. *vide* Densare. *Videtur poëta* lenta hastilia, *et* validam bipennem *posuisse, ad peritiam et laudem Camillae, quae omni telorum genere apte et militariter vteretur.* „Fabricius.

LEVARE omen, *noue dictum a Virgilio* Aen. 3, 36.

36. Rite secundarent visus (*secundum euentum darent*) omenque *leuarent; in bonum conuerterent.* * *pro* leuigare Aen. 5, 306. Gnosia bima dabo *leuato* lucida ferro Spicula. *Sic et* leuis Aen. 7, 798. At *leuem* clypeum sublatis cornibus Io.

LEVIS limus Georg. 4, 45. Tu tamen e *leui* rimosa cubilia limo Vngue fouens circum. *haec recta lectio. Quare* leuis *dici* limus *possit, indicat* Heynius, *nam aqua subactus, inquit, et tactu lubricus, et visu nitidus est.* Vnguere e limo *proprie dictum pro* cum limo, *ad mediocrum morem, docet h. l.* Burmannus, *vt dicunt* ex oleo terere. *Fimo bubulo id factum esse, quod hic iubet Virgilius, multa veterum loca demonstrant, collecta apud* Cerdam. * *nitidus, glatt.* Aen. 8, 624. *leues* ocreas electro auroque recocto. *imitatio Homeri Iliad.* Σ. 608. seqq. *vide* Recoctus.

LIBARE Aen. 1, 260. Olli (*Veneri*) subridens hominum sator atque Deorum Vultu, quo coelum, tempestatesque serenat Oscula libauit natae. *Multa hic dicunt interpretes, dum volunt ostendere, quomodo libauerit Veneris oscula Iupiter; sed vnum est verum.* Oscula, *labella, ora Veneris Iupiter osculatus est; Sed quam egregie!* Vultu quo coelum tempestatesque serenat. *Sunt qui non de basiis intelligant, sed de leui tactu et blando; pessime!*

LIMEN, *regula, signum in Circo, vnde cursus habetur, creta factum, viae* Plin. libr. 35. c. 17. Aen. 5, 316. signoque repente Corripiunt spatia audito, *limen*que relinquunt. *Plura de ritu illo* lineae *ducendae in Circo ex Antiquitatibus dat ad h. l.* Cerda. * limina, *partes domus.* Aen. 6, 45. Interiora domus irrumpit *limina.*

LIMES, *sic vt respondeat graeco* γεφυρη, *via lata, trita* Aen. 9, 323.

Haec

Haec ego vasta dabo, et lato te *limite* ducam. *vide*: dare vasta. *Sunt qui legant*: recto limite; *pessime! vox* limes *ita vero etiam occurrit eod. libro vers.* 372. procul hos laeuo flectentes *limite* cernunt.

LINGVA volucrum; *de auspiciis* Aen. 3, 361. Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis Et volucrum *linguas*, et praepetis omina pennae. *vide* Sentire.

LINTER Georg. 1, 262. Cauat arbore *lintres, inter opera hiemalia rustici. non scaphas, vt vulgo fit, hic intelligi vult* Heynius, *sed vt vitae rusticae sit accommodatius, vasa lignea, concaua et alueos, qui inter rustica instrumenta sunt.* cf. Tibull. 1, 5, 23.

LINVM Georg 1, 142 pelagoque alius trahit humida *lina. cf.* Funda.

LIQVENS campus. *de mari* Aen. 6, 724. Principio coelum ac terras, camposque *liquentes*. —

LIQVERE, flumina *liquentia* Aen. 9, 679. Quales aerie *liquentia* flumina circum &c. *Sunt qui* liquetia *contendant legere, vt sit nomen proprium, sed mihi plane improbatur illa lectio, tum, quia codicum auctoritas dissuadet, tum propter eum locum, quem diserte imitatus est poëta, Homeri* Iliad. μ. 127. sq.

LIQVI, *ad graec.* τηκεσθαι, *destillare* Aen. 3, 28. huic (*arbori*) atro *liquuntur* sanguine guttae; et terram tabo maculant. *et sic saepius.*

LIQVIDVS, *purus*, Aen. 7, 699 Ceu quondam niuei *liquida* inter *nubila* cygni Cum sese e pastu referunt, et longa canoros Dant per colla modos. nubila *liquida sunt* aer purus. *praeclara autem descriptio* „Cygni vel ideo suauius canunt, quia colla longa habent et inflexa: et necesse est, eluctantem vocem per longum et flexuosum varias reddere modulationes„ Plin. Histor. Nat. * nox liquida i. *serena, pura*, Aen. 10, 272. Non secus ac *liquida* si quando *nocte* co-

cometae sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor. *belle* Sirius ardor! *sic* liquidus *et alibi. vide* Clauis Part. I. Aen. 5, 525. volans *liquidis* in nubibus arsit arundo. nubes *pro* aëre *posit. iam notauerat* Seruius.

LITARE, *verbum sacrum, de sacrificiis, quae* litasse *dicebantur, quum placatos Deos ostendissent; deinde vero etiam pro* placare *simpliciter vsurpatur*, Aen. 2, 118. Sanguine quaerendi reditus, animaque *litandum* Argolica. cf. vers. 116. *vbi* placare *idem.*

LITTOREVS i. e. *palustris* Aen. 12, 248. *Littoreos* agitabat auis turbamque sonantem agminis aligeri. *Littus enim dicitur omnis terra aquis vicina, vt* L. 8, 83. Viridique in *littore* conspicitur sus.

LIVERE, *belle* Aen. 7, 687. Pars maxima glandes *Liuentis* plumbi spargit.

LONGE, *valde, secundum* Seruium Aen. 2, 711. Mihi paruus Iulus sit comes et *longe* seruet vestigia coniux. *At nescio, an* longe *alibi hac notione occurrat.* Burmannus *haec*: „Recte „defendit hic Virgilium „Catroeus, et *longe* pro „non longo interuallo „capit, quia debebat vestigia seruare„ *Hoc vero cui placet? Magis audiam Cerdam, qui* „vere, *inquit, longe* sequi debuit, ne, si multi exirent vna, deprehenderentur ab hostibus„ *Sed nec hoc satisfacit. Crediderim fere, illud vocab.* longe *a poëta h. l. esse positum, vt inseruiret sequenti rationi, nec tamen nisi* interea *fuisse positum, donec, dum retractaret opus suum, aut mutaret, aut locum redderet planiorem. Optimum fuerit dicere* longe *esse hoc loco, paullulum discreto spatio, ein wenig hinter uns. Sed, vt dixi, vix probare hanc vocem ita possim.*

LOQVAX, *eleg. de stagnis, vbi cygni canunt, figura saepe apud poëtas obuia.* Aen. 11, 458. dant sonitum rauci per stagna *loquacia* cygni.

LOQVI,

LOQVI, *eloqui. referre*, Ecl. 5, 28. Daphni tuum, Poenas etiam ingemuisse leones Interitum montesque feri siluaeque *loquuntur*. *Dura res! credere, montes dixisse, s. retulisse id, quod leones ingemuissent. Viderunt iam alii hanc difficultatem et mutauerunt locum, vt* Marcklandus *ad* Stat. Silv. 2, v. 13. *sic explicans vt* loquuntur *absolute sit, pro* ferunt, *leones ingemuisse* montesque feros siluasque; *sed haec lectio nullare probari potest. Videtur omnino Virgilius ita scripsisse, vt habemus, quod fere iis locis apparet, quibus inhaesisse putandus est, vt* Theocrit. Idyll. 1. Bionis Idyll. 1, 32. *Si aequi esse arbitri volumus atque liberales, tunc forte Virgilius ita explicandus est, vt* loquuntur *idem plane sit, quod antea dixerat,* testes sunt. v. 21. Flebant; vos coruli testes et flumina nymphis. *Hac ratione leniri id aliquo modo potest, quod durum alias, nam quod montibus siluis vox tribuatur, nihil insoliti est, et* Burmannus *h. l. atque* Cerda *quoque hoc tantum efficiunt, vt demonstrarent. Nos sane cum* Heynio *Virgilium vix excusamus.* Poenos *vero* leones *non pro Afris proprie hic accipi velim; sed pro genere ferocissimo, quale omnino leonum est.* * Ecl. 2, 21. pinus loquentes *s. stridulae, cantillantes.*

LVBRICVS, *cui fides haberi nequit* Aen. 11, 616. ne quicquam patrias tentasti *lubricus* artes, *explic. vers. seq.* Nec fraus te incolumem falaci perferet Auro.

LVCTAMEN, *de molimine, difficultate remigandi* Aen. 8, 9. remo vt *luctamen* abesset.

LVCTARI, *eleg. de ventis imperio Aeoli pressis in antro, elaborantibus quasi egredi, sed coercitis.* Aen. 1, 56. Hic vasto rex Aeolus antro *Luctantes* ventos tempestatesque sonoras Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat. *Omnia verba*

ba delecta, omnia cum singulari virtute posita. antrum — vastum — Luctantes venti — tempestates sonorae — premere — imperio — frenare — vinclis — carcere. *Praeterea habent hi versus numerum pingentem; recita quaeso verba:* luctantes ventos tempestatesque sonoras! *explicuit pluribus huius loci illam artem* Marmontelius dans la poëtique françoise. *vide librum:* Ueber die Harmonie des Stils des Herrn Marmontels pag. 5. *Vtitur Virgilius vt concederet delectui auris, epitheto:* sonoras, *quod imagini* imperio premit, *non plane respondet, et vtitur eo, loco aliorum epithetorum, v. c.* rebelles, frementes, minaces, *qualia poscere imago videbatur. Imitatus hunc nobilem locum est* Valer. Flaccus Argonaut. 1, 576. Ac *minori arte, et cum vitio luxuriae, nimius est et turgidus fere in describendo. sumsit tamen dimidium versus ex Virgilio* vers. 667. Di quibus vndarum tempestatisque sonorae Imperium. *sed fere ridiculum h. l. in ore precantis epithet.* sonorus. *Supplicem inducit* Valerius, *at contra Virgilius describit sonitum editum in loco, et quasi animaduersum, cum intrare velit antrum Iuno. vide* sonorus.

LVCTIFICVS, *noue et grauiter, de furia Alecto* Aen. 7, 324. *Luctificam* Alecto Dirarum ab sede sororum Infernisque ciet tenebris.

LVDERE, *saltare* Ecl. 6, 27. tum vero in numerum Faunosque ferasque videres *Ludere i. e. ad modum rythmi.*

LVDICRVS Aen. 12, 764. Neque enim *ludicra* petantur praemia: sed Turni de vita et sanguine certant. *Versus ex Homero translati:* Iliad. X. 159. Επει ουχ ιερηϊον ουδε βοειν κ. τ. λ.

LVMEN, *aer, aether.* Georg. 2, 47. sponte sua quae se tollunt in *luminis* auras. *alii legunt* oras, *non bene. sic vers.* 291.

291. ad auras aetherias tendit. * lumen iuuentutis. i. *splendens, egregia iuuentus, quae facile prae ceteris animaduertetur; et quum addatur* purpureum, *de colore viuido intellig. praecipue.* Aen. 1, 593. decoram caesariem nato genitrix, *lumen*que iuuentae Purpureum, et laetos oculis afflarat honores.

LVNATVS, peltae lunatae *sunt, in formam lunae iam mediae facta, quales fecit Iphicrates vid. Cornel. Nepot. in Iphicr. c. l. et Lipsium de Milit. Romana.* Aen. 1, 414. Ducit Amazonidum *lunatis* agmina *peltis.* Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet. Aen. 11, 663. Qualem — circum Hippolyten seu se Martia cum Penthesilea refert. *De ipsa tamen comparatione dubito, an satis recte se habeat. Id volo: non bene idem cum eodem comparari, Camillam cum Penthesilea. Intelligentibus dixi satis; hoc loco non plura additurus.*

LVPVS Ecl. 9, 54. *Lupi* Moerim videre priores. *Est in prouerbio ad subitum et maximum terrorem exprimendum. vid. Erasmi Chiliaden. Bene eo hic vtitur Moeris, qui tantis periculis erat obrutus. vide* v. 2. *et* 16.

LVSTRALIS Aen. 8, 183. Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuuentus. Perpetui tergo bouis et *lustralibus* extis. *vide* perpetuus.

LVSTRARE, Aen. 1, 612. dum montibus vmbrae *lustrabunt* conuexa *inumbrabunt* Seruius. *Sunt qui* conuexa *ad sidera referant*, pendentia, *sed dure. vide* Conuexus. * *circumire.* Aen. 12, 474. Pernolat, et pennis alta atria *lustrat* hirundo. cf 462. * *illustrare.* Postera (*aurora*) Poebea *lustrabat* lampade terras. *Bella descriptio: Sic etiam* v. 637.

LVSTRARI, *expiari immolandis sacrificiis.* Aen. 3, 279. *Lustramur*que Ioui, *de more, quia ludos*

sacros celebraturi votisque incendimus aras. *vota facientes.*

LVSTRVM, *latibulum ferarum.* Aen. 4, 151. Postquam ventum in montes atque inuia *lustra.*

LVTEVS, *de pallore Aurorae, dum surgit,* Aen. 7, 25. Aurora in roseis fulgebat *lutea* bigis. *Seruius ad h. l.* lutea est croceī coloris, vt Ecl. 4, 44. Croceo mutabit vellera luto. *Poterit haec significatio addi* Thesauro Gesneri.

LVX, *pulcherrime, atque non facile melius in alio loco, de surgente die.* Aen. 12, 115 Cum primum alto se gurgite tollunt Solis equi, *lucemque* elatis naribus *efflant.* cf. lib. 4, 522. *vbi noctem,* quam Dido peruigilans deliberat, *eadem elegantia describit.* * Aen. 4, 631. Inuisam quaerens quam primum abrumpere *lucem. noue* abrumpere lucem, *de caede.*

LVXVRIANS, equus, *de ludente exsultim, et prae animi gaudio feruente, exsiliente proterue* Aen. 11, 497. Qualis vbi abreptis fugit praesepia vinclis Tandem liber equus, campoque potitus aperto, Aut ille in pastus armentaque tendit equarum, Aut assuetus aquae perfundi flumine noto Emicat, arrectisque fremit ceruicibus alte *Luxurians* &c. *Qualis comparatio! quam nobilis, quam poetica! sed pro! dolor, non est Virgilii, qui eam modo transfulit, et quidem paene ad verbum ex* Homero Iliad. ζ, 806. &c. *Ceterum, quae vbique est Virgilii ars, bene delecta verba sunt, et feliciter cum ingenii poëtici acie contexta omnia. Sic* το tandem *habet* ἦθος, *tandem aliquando factus liber est equus, adeoque magis exsilit. belle etiam* emicat, *cf. h. v. supra.* campus apertus *bene etiam* vinclis *oppos.* arrectae ceruices *non minus suauiter pinguntur: sed, vti diximus, hausit omnia ex summo Homero.*

LVXVS, *bello sensu, de abundantia, magnificentia* Aen. 1, 641. At domus interior regali splendida *luxu* instruitur.

M.

MADERE *pro* coqui *iam explicauit* Turnebus *in loco Virgilii* Georg. 1, 196. Et quamuis igni exiguo properata *maderent*; *nim. fabae. Ego tantum sumo pro* molescere, *ausquellen, scilicet, vt maturius virescant, cum iam sint solutae* h. e. properatae. * madens de *vnguentato* Aen. 12, 100. Vibratos calido ferro, myrrhaque *madentis.*

MAENALIVS Ecl. 8, 21. *Maenalii* versus, *quales cantare pastores amantes in monte Maenalo in Arcadia solent.*

MAGALIA Aen. 1, 425. Miratur molem Aeneas, *magalia* quondam. Cato originum primo „Magalia aedificia quasi cohortes rotundas dicunt.„ *Alii* magalia, *casas Poenorum pastorales dicunt; aut casas rotundas subburbanas.* cf. Aen. 4, 259. *et vide* Pompon. Melam 1, 8.

MAGISTER Ecl. 2, 33. Pan curat oues, oniumque *Magistros.* Georg. 2, 529. pecoris *Magistri.* Georg. 3, 445 Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne *magistri* Perfundunt.

MAGNVS, *praeclarus, illustris, memorabilis: sic aurea secula.* Ecl. 4, 5. *Magnus* ab integro seclorum nascitur ordo. v. 12. incipient *magni* procedere menses. *Et quoque protractius illud tempus fingebatur.* pulcher *explicat* Seruius. *Ipsa vero illorum temporum imago longe iucundissima suggerebat eiusmodi descriptiones, quae a pulchritudine, magnitudine, felicitate ducebantur.* * Aen. 4, 634. Et nunc *magna* mei sub terras ibit imago. *Fuerunt qui de magnitudine physica intellectum voluerunt, sed id quod adducunt exemplum* Cerda *iam refutauit, vide eum ad* Aen 4, 654. * Georg. 2, 327. Tum pater omnipotens fecundis im-

bribus aether Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes *Magnus* alit *magno* commixtus corpore foetus. Iupiter, *aer*, mater *terra*. Magna *perpetuum eius epitheton*; *inde et* magnae matris numen. ibid. 338. Ver *magnus* agebat orbis. *celebria illa ex antiqua poëſi.* * *vehemens* Georg. 2, 334. *magni* aquilones. * *craſſus*, *compactus*. Georg. 3, 54. 55. Omnia *magna*: Pes etiam. *ſic optime explicat* Heyniu*s*, *pedes enim non longi, ſed breues laudantur in bubus* σκελη παχυτερα Geopon. *Mirifice ſe cruciant alii, vt alia et probabiliori quam praetendunt ratione explicent locum. ſed non tanta eſt durities eius dictionis, modo intelligamus poëtam hic generalius dicere* magnum, *id quum ad pedem bouis refert deinde pro ſua ratione intelligendum eſt.* * Magnus annus *ſolaris dicitur opp. lunari* Aen 3, 284. Interea *magnum* ſol circumuoluitur annum. * magna mens, *diuina eſt* Aen. 6, 11. cf. verſ. 49.

MAIA, *vna ſtella pleiadum, hinc pro toto ſidere* Georg. 1, 225. occaſus *Maiae*.

MALE *pro* non. Aen. 2, 23. Nunc tantum ſinus et ſtatio *male* fida carinis. *periculoſa. Non ego cum Seruio intelligo. in noſtram perniciem, quia ibi graeci latuerunt.* * *Sic et* Male ſana, *eſt non ſana, veſana, amens.* Aen. 4, 8. Quum vnanimem alloquitur *male* ſana ſororem.

MALIFER, *noue, ni fallor*, Aen. 7, 746. *Maliferae* deſpectant moenia Abellae.

MALIGNVS Georg. 2, 179. Difficiles primum terrae, collesque *maligni. vid.* Difficilis. * *poët.* Aen. 6, 270. ſub luce *maligna*. i. e. *quaſi non fauente, obſcura; eadem ſignificatione* Aen. 5, 525. anguſtaeque ſerunt fauces, aditusque maligni.

MALVS Ecl. 3, 11. quum me arbuſtum videre Myconis Atque *mala* vites incidere falce nouellas.

Bene

Bene Seruius, *qua male vteber. Diximus iam de hoc verbo* Part. I. indicis.

MALLE, *velle.* Aen. 8, 323. legesque dedit Latiumque vocari *Maluit*, his quoniam latuisset tutus in oris. *Non cum* Seruio *referendum ad nomen* Saturnia, *quod postposuisset nomini* Latio.

MANERE, *florere* Aen. 2, 22. notissima fama Insula diues opum, Priami dum regna *manebant*. *Sic et ibid.* vers. 56. Priamique arx alta *maneres*. *adde* Aen. 2, 455. *&c. et* Aen. 11, 615 *Mansisset* vtinam fortuna.

MANES, *de poena.* Aen. 6, 745. Quisque suos patimur *manes cf. integrum locum, inde ratio tropi magis apparebit.* * Aen. 3, 63. Aggeritur tumulo tellus (i. *vt tumulus fiat*) stant manibus arae caeruleis moestae vittis atraque cupresso. *ex more veterum, qui religione tenebantur, vt mortuis nondum sepultis aut funere ornatis iusta ponendis monumentis, persoluerent.* Caeruleae vittae *sunt* nigrae, *moesti coloris.*

MANVS, in manibus *esse ea dicuntur, quae prope sunt, in victima, atque in promtu pluribus id locis demonstrauit* Burmannus *ad locum* Georg. 2, 45. Ades et primi lege littoris oram. In *manibus* terrae. *Rogat suum Maecenaten; vt ipsi adsit in effingendo carmine, quod quum fieret beneuolentia patroni, poëtae sic rem effingunt, quasi adiuuarentur ab eo.* cf. Ecl. 8, 6. *Vtitur vero poëta hic eleganter imagine nauigationis, cuius dux atque rector esset patronus. quum itaque quaedam tantum perstringere carmine vellet, oram littoris se legere velle dicit, non immensum experiri mare aut plenis sese ventis dare, sed ita cursum suum dirigere vt* terrae semper sint in manibus, h. e. *vt recolere eas statim possit seu nunquam amittat earum repetendarum facultatem. Sic et poëta in fine fere*

operis Georg. 4, 117. Vela traham et terris festinem aduertere proram.

MARMOR *pro* mari Georg. 1, 254. quando infidum remis impellere marmor Conueniat. μαρμαρον, *nitidum, candidum, laeue. hinc et aequor*

MARMOREVS Georg. 4, 523. *Marmorea* ceruix, alias cerea i. e. *candida, pulchra.*

MASCVLVS Ecl. 8, 65. *Mascula* thura, *optima, praestantissima, apud Veteres.*

MATVRARE Georg. 1, 261. Multa forent, quae mox coelo properanda sereno *Maturare* datur. *Propriam vim verbi* maturare *ex hoc loco demonstrant* Gellius Lib. 10, cap. 11. Macrobius 17, 8. *quod enim fit industriae celeritate et diligentiae tarditate, id* maturari *dicendum.*

MEDICA Georg. 1, 215. tum te quoque, *Medica*, patres accipiunt sulci. Medica, *herba a Medis aduecta per bella Persarum Graecis illata, pabuli genus praestantissimi. nostrum, Lucerne, Heynius. Eam* Plinius 18, 43. *sic describit:* „similis est trifolio caule foliisque geniculata, ea cum in caulem assurgit in folio contrahitur.„ *pabulum erat praesertim equorum.*

MEDICARE, *inficere, tingere succis* Georg. 1, 193. Semina vidi equidem multos *medicare* serentes. semina *intellige h. l. legumina* Georg. 4, 65. Ipsae confident *medicatis* sedibus. *Parandae sunt sedes medicatae apum examinibus i. e. dulci succo adspergendi rami et oblinendi, seu aliae quaedam res, vt ibidem facile considant, id enim faciunt, vbi sapor est dulcis, quod animaduertit* Varro 3, 16.

MEDITARI, *experiri, exercere.* Georg. 1, 133. Vt varias vsus *meditando* extunderet artes.

MEDIVS Ecl. 8, 58. Omnia vel *medium* fiant mare *i. e. altum, vastum vel verum mare, vox amantis desperantis, maximas calamitates parum habentis.*

Georg.

Georg. 1, 127. In *medium* quaerebant; *quidquid parabant, in publicum bonum conuertebant.* * gens media, *vulgus*, plebs Aen. 5, 785. Non *media* de gente Phrygum exediſſe nefandis Vrbem odiis ſatis eſt. *opp.* media gens *Aeneae et ſociis eius. plura de locis, vbi vox* medius *ita occurrit dat ad h. l.* Burmannus. * Aen. 4, 104. Dicitur ante aras *media* inter numina diuum. *Hic Seruius et alii, qui eum ſequuti, putant* media inter numina *ſignificare teſtibus aliis Diis. Ego quidem ſpectare ad id credam, quod rex omnibus imaginibus aut ſtatuis circumdatus louem implorarit.*

MEDVS *pro* Perſa Georg. 4, 211. *eſt hic mos non inſolitus poëtis. Aliis hic poëta moleſtiam creauit, eſt enim Indiae fluuius* Hydaſpes. *Mihi poëta hic graecum aliquem expreſſiſſe videtur, quanquam forte minus commode, et deſignaſſe imperium Veterum Perſarum, cuius fines ad Indiae illam partem pertinebant. Ita* Heynius.

MENS, *conſilium* Aen. 12, 554. Hic *mentem* Aeneae Genetrix pulcherrima miſit. cf. 1, 626. — noſtram nunc accipe *mentem.* Aen. 4, 319. Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue *mentem.*

MENSES coeli Georg. 1, 335. Coeli *menſes* et ſidera ſeruat. *ad coeli ſidera reſpicere poëtam non dubium eſt, quare non diſplicet Seruii explicatio, vt ſint duodecim ſigna Zodiaci, quibus menſes cognoſcimus, ea enim totidem fere menſibus ſol peragrat, ita tamen vt ipſa tempora intelligamus, quae tali curſu deſcribuntur, ſic poëta* v. 132. Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra. *Et ſiderum curſus ſeruandus, in cuius rei exemplum affert Saturni ſtellam et Mercurii, quarum progreſſu temporum vices obſeruantur, neque tanti eſt quod ſcimus Saturni motum tardiſſimum*

esse, vt hinc poëtam reprehendamus, illustrat enim tantum quod in superiori inculcauerat. Alii multum hic afferunt de pluuioso Saturno, neque hoc ad rem.

MENTIRI, *referre, praebere atque ostendere, quod infititium est, non natiuum; elegantissime!* Ecl. 4, 42. Nec varios discet *mentiri* lana colores, *confer* illudere.

MEPHITIS *terrae putor, qui nascitur de aquis sulphuratis* Aen. 7, 84. nemorum quae (Albunea) maxuma sacro Fonte sonat, saeuamque exhalit opaca *mephitim.* Seruius *ad h. l.* „Mephitis „terrae putor; et est in „nemoribus grauior ex „densitate siluarum. Alii „*mephitim* Deum vo„lunt (Leucototheae con„nexum: sicut est Vene„ri Adonis, Dianae Vir„bius. Alii *mephitim* „Iunonem volunt) quem „aërem esse constat. No„uimus autem, putorem „ex corruptione aëris „nasci; vt sit *mephitis* „Dea odoris grauissimi, „id est graue olentis.„

MERCES *pro* labore, *eleganti metonymia*, Georg. 2, 62. Omnes (*arbores*) cogendae in sulcum (*scrobem*) ac multa *mercede* domandae.

MERGERE Aen. 11, 28. Abstulit atra dies, et funere *mersit* acerbo. *Aut* sunus *est hoc loco* sepulchrum; *aut pro* morte *posit. et* mergere *idem quod subigere, plane deprimere; translatione satis poëtica, sed satis etiam audaci.*

MERITVS Georg. 2, 515. hinc patriam paruosque nepotes Sustinet, hinc armenta boum, *meritos*que iuuencos. *Sunt enim consortes laboris sui, vt inquit* Seruius. * Georg. 4, 455. Miserabilis Orpheus haud quaquam ob *meritum. h. e. non merito suo, miserabilis, luget vxorem sine sua culpa amissam.*

META viarum; *finis itineris* Aen. 8, 594. Olli per dumos, qua proxima *meta* viarum Armati tendunt. * Aen. 1, 287. His ego nec *metas* rerum nec tempora pono. *bene* ponere metas. conf.

Ernesti

Ernesti Clav. Cic. *in hoc vocabulo.* Seruius „*metas* ad terras retulit, *tempora* ad annos. Lauinio et Albae finem statuit, Romanis aeternitatem„ * Aen. 12, 546. Hic tibi mortis erunt *metae* domus alta sub Ida. conf. Hom. Iliad. τ, 416. τελος θανατοιο.

METARI Georg. 2, 274. si pinguis agros *metabere* campi. h. e. *instituis, paras, sic enim prius finiuntur limitibus.* Eligere *non male explicat* Seruius.

METERE *pro* vindemiare Georg. 2, 410. *Talia fiunt e poëtarum more, et apud Virgilium hac de re frequenter. vide* Seges.

METIRI, *pro transire, pererrare notum.* Georg. 4, 389. magnum qui piscibus aequor Et vincto bipedum curru *metitur* equorum. piscibus et vincto curru bipedum equorum *intellige pisces inferiori parte, superiori equi, hinc bipedes. In tota vero narratione, quae hic sequitur, adumbrauit Virgilius Homerum* Odyss. Δ. 364. sqq.

METUERE, *cauere, desistere, euitare* vid. P. 1. Indicis. Georg. 1, 246. Arctos Oceani *metuentes* aequore tingi. *Duplicem vrsam putat maiorem et minorem s. helicen et cynosuram, septentrionalia sidera, quae nunquam occidunt infra horizontem, quod poëtarum more exprimitur:* non tinguntur Oceano. * Ecl. 3, 111. dulces *metuet* amores, *iis fruetur, quibus se scilicet beatissimum praedicat; tales enim qui quod habent nihil eo melius putant consequi posse, metuunt id quod possident. Sed de huius loci explicatione atque sensu monebimus quaedam sub* Quisquis. * Georg. 1, 186. inopi *metuens* formica senectae. * *cauere* Aen. 1, 65. pater omnipotens speluncis abdidit atris (ventos) Hoc *metuens, prouidus, cauens, quod scil. dictum vers. praeced.* 63. quippe (venti) ferant rapidi

secum verrantque per auras Omnia.

METVS, *religio*, *cultus* Aen. 7, 60. Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis Sacra comam, multosque *metu* seruata per annos.

MICARE Aen. 1, 94. crebribus *micat* ignibus aether. *resplendere* sic et Aen. 12, 102. Scintillae absistunt: oculis *micat* acribus ignis. *Homeri est* Iliad. A. 104. Ὅσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. * *eleg. de palpitantibus membris recisis* Aen. 10, 396. Te decisa Suum, Laride, dextera quaerit Semanimesque *micant* digiti, ferrumque retractant. *Priorem adscriptum versum iure culpat et ineptum vocat* Marmontelius in Arte Poëtica. Part. I. cap. 4. pag. 128. vers. german. *imitatus eum est praue etiam Ouidius* Met. 6, 559. et Siluis 13, 240.

MINOR, minores, *de nepotibus siue posteris, vt saepius* Aen. 3, 165. nunc fama *minores* Italiam dixisse. Aen. 8, 268. Exil. Io celebratur honos, laetique *minores* Seruauere diem. *Frustra se torquet* Seruius *in explicando vocabulo* minores. *quum de aetate subsequenti bene dici possit, et, quamuis Euander aequalis Caco fuerit, qui longaeuus* cf. vers. 307. et 560. *tamen iam filii eorum, qui Cacum viderant, celebrare tunc poterant festum, iique* minores *bene dicuntur.*

MIRACVLVM Georg. 4, 441. *de Proteo*: Omnia transformat sese in *miracula* rerum; *iucunde dictum pro, in miras sese res seu species induit.*

MISCERE *eleg.* Aen. 2, 298. Diuerso interea *miscentur* moenia luctu. *Bene exprimit hoc verbum turbatam, caedibus, incendiis, ruina vrbem, et omnia commista, conturbata. Sic* incendia miscere *ibid.* vers. 329. *et alibi similiter. Sic et pro* misceri, *repleri, perquam belle et sensibus accommodate* Aen. 4, 411. *Misceri* ante oculos tantis clamoribus aequor.

MISER,

MISER, Aen. 4, 20. Annâ, fatebor enim; *miseri* post fata Sichaei: *Docet vox* fata, *de genere mortis satis funesto hic verba fieri, licet* Seruius *multa alia coniecerit.*

MISERERI parentis. *In simile παθος desinit oratio Priami ad filium Hectorem dehortans illum a congressu cum Achille* προς δε με τον δοτιχηνον εν Φρονεοντα ελεαιρε. vt Aen. 12, 43. Respice res bello varias: *miserere parentis* longaeui.

MITESCERE, *elegantissime de temporibus pacatis, bello posito, finito* Aen. 1, 291. aspera tum positis *mitescent* saecula bellis.

MITRA, *incuruus pileus, a mulieribus gestatus, ideoque opprobrio erat viris* Aen. 4, 216. Et nunc ille Paris (*ita dictus Aeneas, vt dedecoraretur, nam Paris effoeminatus homo*) cum semiuiro comitatu Moeonia mentum *mitra* crinemque madentem Subnixus &c.

MITTERE: *commode quod mercatura ex quadam regione asportatur, illud* mittere *haec terra dicitur* Georg. 1, 57. India *mittit* ebur, molles sua thura Sabaei.

MODO, *plura super ea voce frustra dixerunt interpretes ad* Aen. 9, 141. Sed periisse semel satis est, penitus *modo* non genus omne perosos Femineum: quibus haec medii fiducia valli Fossarumque morae leti discrimina parua Dant animos. *Satis fuisset, Troianos semel tantum perire, satis semel tantum eos peccasse* (*capienda Helena sed*) *quoque omne genus femineum penitus perosos i. e. ita vt odissent omnes pene feminas; το odisse hic est infelices reddere.* modo non *pro* si non, *vt saepius.* Burm. modo non *explic.* tantum non, *quod idem; nec opus erat multis exemplis talem notam significationem firmare.* Markland. *mutat* non *in* nunc; male! *Quae sequuntur* „qui. bus haec medii &c. μυκ-

τη-

τηριςικως, *sed expressit poëta locum verbis:* fossarumque morae, leti discrimina parua *illum locum* Arati. *quem* affert Longinus *de sublim. cap.* 10. p. 85. ed. Toll.

MODVLARI, *de carminibus canendis; putauerim ego, hoc vocabulum bucolicum quoddam, et ad genus scribendi tenue pertinens.* Aen. 1, 1. Ille ego qui quondam gracili *modulatus* auena. *vide* Gracilis.

MOENIA, *de vallo* Aen. 9, 39. Condunt se Teucri portas, et *moenia* complent. *vide* Condere.

MOLES, *pro* difficultate Aen. 1, 37. Tantae *molis* erat, Romanam condere gentem. *Praeclara sententia, laudato iam a Francogallo* le Bossu, *qui ita:* Cet Epiphoneme donne une idée haute et juste de l'importance de son sujet. *Ego vero quaero a doctissimis viris, et Attici, hoc est, optimi saporis, anne totum primordium Aeneidos, praesertim versu 24. hucusque nimis loquacem reddat incipientem poëtam, anne nonnulla bis repetat sine vi? atque saltim neruos magis dedisset operi, si ad exemplum Homeri paucissimis versibus praemissis statim orsus esset:* Vix e conspectu Siculae &c. vers. 38. * Aen. 1, 62. *molem*que et montes insuper altos Imposuit. Seruius *et alii explic. per* ἐν διὰ δυοιν, molemque, hoc est, montes altos, *sed errant, et poëtae dant infantiam, cur enim dixisset* montes *insuper* altos? moles *h. l. est* antrum graue, *et* spelunca atra, *quali sensu saepius occurrit;* huic antro *insuper* montes *altos* imposuit. * *de vndis turbati maris, elatis, altis.* Aen. 1, 138 tantos audebis tollere *moles?* * *eleganter de ingenti Polyphemo,* Aen. 3, 655. Videmus ipsum inter pecudes vasta se *mole* mouentem, (*pastorem Polyphemum*) et littora nota petentem. *Omnia verba lecta.* Polyphemus pastor inter pecudes — mouentem se

se — mole — vasta — *Versus sequens multorum laudibus decantatus propter pingentem elocutionem et repetitum hiatum, quo fiat, vt horreat ipse versus, sicut ipse Polyphemus horrebat.* * *de turri alta, vasta.* Aen. 9, 542. Semineces ad terram, immani *mole* secuta Confixique suis telis et pectora dura Transfossi ligno veneiunt. * *pompa, ambitus* Aen. 12, 161. Interea reges ingenti *mole* Latinus. Dant cuneum densaque ad muros *mole* feruntur. *Densi cum impetu feruntur.*

MOLIRI Georg. 1, 494. Agricola incurno terram *molitus* aratro. *Sic Lucretius quoque* 5, 932. ferro *molirier* arua. * Aen. 3, 6. Auguriis agimur Diuum, classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae *molimur* montibus Idae. *quem montem optimum fuisse caedendae materiae, ex* Strabone *ad h. l. probat* Cerda. * Aen. 7, 158. Ipse humili designat moenia fossa *Molituro*que locum; i. *fundamenta iacit, signat.* cf. vers. 127. * Moliri ignem, Aen. 10, 131. Hi iaculis, illi certant defendere saxis *Molirique* ignem, nec noque aptare sagittas. Servius *quaerit, quid est* moliri? *Est vero* tela ignita iacere; *sicut* neruo aptare sagittas, *est neruo tento mittere.* * moliri viam. *elegant de hasta cum difficultate perrumpente clypeum.* Aen. 10, 477. Incidit atque viam clypei *molita* per oras. * moliri laborem, *contendere ad* Aen. 4, 133. Nec super ipse sua *molitur* laude labor rem.

MOLLIS, *flexilis* Ecl. 2, 72. Viminibus *molli*que paras detexere iunco. Ecl. 5, 31. foliis lentas intexere *mollibus* hastas. Georg. 3, 76. *mollia* crura reponit; *de equo generoso qui gradiendo facile incuruat et cum arte crura.* * Ecl. 4, 28. *Molli* paullatim flauescet campus arista. *Varie explicant*, fertilis *habet* Seruius, *nescio qua ex causa, nisi forte respexerit*

xerit ad fluctuantem segetem. Cerda *explicat* maturam; *confert enim cum eo, quod dicatur* pomum molle, *quod sit* maturum, *sed id res nostro loco minime fert, aristae enim si maturae, horrent potius, sic noster quoque* Georg. 1, 314. spicea iam campis messis inhorruit. *Quare sequimur recentiores interpretes* Martinum *et* Heynium, *qui* leues *explicant. Ita vere* est, *arista enim, quae iamiam efloruit, et modo flauescit,* mollis *dici potest, flexilis, leuis. Nota tantum sequentia.* Ecl 6, 54. *mollis* hyacinthus. Ecl. 7, 45. Muscosi fontes et somno *mollior* herba, *expressum* e Theocrit. Idyll. 5, 51. et 15, 125. * Mollis *solemne epitheton somni* Georg. 2, 470. *Mollesque* sub arbore somni. Georg. 2, 384. mollia prata. Ecl. 8, 64 *laneam* vittam *vocat* mollem. Georg. 3, 295. *mollia* stabula, *bene strata, vt statim explicat.* * *remissum, frigidiusculum.* Georg. 1, 311. Vbi iam breuiorque dies et *mollior* aestas, Georg. 3, 464. *Molli* succedere vmbrae. * mollitus, *domitus.* Georg. 3, 204. *molle* collum equi. * *facilis, opponitur arduo* Aen. 4, 423. Aditus molles. Georg. 3, 293. Iuuat ire iugis, qua nulla priorum Castalium *molli* deuertitur orbita cliuo. *Notat hic* Cerda, *Castalium fontem non in ipso fuisse vertice Parnassi, sed in ima, inde facilis ad eum accessus.* Ecl. 9, 8. qua se subducere colles Incipiunt, *mollique* iugum demittere cliuo. molli cliuo. i. e. *molliter accliui, eleganter, vbi montium iuga leuiter demittuntur et sensim cum plano coniunguntur tractu. opposita ratione dicitur* assurgunt montes. *Versum* 9. *lege* et veteres, iam fracta cacumina, fagos. conf. Ecl 2, 3. * *notum epitheton populorum Asiaticorum, et qui sub clementiori coelo habitant* Georg 1, 57. *molles* Sabaei. * Ecl. 1, 82. sunt nobis mitia poma

ma, Castaneae *molles* et pressi copia lactis. *Magna hic interpretum dissensio. Seruius* maturas *explicat, quem quidem multi sequuntur, ob notam eius vocis significationem, quando poma cet. vocantur* mollia. *inde et* Seruius *castaneas, mala esse putat. Nec satis tamen commoda huic loco illa explicatio videtur, praecesserant* mitia poma, *atque ipsi rei non valde consentanea ista significatio* co-ctas *alii intellexerunt, alii castaneas superioris anni, repositas, in cellula maturatas.* Turnebus *et* Cerda *alii que explicant per proprium quoddam genus, cuius cortex seu echinus non durus adeo atque hirsutus* cf. Cerdam *ad* Ecl. 7, 53. *sed generis eius mentio nihil hic necessaria. Simplicius explicantur* molles *per* dulces, *valet haec lanx maxime de Castaneis cicuribus vt de nucibus: deinde quoque satis consueta illa locutio apud poetas* molle merum, vinum. *Vide et nostrum* Georg. 1, 341. tunc pingues agni, et tunc *mollissima* vina: tunc somni dulces denſaeque in montibus vmbrae. *Meminisse debemus quod antea iam adfuit, somnum dici aliis in locis* mollis, *qui hic* dulcis. * aurum *molle* Aen. 10, 138. cernix cui lactea crines Accipit et *molli* subnectens circulus auro. * Aen 9, 804. haud *mollia* iussa ferentem. *acerba, ingrata.* * haud mollia fatu, *asperа sunt verba, quae cum veritate dicuntur* Aen. 12, 25. Sine me haec *haud mollia fatu* Sublatis aperire dolis. * Aen. 11, 622. Latini clamorem tollunt, et *mollia* colla reflectunt. „*domita, scilicet domitorum equorum, qui facile flectuntur*„ Seruius.

MOLORCHVS Georg. 3, 19. *ludos Nemaeos intelligens memorat* lucos Molorchi, *ille enim Herculem hospitio excepit, cum ludos hic restitueret interemto leone Nemaeo.*

MONS,

MONS, *rupes, saxa, fragmina* Georg. 3, 254. non obiecta retardant Flumina, correptosque vnda torquentia *montes.*

MONSTRATOR, *inuentor; sic monstrare, ostendere pro inuenire.* cf. P. I. Indicis Georg. 1, 19. Vncique puer *monstrator* aratri i. e. Triptolemus.

MONSTRVM, *miraculum, prodigium* Aen. 9, 128. haec *monstra* petunt. cf. praeced. *haec miracula ad eos omnia pertinent quae sequuntur, praeclara in ore Turni ducis exercitus, qui audaciam addere et vigorem animis curat, fuit haec vero solemnis boni ducis ars, vt prodigia fauens explicaret, si qua occurrissent visu et coniectura mala. Vbique,* vti et h. l., Turnus *se exhibet heroem nobilem, verum, audacem quidem, sed vere magnum ducem, adeo vt misericordiam lectoris ad se trahat quam maxime et Aeneae fauorem eripiat. Profecto persona Turni non recte ad vim carminis integri et eius summam picta fuit. Abstineo pluribus et peto modo a legentibus, vt sensus suos excutiant, perlecta Aeneide, cui faueant, cuius misereseant, quem ament, quem optent victorem, quis e iudicio recto maior et admirabilior heros sit, vtrum Aeneas, an Turnus. Scio equidem, quid obiiciat* Riedelius in der Theorie der schön. Wissenschaften, *sed haec contraria contrariis relata non id, quod vult vir doctissimus, praestant, non augetur noster Aeneae amor, dum amore etiam dignum adspectamus Turnum, non eadem causa est, quae in Homero obtinet in personis pingendis Hectoris et Achillis — namque Achillis* χαρακτὴρ *longe alius ac Aeneae est: verba*: non tela, nec ignes Expectant Rutulos, *quae emendare nonnulli frustra conati sunt, recte ex sarcasmo explicantur a Burm.* antea expectabant tela et ignes, nauibus iniicienda Rutulis:

lis: nunc ab igne nihil metuendum, quia iam naues ademtae, ergo sola tela restant, quae mille gentes terrestri proelio in illos coniicient. * *de signo quodam, miraculo, quod* monstret *quasi mentem Deorum aut futura euenta* Aen. 2, 171. Nec dubiis ea signa dedit Tritonia *monstris*. * *dicitur de omni mirabili euentu* Aen. 3, 583. Noctem illam tecti in siluis immania *monstra* Perferimus. *scil. ruinam Aeneae et eructatos monte ignes. vide praeced.*

MONTANVS *fluuius i. e. de monte praecipitans* Aen. 2, 305. rapidus *montano* flumine torrens Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores (*arua*); praecipitesque trahit siluas: stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor. *tota descriptio, siue potius comparatio descripta est ex* Homer. Iliad. δ. vers. 275. cet. *vbi singula inuenies. Non est consilii nostri, nec patitur libellus, vt adseramus eruditorum iudicia, vter poëta palmam mereatur. Satis hic est, fuisse Virgilium imitatorem, Homerum archetypon.*

MONVMENTVM Aen. 3, 102. genitor veterum voluens *monumenta* virorum, *historias*. * *eleg.* Aen. 3, 486. Accipe et haec manuum tibi quae *monumenta* mearum, *quae tibi mei et mearum manuum memoriam faciant.*

MORARI Aen. 5, 400. Nec dona *moror* i. *curo. pluribus locis et rationibus hanc explicationem confirmat ad h. l.* Burmannus.

MORDERE, de fibula eleganter *comprehendere, continere* Aen. 12, 224. Baltheus, et laterum vincturas fibula *mordet.*

MORSVS, *de apum ictu, haud ineleganti simplicitate* Georg. 4, 237. laesaeque venenum *Morsibus* inspirant.

MOS: supra morem *tantum pro magis, poëtica ratione* Georg. 2, 227. Rara sit an *supra morem* si densa, requiras.

MOTARE Ecl. 5, 5. siue sub incertas Zephyris *motan-*

tantibus vmbras. *De lectione concertatur: alii volunt* mutantibus, *quod et Heynius probat. Si ex arte poëtae hic aliquid augurari liceat, praeferrem* motare. *fit enim imago illustrior, frequenter mouet aut se aut vmbras. Similis fere ratio* Ecl. 6, 28. Videres tum rigidos *motare* cacumina quercus, *vbi et alii habent* mutare, *quod probo.* Incertae vmbrae *in illo loco non pro vituperio habenda notat* Heynius.

MOVERE Georg. 1, 123. pater ipse — primusque per artem *Mouit* agros, *fecit moueri, arari instituit.* * tellurem mouere, ad scrobes fodiendas Georg. 2, 316. Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor Tellurem borea rigidam spirante moueri. Cerda *h. l explicat per arare. Adeone necesse erat, vt Virgilius praeciperet hyeme terram gelu rigentem arari non debere? Quamquam fatendum est, Virgilium loqui generalius quasi de agrorum cultu praecipiens: sed quidquid de agro dicitur de segete, id omne transfertur quoque ad vineas saepe, vt alio loco monuimus.* * Aen. 1, 266. Voluens fatorum arcana *mouebo. Alii legunt* monebo, *alii* docebo. *Nihil equidem mutandum, sed durius tamen dictum puto.* Mouebo voluens arcana fatorum, *vt sit sensus:* seriem enarrans mouebo; *et* arcana mouere, *quasi occlusa aperire, et in lucem protrahere;* voluere *tum est* narrare, *quomodo voluantur fata, vt* Ecl. 4, 46. Currere fata *est, currendo efficere. Sic* voluere *etiam occurrit* Aen. 3, 102. *et ita apud* Liuium *me hoc vocabulum vsurpatum legere memini.* * Mouere cantus, *pro* canere Aen. 7, 641. Pandite nunc Helicona Deae, cantusque *mouete*, Qui bello exciti reges, quae quemque secutae Compleri vt campos acies &c. *Imitatio Homeri*, conf. Iliad. β, 484. ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὀλυμ-

πία

πια δωματ' ἐχεσσι &c. *sed nescio an pari cum Homero felicitate, hoc est, pari idoneo loco; namque Homerus tam insignem enumerat exercitum et magnum, vt mens humana vix omnia ea scire posse videatur. Alia res est apud Homerum. Nolo hic* Macrobium *aliosque compilare, nec ipsum Popium; adeoque lectori ipsi arbitrium do.* Heins. *legit* monete *pro* mouete; *pessime! occurrit idem versus* Aen. 10, 163. *in simili re, et forte maiori cum gratia.* * monet arma, est *vires suas experitur; nam* arma *sunt de viribus facultatibus* vnius cuiusque rei. Aen. 12, 6. Tum demum *mouet arma* leo. * moueri, *capi, delectari* Aen. 1, 718. ardescitque tuendo Phoenissa, et puero pariter donisque *mouetur. vide hoc verb. in* Claue Ouid.

MVLCERE fluctus, *noue, pro delinire, mitigare, ponere fluctus.* Aen. 1, 70. Et *mulcere* dedit fluctus et tollere ventos. Burm. *legit* vento *quod praeplacet, vt huic loco maxime consentaneum. Iudicabit ipse lector. Sic et ibid.* vers. 157. Ille regit dictis animos, et pectora *mulcet.*

MVLCTRA, *vas in quod lac mulgetur.* Ecl. 3, 30. bis venit ad *mulctram*, binos alit vbere foetus. *Sic* Theocritus Idyll. 1, 25. 26.

Αἰγα τε τοι δωσω διδυματοκον ες τρις αμελξαι,
Α δυ' εχοισ' εριφως, ποταμελξεται, ες δυο πελλας.

alii de tempore, quo mulgeantur pecora, male. Georg 3, 177. Nec tibi foetae More patrum niuea implebunt *mulctraria* vaccae.

MVLTARE morte, *noue.* Aen. 11, 839. Prospexit tristi *multatam* morte Camillam. *Affectam, damnatam explic.* Seruius. *respicit autem haec vox ad audaciam Camillae, qua contra Troianos a numinibus sustentatos arma ferre susceperit.* cf. vers. 847. ni-

mium crudele luisti Supplicium Teucros conata lacessere bello.

MVLTVS: *magnus, ingens* Aen 4, 3. Multa viri virtus *multus*que recursat gentis honos.

MVNDVS *pro* coelo. Georg. 1, 5. Vos o clarissima *mundi* lumina v. 240. Mundus vt ad Scythiam Riphaeasque arduus arces Consurgit *sic et* v. 232. astra *mundi*. *Sic enim ista optime coniunguntur.*

MVNVS Georg. 4, 520. spretae Ciconum quo *munere* matres — Discerptum latos iuuenem sparsere per agros. *fuit locus valde molestus interpretibus, cum lectionis tum sensus difficultate; lorum insanabilem iudicat Burmannus. Omissis aliorum interpretationibus duris et improbabilibus, adscribamus tantum eam, quam Heynius dedit. Cum ipsi libri, inquit,* spreto quo munere *tueantur (vid. var. lectiones) videndum an non interpretatione aliquantum adiuuari ea lectio possit;* munus *pro officio, pro pietate in defunctum, inferiis, honore, quo mortuos prosequimur, bene dicitur; quid si* quo munere spreto *sit, qua Orphei pietate in coniugem contemta, ea parum motae, nullo eius respectu habito „Ego vero puto velle Virgilium per haec verba,* spretae munere, *caussam suggerere, qua permotae discerpse int eum Thraces mulieres, id enim series orationis vult.* Munus *optime explicari per officium et pietatem, quam praebebat defunctae Eurydice videtur. querelas illas et firmam voluntatem nullum repetendi matrimonium sic vocat.* cf. Ecl. 8, 60. extremum hoc *munus* morientis habeto, *intelligit carmina, querelas praeplacet itaque vulgaris lectio, quae* spretae quo munere *habet, ob tantam Orphei in Eurydicen pietatem, ita vt moestus deserta peteret, vt nulla Venus, non vlli animum flectere hymenaei possent, eo spretum*

tum totum erat genus foemineum, spretae Thraces mulieres h. sunt Ciconum matres, et hanc ignominiam vlcisscebantur Explicauit iam Asper grammaticus apud Philargyrium, et Gesnerus quoque locum sic vt munere sit, ea re, χρημα, a qua ratione non longe nostra, quam exposuimus aberrat, Heynius *vero ieiunam illam esse dicit, neque poëta satis dignam sed fortasse hic non licet adeo esse religiosus.* * *auxilium* Aen. 5, 337. Emicat Euryalus et *munere* victor amici Prima tenet, plausuque volat, trementique secundo. cf. vers. 335. * *officium* Aen. 4, 624. Cineri haec mittite nostro *Munera.*

MVRMVR *suauissime de ventis, et quidem cum indignatione parentibus.* Aen. 1, 59. Illi indignantes magno cum *murmure* montis Circum claustra fremunt. *fictio vere poëtica et laudabilis,* fremunt venti circa claustra montis indignantes et cum magno murmure. *Perperam nonnulli explicant* cum magno murmure montis; *cur enim* murmur montis? *quid fremit? at ventorum* murmur *auget ideam.*

MVSSARE *eleg. et noue.* Aen. 11, 345. Cuncti se scire fatentur Quid fortuna ferat populi, sed dicere *mussant breuiloqu. dicere timent, adeoque tantum* mussant. *Nempe* mussandi *significatus indicium est timoris. mussant, quia timent, et quid mussant, timent. Sic, eadem fere ratione* Aen. 12, 657. *Mussat* rex ipse Latinus. *dubitat dicere, nec clare proloquitur.* * Aen. 11, 454. Flent moesti, *mussant*que patres. *queruntur, cum indignatione.*

MVTARE, *de coloribus* Ecl. 4, 44. Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti Murice, iam croceo *mutabit* vellera luto. * Mutari, *emi, vendi. antiquo more* Georg. 3, 307. quamuis Milesia magno vellera *mutentur* Tyrios incocta rubores, magno mutantur,

magni emuntur incocta Tyrios rubores, *graece.*

MVTVS: artes *mutae, de arte medica.* Aen. 12, 397. vsumque medendi Maluit et *mutas* agitare inglorius *artes.* Seruius „mutae artes, *quatenus Musicae opponuntur, vel manu tractantur, tum enim cessat oratio. alii tactum venae intelligunt;* Burm. *laudat Gronou. ad Stat.* Theb. 4, 183. *alii ad medicorum silentium respici putant et iuramentum Hippocrat. c.* 19. *alii ad silentium in mysteriis. Alii, quia lente Hippocratis artem didicerunt vsu, non voce praeceptoris. Tu confer* Georg. 2, 486. *vbi est* inglorius *non magnopere clarus. Sed* muta *dicitur ars medica h. l. quia oppon. augurio et citharae, vbi voces et strepitus. ex oppositis epither. intellig. et hinc omnia plana.*

N.

NAM. *Singularem eius vsum habes* Georg. 4, 445. atque hominis tandem ore locutus. *Nam* quis te, iuuenum confidentissime, nostras iussit adire domus? *Notus est vsus graeci γαρ, eadem ratione, suppresso altero orationis membro. Seruius* nam quis *pro* quisnam *antiquae explicat.*

NATANS Georg. 3, 198. tum segetes altae campique *natantes* Lenibus horrescunt flabris. fluctuantes *alibi, elegantis imagine. Difficultatem, quam hic inuenerunt interpretes quidam, iam diximus sub* Flabrum. *Videtur nimirum poëta magis respexisse ad ipsum sonum quem dant segetes agitatae vento, stridentem, sibilantem.* * Georg. 4, 496. Conditque *natantia* lumina somnus. *incerto iam motu fluctuantia, i. oculi moribundi, vbi subita vi ingruente turbantur. Nam quemadmodum qui natant, iam latent sub vndis, iam emergunt, sic in morte videtur lux oculorum errare, nec firma consistere. Explicatio*

Cerdae.

Cerdae. *Est hic locus elegantissimus; Lucretio tamen debet Virgilius hunc ornatum, qui iam de ebriis sic insit* 3, 479. tardescit lingua, madet mens, *Nant* oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt. *Post Virgilium saepius vsurpata illa imago de moribundis maxime. Vide agmen aliquod aemulorum apud* Cerdam *in notis.* et simili vsu *de oppressis somno, et aegre videntibus*, putribus, *vt ait Horatius oculis* vsurpata voce. conf. Aen. 5, 856. cunctanti *natantia* lumina soluit. *vide* soluere.

NATVRA Georg. 2, 49. sponte sua quae se tollunt luminis auras Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt. Quippe solo *natura* subest. *Retractandi sunt versus* 9-21. *vbi tria arborum genera fecerat, quae diuerso modo nascerentur, sponte aliae, aliae ex semine, e radicibus denique et insitione aliae. Sponte igitur quae nascuntur, quamquam sunt infecundae, steriles vocauerat v.* 12., *generositas, populos, salices; laetae tamen sunt et luxuriantes atque fortes, quia nec pro seminis ratione vigorem nanciscuntur* cf. vers. 57. *aut e radice alterius arboris suum succum trahunt, sed tantum* natura *h. e. propria vis innata, nulla accedente aut opera, aut alius rei virtute, eas prouehit, neque, quod statim subiicit poeta, solum illud fossione aut aliis artibus curatum fuit. Videtur tamen poeta, quod haud alienum est ab eius vsu probato et eleganti, grauem quandam sententiam inculcare strictim, fieri scilicet omnia fortiora, et praestantiora, quibus haud medicata natura subsit. Haec omnia itaque quamquam ad rationem non satis accurate dicta, tamen sunt eleganter; distinguit quoque ea, quae non sic natura tantum sua adiuuentur. Neque nos mouet Quinctiliani locus, qui naturae et vetae vi opponit imitatio-*

tionem, quemque huc trahit Heynius, vt Virgilium durius iusto hic locutum conqueramur.

NAVIFRAGVS; *vocab. a Virgilio primo forte factum pro* naufragus. Aen. 3, 553. Caulonesque arces et *nauifragum* Scylaceum. *vbi naufragia fieri solent.*

NEFANDVM Aen. 1, 547. At sperate Deos memores fandi atque *nefandi. vide* Fandum. * Aen. 6, 26 Hic — Minotaurus inest, Veneris monumenta *nefandae. Venus* nefanda *cernitur in* χρησει κατα φυσιν, *vt homines cum feris coëant.* cf. Plinius l. 7. *qui narrat Indorum quosdam cum feris coire mistosque et semiferos esse partus; et Plutarchus in conuiuio septem sapientum.*

NEMOROSVS Aen. 3, 270. Iam medio apparet fluctu *nemorosa* Zacynthus. *ad Homer.* Iliad. 1, 24. ὑλησσα ζακυνθος.

NEQVIDQVAM Georg. 1, 192. Aut si luxuria foliorum exuberat vmbra *Nequidquam* pingues palea feret area culmos. Nequidquam *Seruius et cum eo Cerda sumunt pro* non, *non pingues quidquam*, Nequidquam pingues palea; *at simpliciorem explicationem, quam Heynius dat, sequimur, qui* nequidquam *coniungit cum* teret. Area pingues palea (*sic antiqui legerunt, Seruius Philargyrius, et videtur recta lectio*) culmos, nequidquam teret. Area teret *poëtica translatio. sunt pingues quidem culmi, fortes et ampli, sed nequidquam fit tritura, grana sunt pauca, aut exilia, laboris vix pretium.* * Georg. 1, 403. solis et occasum seruans de culmine summo *Nequidquam* seros exercet noctua cantus. *hoc vult, quamquam cantus nocturnae plerumque sit ominosus, tempestatem praesagiens.* (*Plin.* 18, 82.) *his tamen coniunctis signis, tantum abest, vt tempestatem metuere debeas, vt ipsa noctua, sub vespero canens, suo vlulatu nihil contra valeat, sed nequidquam suos* can-

eantus exercere putanda sit. Nequidquam *per* non *explicari posse, secundum Seruium, Cerdam, Martinum, negat h. l. Heynius.* * Nequidquam *pro* non, Aen. 2, 546. protinus ore repulsum (telum) Et summo clypei *nequidquam* vmbone pependit. *Sic et* Persius 2, 51. *Nequidquam* fundo suspiret nummus in imo. *Donatus ad h. l.* „penetrato aliqua ex parte scuti contextu, telum pendens inhaerebat.„ *Sed cur antea itaque* rauco protinus aëre repulsum? *et cum fuisset* telum sine ictu (vers. 544.) *profecto pendere imbelle telum non in aere potuit.* Burm. *explicat cum Pierio,* penetrauit corium quo obtentum erat aes clypei, quod raucum vocat, quod non magnum sed obscurum ex leui ictu sonitum dabat, *et* nequidquam *igitur accipit pro* frustra, sine effectu; *at, nesciuitne* Burmannus, *nesciuitque* Pierius corium *non inductum aeri, ex more illo veteri fuisse, sed aes super inductum coriis, ita Homerus clypeos describit pluribus locis, et res etiam aliunde constat; adeoque quis assentitur* Burmanno? *Occurrit vox* nequidquam *etiam alibi ita adhibita.*

NESCIVS Aen. 4, 72. liquidque volatile ferrum. Nescius. *Aut* nescius, *quo fugerit; aut ignoratus et latens.* Seruius. *Ego intelligo,* nescius, *se eam feriisse, et satis mihi id significare perpetuitas loci videtur. pastor agit telis ceruam, et inter agendum emittit telum, nesciens tamen an ceruam feriit;* liquit volatile ferrum.

NIDVS Aen. 4, 75. Pabula parua legens, *nidis*que loquacibus escas. Nidi loquaces *elegantissime de pullulis.*

NIGRANS Aen. 9, 87. Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant *Nigranti* picea trabibusque obscurus acernis. *vmbrosa belle* nigrans h. l. *vocatur, bene etiam* trabes *de arboribus h. l. quae trabes fiunt.*

NITERE, oculi nitentes *pulchrae Veneri tributi* Aen. 1, 232. Tristior et lacrymis *oculos* suffusa *nitentes*. * Aen. 3, 20. supero *nitentem* Coelicolum regi mactabam in litore taurum. *h. e. vel* candidum, *ex religione, qua diis victime albae offerebantur, vel, quod magis placet, pinguem (non saginatum, vt vult Cerda, id quod contra ritus religionis fuisset) egregium, opimum. Ita etiam* nitidus *occurrit apud Horatium* Epist. 1, 7. me pinguem et *nitidum* curata bene cute vises. *Nugae sunt, quae proferunt Cerda, Seruius, alii de tauro mactato Ioui, cui* iuuencus *legitimus fuisset, vnde monstrum illud horrendum.*

NITESCERE, Aen. 5, 135. Nudatos humeros oleo perfusa *nitescit. proprium in hac re vocab.*

NITI humi, *ire, sed vt referatur ad gressus firmos, et dure impressos terrae.* Aen. 2, 381. Sentibus vnguem pressit *humi nitens*; trepidusque repente refugit Attollentem iras. *vide* Attollere.

NIVEVS, *noue dict.* Aen. 3, 126. *niueam*que Paron sparsasque per aequor Cycladas *propter candidum marmor, vnde* Parius lapis Aen. 1, 593. *et alibi.* Cerda *locum huc pertinentem. ex* Strabon Geograph. libr. 10. *attulit.* ἐν δὲ τῇ παρωρείᾳ παρία λίθος λεγομένη ἀρίστη. *Bene autem loc. c. Virg.* sparsos Cycladas *dicit, quia* interfusae sunt aequora, *vt ait Horat.* od. 1, 14. vers. vlt *quas longo ordine circuire necesse est, vnde dictae* Cyclades.

NOCTIVAGVS, *epithet. praeclare delectum curru Lunae* Aen. 10, 216. almaque curru *Noctiuago* Phoebe medium pulsabat Olympum. *eleg.* pulsabat olympum, *cum strepitu currus adit.*

NODVS: nodi *pro* catena. Aen. 1, 300. Furor impius (belli) intus saeua sedens super arma, et centum vinctus aënis Post tergum *nodis*, fremet horridus ore cruento.

Vult

Vult Turnebus, *vt iam notauerat* Cerda, *adumbratum hic a Marone bellum, pictum ab Apelle, forma humana, reſtrictis poſt tergum manibus: quam tabulam Auguſtus in ſuo foro dicauit, cuius rei auctor Plinius* libr. 35. c. 10. Macrobius *locum explicat cum relatione ad cauernam ventorum. male! Ceterum notand. imaginis fictio vere poëtica; licet equidem ſentiam, non decere allegoricas tales perſonas carminis epici dignitatem, tamen hunc locum damnare aut vituperare non auſim.* * nodus pugnae, *pulchre de heroë, maximam creante difficultatem vincendi.* Aen. 16, 428. Primus Abantem oppoſitum interimit, pugnae *nodum*que moramque. *Nollem h. l. cum* Cerda *ad* ἔρκος *Graecorum reſpici.*

NOMEN, *pro generoſitate ſ. nobilitate ſaepius, ſic* Georg. 2, 240. Seruius, Burmannus *et alii intelligunt* Salſa autem tellus, et quae perhibetur amara Frugibus infelix (ea nec manſueſcit arando Nec Baccho genus aut pomis ſua *nomina* ſeruat) *ſed dubito, an non de natura vini et pomorum ſimplici ratione intelligendum ſit, naturam mutant fruges in alieno ſolo transpoſitae, eo vero mutato, priſtinum ſuum* nomen *merito amittunt.*

NOTVM; *quod amamus, plurimum tractamus.* Georg. 1, 363. *notas*que paludes deſerit, atque altam ſupra volat arda nubem. Georg. 4, 266. feſſas ad pabula *nota* vocantem. cf. P. 1. Indicis. Notum *latiſſime patet poëtis ad ea non modo, quibus adſueti ſumus, verum etiam in quibus cum maxime verſamur, quae ſentimus, quorum conſcii ſumus, et quae quocunque alio modo nos attingunt ſignif. Ita explicat* Heynius *ad* Georg. 3, 130. cf. 251.

NOVALIA *pro agro quocunque* Ecl. 1, 71. &c. *proprie ſunt rara nouae, ſiue quae nuper complanabantur,* (Seruius *ad h. l.*

h. l. secundum quosdam libros) siue quod sterilia annum interquieuerant et sic renouata erant, Varro de R. R. 29, 1. Plin. 18, 49. Nouales *quoque dicuntur* Georg. 1, 71.

NOVARE res, *noue dict. pro, prius consilium abiicere, aliud sequi.* Aen. 4, 290. Arma parent, et quae sit rebus causa *nouandis* Dissimulent. arma, *quae sint intellig. docet, vers. praec.*

NOVVS, nouum lac Ecl. 5, 74. *recens et pretiosus.* Ecl. 2, 22. *Lac* mihi non aestate *nouum* non frigore desit *Male* Burmannus *distinguit post* aestate, *vt* nouum lac *ad laudem pertineat hiemis abundantiae.* Seruius *locum explicat e* Georg. 2, 150. *vbi greges Italiae bis grauidae laudantur. Vtrumque nimis acute. suae rei laudem extollit Corydon, pastor, lac ei semper suppetere nouum et delicatum dicit, id sibi neque deesse, vt in aestate, ita non hieme, semper enim erant vaccae quae tale praeberent, aut si de pecude, quis in enarrandis suis opibus tunc adeo religiosus, quando amat? praeterea superare hic studuit poëta suum Theocritum, qui caseum modo in medium fert.* Idyll. 11, 36. Τυρος δ' ȣ̓ λειπει μ' ȣτ' εν θερει ȣτ' εν οπωρη. *suauius quid pollicetur Virgilius, id quod et gloriosius erat, ad abundantiam declarandam, et pretium* Ecl. 5, 67. pocula bina *nouo* spumantia *lacte* quotannis — statuam tibi. * Ecl. 5, 71. *vina,* nouum nectar, *dulce, vetustum, quod tantum non est nectar.* * Georg. 3, 370. *cum eximia elegantia de casu niuis altae.* Confecto agmine cerui Torpent mole *noua* et summis vix cornibus exstant. mole noua, *insolenti* Heynius. *Ad niuem magis accommodate intelligo, quae quamuis decutatur, accrescit. Redderes: unter der frischen Last. casu niuis aut*

aut magnitudine niuis explicant veteres * Georg. 4, 457. noua formidine, *repentina, optime* Heyn. * Aen. 12, 54. At regina *noua* pugnae conterrita sorte Flebat. Nouam sortem *vocauit, metuendam, magnitudine noui timoris percellentem; sermo est de singulari certamine.*

NVBES, *de examine apum.* Georg. 4, 557.

NVBIGENA, *de Centauro; nota enim est illorum generatio.* Aen. 7, 674. Ceu duo *nubigenae* quum vertice montis ab alto Descendunt Centauri &c. *Comparatio egregia; sed tota illa enumeratio heroum et exercitus aperta imitatio est Homeri* cf. Iliad. β, 490. seqq. *et nimis, ni fallor, pressa; adeo singulae pulchritudines, et descriptiones desumtae ex Graeco poëta. vox* nubigena *vero ita et occurrit* Aen. 8, 293.

NVDARE, ἐν διλογίᾳ *posit.* Aen. 1, 359. Crudeles aras (*vbi crudele factum perpetratum*) traiectaque pectora ferro *Nudauit: indicauit. neque enim* aras, *neque* pectora, *vmbra* nudare *poterat, certe non* aras. *Sic et* retexit *intellig.* operuit scelus.

NVDVS Georg. 1, 58. Chalybes *nudi, propter ferri cudendi studium, recte* Seruius, *gens enim illa Scythiae nobilis ab hoc genere operae.* * *insepultus* Aen. 5, 871. *Nudus* in ignota Palinore iacebis arena. *Ita et* Ecl. 1, 61. Et freta destituent *nudos* in litore *pisces.*

NVMEN Ecl. 4, 47. Concordes stabili fatorum *numine* Parcae. * Aen. 1, 13. Musa mihi causas memora, quo *numine* laeso Quidue dolens Regina Deum tot volnere casus Insignem pietate virum — impulerit. *Torquent se interpretes, quid sibi velint verba,* quo numine laeso. *Sunt qui legant,* quo numine laesa. *vt* numen *sit potestas virtus; et sensus: qua parte potentiae suae laesa. Alii intellig.* quo *separatim, pro* qua re, qua causa. *Si liceret* con-

coniecturis indulgere, ego ponerem: quo nomine, *h. e. crimine laeso. Sed non opus arte medica. Simplicissimus est sensus:* Musa dic mihi causas, *inquit poëta,* quo numine laeso, *quo deo offenso, aut quo crimine in ipsam Iunonem (quidue dolens regina Deum) factum sit vt Iuno impulerit heroa ad tot casus perpetiendos. Non viderunt quippe interpretes verba:* quo numine laeso *non pertinere ad ipsam Iunonem, de qua demum sequenti versu:* quidue dolens regina Deum. *sed in vniuersum valere.* * *permissus* Aen. 1, 137. Iam coelum terramque meo sine *numine*, venti Miscere et tantas audetis tollere moles? * *auxilium, tutela, vt saepius, etiam* Aen. 2, 703. Vestrum hoc augurium vestroque in *numine* Troia est. * *de simulacro Deae* Aen. 1, 451. Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido Condebat, donis opulentum et *numine* Diuae. *Intell. auream statuam Iunonis, vnde* opulentum *etiam* numine, *vt donis templum.* * *de voluntate Dei* Aen. 3, 399. Troiugena interpres diuum, qui Numina Phoebi, Qui tripodas, clari lauros, *qui sidera sentis* &c. * *poena* Aen. 4, 611. Accipite haec meritumque malis aduertite *numen. Alii e. g.* Seruius *legunt* auertite. *quod vero tam longe abest a vero, vt nimis durum esse videatur.* Numen *vero ita esse interpretandum docet vox* meritum, *docent antecedentes versus et consequentes.*

NVMERVS stellarum *pro ratione ineunda de ortu et occasu et vniuerso motu siderum* Georg. 1, 137. Nauita tum stellis *numeros* et nomina fecit * *de ordine scriptorum, continuatione historiarum* &c. Aen. 3, 446. Quaecunque in foliis descripsit carmina virgo Digerit *in numerum*, atque antro seclusa relinquit. *ordinat, disponit, recte* Seruius. *cf. cum h. l.* Aen. 6, 11. *et* seqq.

* Aen.

* Aen. 6, 546. Ne saeui magna sacerdos, *Discedam, explebo* numerum, reddarque tenebris. Numerus *est tempus, quod terere debebant in inferno vsque dum liberarentur, adeo vt cum Platonis id opinione consentiat, qui id docet vid.* Cerda *ad h. l. qui Seruium et alios refutat.*

NVTARE Ecl. 4, 50.

Aspice conuexo *nutantem* pondere mundum
Terrasque tractusque maris coelumque profundum
Aspice venturo laetentur vt omnia seclo.

Heynius *explicat de laeto signo priores versus, vt contremiscere orbis s. concuti dicatur aduentu et adparitione numinis, quod tam inuisurus sit terras. Coeli commotio et inclinatio in tali descriptione non insueta, quibus nimirum rebus terrae incolis laeta praedicari solent. Mirum est, quantum alii hic nugentur interpretes, sed nostrum tantum est, id quod optimum videtur, apponere. Talem, quam Heynius dedit, explicationem versus 52. omnino desiderat, sed an iam priores versus id iam significent dubito, videtur sane conuenientius esse et verbis et poëtae sensui versum 50, 51. sumere pro descriptione earum rerum, quas praeferre laetitiam vers. 52. demum indicat, alias enim vehementer* offendet illa *repetitio* Aspice — Aspice — *quae multum habet virtutis si eam sequaris rationem, quam Heynius quoque subiecit e Constantini interprete graeco. Ita versus 50. tantum poëtica est descriptio coeli, quod conuexum sub pondere quasi nutat, i. quod non fulcitur. Mundus vero pro coelo saepius, et hic potius de extenso illo quod ὀρίζοντα vocant.*

NVTRITOR *pro nutri, antique* Georg. 2, 425. Hoc pinguem et placitum paci *nutritor* oliuam *Φιλειρηνον Graeci.* cf. Aen. 8, vers. 116. pacifera Oliuam.

NVX Ecl. 8, 30. ſparge marite *nuces*: tibi deſerit Heſperus Oetam. *Mos antiquis Romanis erat, vt* nuces *ſpargerentur pueris, nupta iam in domum et thalamum deducta. Hinc elegans Damonis indignatio. Cauſas eius ritus diligenter anquirit* h. l. Cerda. * Georg. 1, 187. *pro* Amygdalo. quum ſe *non* plurima ſiluis Induet in florem. *Conferendus* Cerda.

O.

OB Aen. 1, 237. Cunctus *ob* Italiam terrarum clauditur orbis. *Senſus facilis; multi vero* ob *explicant* iuxta, *antiquo more dictum. pars orbis clauditur, quae circa Italiam eſt. Sed hoc non placet. Ego interpretor h. l.* ob *per* circum, *vt ſit breuiloquentia*; Clauditur totus orbis errantibus circum Italiam, *nec eo peruenire poſſunt*, ob Italiam *eſt igitur circa totam oram Italiae. Ita* ob *occurrit etiam* Aen. 12, 865. Turni ſe peſtis *ob* ora cet.

OBDVCERE, *noue*, dolor obductus i. *celatus quaſi obliteratus, vnde translatione ſumta* obduci *dicuntur, tum* vulnera cicatrice, *tum literae, aliis literis, dum delentur priores.* Aen. 10, 64. ſilentia cogis Rumpere et *obductum* verbis vulgare dolorem.

OBESVS Georg. 3, 497. fauces obeſae, *tumentes.* Seruius. *de angina ſuum ſic loquitur poëta.*

OBIECTVS, *de aggere, mole.* Aen. 1, 164 Inſula portum Efficit *obiectu* laterum.

OBIICERE Aen. 9, 45. Etſi conferre manum pudor, iraque monſtrant, *Obiiciunt* portas tamen. i. e. *obturant portas.* cf. ſeqq. *et hunc aggerem* obiiciunt, προβαλλονται, *hoſti. Sic* Liuius 1, 14. Portarum fores *obiicere.*

OBLIQVARE, *breuiloquenter.* Aen 5, 16 colligere arma (*contrahere vela*) iubet validisque incumbere remis, *obliquat*que ſinus in ventum.

h. e.

h. e. contracta illa vela ita obliquat in eam partem, vnde flat ventus, vt sinus efficiantur, in quos spirare possint venti. Burmannus sinus *de ipsis velis accipit, et citat nott. ad Petron.* cap. 122.

OBLITVS Ecl. 9, 53. Nunc *oblita* mihi tot carmina.

OBNOXIVS, *qui quocunque modo ab alio pendet.* conf. Gellius 7, 17. Inde Georg. 1, 396. *Nec fratris radiis* obnoxia *surgere luna videtur. Ita videtur quasi non a sole suum lumen accipiat, sed sua luce splendeat.* Georg. 2, 439. iuuat arua videre Non rastris, hominum nonnulli *obnoxia* curae.

OBSCOENVS: Georg. 1, 470. *Obscoeni* canes, *perpetuum eorum epitheton videri potest, hoc tamen in loco magis ad illorum omina respicitur, itaque ominosi, mala portendentes recte explicantur, vt statim importunae volucris, eadem de causa.* * obscoena frons, *de anili, quae scilicet negat pudorem virginibus proprium.* Aen. 7, 417. frontem *obscoenam* rugis arat. (*bene!*) induit albos cum vitta crines. (*quia sacerdotem simulat,* vittas *gerit*) tum ramum innectit oliuae, (*illigat vittis, quod gestamen sacerdotum solemne* conf. Aen. 8, 128. vitta comptos volùit praetendere ramos) Fit Chalybe, Iunonis anus, templique sacerdos. * volucres obscoenae *dicuntur Harpyiae* Aen. 3, 241. *non, quod volunt quidam, quia omen infaustum, quo sensu voc.* obscoenus *vsurpatur alias, sed proprie.* cf. vers. 214. sqq. * obscoena fames *dicitur, male auspicata, siue potius malo omine praedicta, vt ab* Harpyiis 367. Harpyia Celaeno Prodigium canit et tristes denuntiat iras *obscoenamque* famem.

OBSITVS aeuo. Aen. 8, 307. Ibat rex *obsitus* aeuo. *vocem* aeuum *de* senectute *dici, notum, et cui non notum, ei probat exemplis multis* Burmannus *ad h. l. Ceterum*

ego intelligo obsitum aeuo *cum* Ruaeo, sparsum canis. Burm. *explicat, ita plenum aeuo, vt toto ex corpore appareret senectus, et caput tremulum, et vultus rugosus, et pedes infirmi, &c. Nonnulli* obsitum *insitum et obsessum accipiunt. Similis locus cum nostro est* Ter. Eun. 2, 2, 5. annis, pannisque *obsitus.*

OBTENTVS Aen. 11, 66. Exstructos Toros *obtentu* frondis inumbrant, *alii* obumbrant. obtentus *proprie h. l.* Cerda *de coronis mortuo dari solitis accipit.*

OBTORTVS Aen, 5, 559. it pectore summo Flexilis *obtorti* per collum circulus auri. *bene describit torquem.* cf. Aen. 7, 351. *et* Aen. 10, 138.

OCCVMBERE morti, *nouam locutionem et penitus remotam iudicat* Seruius *ad* Aen. 2, 62. seu versare dolor, seu certae *occumbere morti. Ennius primus ea vsus.* vt vos vostri liberi defendant, pro nostra vita *morti occumbant* fortiter.

ODOR, *res quae olfacti sensum excitat, vt bene* Heynius *ad* Georg. 3, 251. Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum Corpora, si tantum notas *odor* attulit auras. Georg. 4, 264. Hic iam Galbaneos suadebo incendere *odores. sic et* sapor *pro re quae saporem praebet* Georg. 4, 267. Proderit et tunsum gallae admiscere *saporem.* * Georg. 1, 56. nonne vides Oroceos vt Tmolus *odores* — mittat. Tmolus *mons proprie Lydiae, vino generoso nobilis, at croco haud notus, quare est difficultas sensus.* Cerda *putat* Crocum *h. l. esse pro vino crocei odoris h. e. dulci. Miscebatur quoque vinum saepius croco. Sed id prorsus non placet. Melius Burmannus, qui quum Cilicia croco generosa, Tmolum veteri errore Ciliciae fuisse tributum probat. vid. eum atque Heynium quoque, qui et hanc rationem subiicit, Tmolum fortasse*

taſſe olim crocum tuliſſe, *et ſi Virgilius veterem graecum quendam h. l. expreſſerit, nihil eſſe quod quaeramus.*

ODORATVS *pro* odoriſer Aen. 7, 13. Vrit *odoratum* nocturna in lumina cedrum. *Seruius ad h. l.* „hoc ideo, quia vſus „olei apud maiores non „fuit, praecipue in Ita„lia.„

OEBALIA Georg. 4, 125. Namque ſub *Oebaliae* memini me turribus altis — Corycium vidiſſe ſenem. *Ita habet vulgaris lectio, quam prorſus improbat Heynius, ſecundum quosdam reponens*: Oebaliae — arcis. Oebalia arx, *ſic* Tarentum *vocatur, a Lacedaemoniis, qui ibi conſederant*; oebalus vero *vetus Lacedaemoniorum rex, hinc arx illa* Lacedaemonia *dici poterat* oebalia; *at* oebaliae turres *ferri non poſſit.*

OLENS, *epitheton.* Cedri, Aen. 11, 137. euertunt actae ad ſidera pinus Robora nec cuneis, et *olentem* ſcindere cedrum, Nec plauſtris ceſſant, vectare gementibus ornos *Fuere qui culparent Virgilium, quia cedrus in Italia non naſcatur; ſed nec defuere, qui* Italicas cedros *oſtenderent.*

OLIM, *aliquando, tempus quodcunque* Georg. 2, 94. Et paſſo pſythia vtilior, tenuisque Lageos Tentarura pedes *olim*, vincturaque linguam. *et ita ſaepius.*

OMINA *pro* auxilio, *bonis ominibus ſignificato.* Georg. 3, 456. meliora Deos *omina* poſcens, *Ita ſecurus legas. Noſtra editio ſecuta eſt vulgares, at non optimos.* Meliora omina *ad graecum eſſet* βελτιονα παντα. * omen *de nuptiis, quia ſacrificiis peragendis nuptiae agebantur, non neceſſe eſt, vt vult* Burm. *vt referatur ad ritum Romanorum in nuptiis celebrandis, namque* omina, *auguria etiam apud alias gentes captabantur.* Aen. 1, 350. cui pater intactam dederat primisque iugarat *ominibus: plane vt noſter poëta, Propertius* libr. 3, eleg. 20. Con-

tineant nobis *omina* prima fidem. * omina *de signis praeteritae rei, non futurae.* Aen. 4, 662. Et noſtrae ſecum ferat *omina* mortis. *Nonnulli inhaerent conſuetae huius vocis vi, et explicant ſic, et videat, quid ipſi acciderit in poſterum propter mortem noſtram ab ipſo acceleratam. Liceat autem aliam interpretationem praeferre; abiens ſigna ipſi contingant, ex quibus me mortuam eſſe perſpiciat. Quae ad hanc explicationem afferri poſſunt confirmandam ſunt duo, vnum eſt quod* noſtrae mortis omina *dicatur, quod ſi ſolitus* ominis *ſenſus retinendus eſſet, innueret ſigna futurae Didonis mortis; quis autem eſt in hoc ſermone, qui hoc accipiat. Alterum, quod verſus antecedens cum hac interpretatione pugnet, verba ſunt:* Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus. *quid haec ſibi volunt verba? ſatis liquet, non de ſignis futurae rei, ſed praeſentis hic eſſe dictum.*

OMNIPOTENS, *olympi epithet.* Aen. 10, 1. Panditur interea domus *omnipotentis* olympi. *De diei ortu intelligit* Seruius; *vnde epithet.* omnipotens *elegantem acciperet ſignificationem, nam vbique patet et potens eſt dies ab Olympo miſſus. Sed errat* Seruius. *eſt h. l. de ipſa ſede Deorum ſermo, et haec omnia fiunt noctu; dies demum apparet poſtea* cf. verſ. 215. iamque dies coelo conceſſerat &c.

ONAGER *ferum genus aſinorum, celebrum in re venatoria, nec eſu inutile. vid.* Cerda *ad* Georg. 3, 409. ſaepe etiam curſu timidos agitabis *onagros. At in Italia nulli: Laborant interpretes.* Onagrorum *venatione maxime exercebantur canes. Recte* Heynius: *poëtico more, cum omnino feram, quae canibus agitari poſſet, nominare vellet, certum quoddam genus poſuit, ſic*

sic alibi vrsos, ceruos *alibi.*

OPACVM Ecl. 1, 53. frigus captabis *opacum*, *in loco opaco.*

OPTARE, *eligere* Aen. 1, 429. Pars *optare* locum tecto, et concludere sulco; i. *fossa, ciuitas enim, non domus, circumdatur sulco. Sic etiam* Aen. 3, 109. *Optauit*que locum regno.

OPTIMVS, optima dies. Georg. 3, 66. *optuma* quaeque *dies* miseris mortalibus aeui Prima fugit. *pro iuuentute, vt bona aetas apud alios. Caeterum quod hic Heynius monet, sententiam de fragili hominum aetate, aut, vt vult Sabinus explicare, de prompto vsu iuuenilis aetatis, cum antea de pecore agatur, male esse inculcatam, repetendum nobis est.*

OPVS vrbis, *nouae dict. a poëta, signif. aedificium aequans vrbis magnitudinem* Aen. 5, 119. Ingentemque Gyas ingenti mole chimaeram, *vrbis opus.*

ORARE, *loqui* Aen. 7, 440. At iuueni *oranti* subitus tsemor occupat artus.

ORBIS Georg. 1, 26. et te maximus *orbis* accipiat. *h. e. coelum, idem ac magnus orbis.* Georg. 1, 231. Idcirco certis dimensum partibus *orbem* Per duodena regit mundi sol aureus astra. cf. mundus. * Georg. 1, 337. quos ignis coeli Cyllenius erret in *orbes.* * orbes *de flexibus sinuosis anguium* Aen. 2, 204. immensis *orbibus* angues Incumbunt pelago. *bene* incumbunt. * *via, et* orbes torti, *obliquae, implicatae viae.* Aen. 12, 481. Haud minus Aeneas *tortos* legit obuius *orbes.*

ORTVS Georg. 1, 432. Phoebe - sin *ortu* quarto pura, *quarto die post nouam lunam.* Aen. 4, 110. Vbi primos crastinus *ortus* Extulerit Titan.

OS, *pro tota forma* Georg. 4, 92. hic melior insignis et *ore* et rutilis clarus squammis. *sic et* facies. vers. 95. vt binae

regum *facies*, ita corpora plenis. *De hac diuersitate* Aristoteles Hist. anim. Lib. 9. cap. 4. εἰσὶ δὲ γένη δύο ηγεμονων, ὁ μὲν βέλτιων, πυρος, ὁ δ' ἕτερος μέλας καὶ ποικιλώτερος, τὸ δὲ μεγεθος διπλασιος της χρησης μελιττης. *Flaui coloris optimos dicit auctor Geopon. Columella Lib* 10. *reges esse ait pulchri coloris, nitidos, leues* &c. *deinde alios reperiri infuscos atque hirsutos. Bene id expressit poëta voc.* horridus, *et eleganter addit* desidia, *hae enim maiores apes negligentiores, breues et in rotunditatem compactiles*, αὐξωνεῖ.

ORA belli Aen. 9, 528. Et mecum ingentes *oras* euoluite *belli*. *Sunt et aliae lectiones, sed omnes reiiciendae.* orae belli *sunt omnia belli fata prima et extrema. vide* Barth. *ad* Stat. Thebaid. 1, 2.

OSSA, *stirps* Aen. 4, 625. Exoriare aliquis nostris ex *ossibus* vltor. *Quis sit ille, quaesiuerunt interpretes, et alii in Hannibalem inciderunt, alii alio. Sed quorsum haec omnia? Nonne furibunda haec dicit Dido?* —

OSCILLVM Georg. 2, 389. Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique *oscilla* ex alta suspendunt mollia pinu. *proprie* parua ora. *Ex multis aliorum interpretationibus nihil hic afferri elegantius et probabilius potest, quam quod* Heynius *ad explicationem huius loci affert.* Oscilla *laruae erant e corticibus factae Bacchi in honorem, vindemia facta, et eius Dei vultum referentes. Erant pendula, mobilia, vnde vocat mollia, nam appendebant ea arboribus agricolae in illis ludis, vt his quaqua versus a vento conuersis Deus, quae agri pars summam esset vbertatem habitura indicaret, quod credebatur, si eo faciem conuerteret persona. Sic causam eius ritus explicauerat Spencius in Polymete.* Pr. 20, f. 2.

OSTRVM

OSTRVM Georg. 3, 17. Illi victor ego, et lyrio conspectus in *ostro* Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus. *Ad sacerdotum purpuram hic respici vane docet* Seruius; *Triumphantum togam haud dubie descripsit. vid.* Heynium. *Victoriam semper h. l. prae se fert poëta, qui superare Graecos cogitabat.*

OVARE, *de alacribus et victoriam modo sperantibus militibus.* Aen 9, 71. Classem — Aggeribus septam circum, et fluuialibus vndis Inuadit, (*conatur inuadere, aggreditur*) sociosque incendia poscit *ouantes. poscit, vt incendia crescent; non de materia, ex qua incendia sequantur, cum* Seruio *intellig. sequitur.* atque manum pinu Flagranti feruidus implet, *quod non de tota arbore, pinu in manus sumta accipio, vt alii, sed de* taeda *ex pinu facta, vt solent loqui poëtae; non enim video causam, quare monstrosa affingam huic loco.* Aen. 3, 189. Cuncti dicto paremus *ouantes*, i. *alacres, laeti, quia finem laborum et certam speramus sedem. Sic etiam* Aen. 3, 544. Numina sancta precamur Palladis armisonae quae prima accepit *ouantes.*

P.

PACISCI Aen. 12, 49. Deponas, letumque sinas pro laude *pacisci. fortem esse cum periculo praesentissimo vitae.*

PALAM luce. Aen. 9, 153. Luce, palam, certum est, igni circumdare muros. lux tenebris, *palam* furtis vers. 150. oppon.

PALARI, *de fugatis dispersisque hostibus, huc illuc vagantibus* Aen. 11, 734. Femina *palantes* agit, atque haec agmina vertit? * palantes stellae, *de fulguribus* Aen. 9, 20. medium video discedere coelum, *Palantes*que polo stellas. *vide* Discedere.

PALLA Aen. 1, 652. Ferre iubet *pallam* signis auroque rigentem. *vide*

voc. Rigere, *vbi explic.* palla.

PALLENS Ecl. 2, 47. *pallentes* violae, *flauae.* 5, 16. pallens oliua. 6, 54. pallentes herbae, *a proprio earum colore. et sic plura.*

PALMA, *pro victoria frequenter.* Georg. 1, 59. mittit Eliadum *palmas* Epiros equarum. h. e. *equos, qui in ludis olympicis victoriam acquirunt. Hoc fert quidem grammatica ratio, nec aliter sensus vllus subest his verbis; sed viderit Virgilius ipse, an satis commoda haec,* palmae Eliadum equarum, *pro equis optimis, quae inter alias olympicas equas palmam consequuntur. alii explicant inuersione poëtica,* mittit Epirus equas palmarum Eliadum. h. e. *quae palmas in Elide obtinent. Difficile est semper in rebus a iusta ratione recedentibus iudicium.* Equas, *noto more; quo sexus femineï animantia praestantiora habentur;* Heynius.

PALMOSVS, *noue* Aen. 3, 705. Teque datis linquo ventis *palmosa* Selinus. *Sic dicta a copia palmarum, quae magna fuit in illo tractu, vt scribit* Cicero in Verrem.

PALMVLA, *extrema pars remi, in modum palmae protenta.* Aen. 5, 163. Lirus ama, et laeuas stringat sine *palmula* cautes. *eleg.* stringat!

PAR Georg. 1, 258. Temporibusque *parem* diuersis quatuor annum. *Inuenerunt veteres grammatici singularem venustatem in eo, quod dixisset* parem in diuersis. *Diuersa anni tempora vnum annum conficiunt parem et ita ordine succedentem, quo fit vt similis sibi maneat.* Georg. 1, 489. Inter sese *paribus* concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi. paria tela, *ciuium cum ciuibus.* Iterum *cum* concurrere *coniungendum, quod hic quoque monet* Heynius, *qui et illam difficultatem, quae in* v. 491. 492. *in alia omnia traxit interpretes, optime dissoluit in commentario.*

tario ad h. l. * alae pares, *poëtice volanti tributae* Aen. 9, 14. Dixit, et in coelum *paribus* se sustulit alis Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. *Pingit rem poëta. Repetiti vero sunt versus ex* Aen. 7, 784.

PARARE Aen. 2, 121. Cui fata *parent*, quem poscat Apollo. int. mortem parent.

PARCERE Ecl. 3, 94. *parcite* oues nimium procedere. * parcere metu Aen. 1, 261. *Parce metu* Cytherea: manent immota tuorum Fata tibi. *quia autem dixerat Venus*: vers. 241. quae te genitor sententia vertit. Cerda *comparat cum hoc loco illum ex* Iliad. 8. Ἦρσεν τριτογένεια Φίλον τέκος, *et alium ex Silio Italico; sed vix est nisi res ipsa quae comparari possit. tales comparationes nimiae sunt.*

PARERE, *eleg. de terra, largiter, et ex voto agricolarum fruges ferente.* Aen. 1, 3. Vt quamuis auido *parerent* arua colono. *Sed displicet totus versus, cur enim* quamuis auido colono? *videtur id versus explendi gratia dictum, et probat, hos quatuor versus non a summo meo poëta Virgilio esse profectos. cf. voc.* Gracilis. * Aen. 2, 784. Illic res laetae, regnumque et regia coniux *Parta* tibi, Seruius *quaerit* „an parata, an acquisita armis?„ *Sed neque hoc est, neque illud, verum simpliciter capio.* parta *est tibi* coniux. *Iam peperit tibi regina coniugem.*

PARS Aen. 4, 374. Et regni demens in *parte* locaui: i. e. *ego feci, vt ei sit regnum mecum commune et imperium.*

PASCERE polus sidera *dicitur non poëtice solum, et audacter, verum etiam ex opinione veterum, quae ali sidera humore ex mari extracto credebat. vide* Heins. *ad* Ouid. Trist. 1, 11, 16. et Burm. ad Valer. Flacc. 2, 62. *sed apud* Virgil. Aen. 1, 612. *Aeneas mihi non hac phrasi solum, verum etiam tota illa oratione male vti videtur.*

tur. Primum imitatus visus iam aliis est hac locutione Callimach. in Hymno in Delum 176. *vbi de stellis* ἡνικα πλειςα κατ' ἀερα βȣκολεονται *deinde totus ille character Aeneae non placet. conf. voc.* Pius.

PASSVM Georg. 2, 93. Seruius *et* Cerda *dictum putant a* patiendo, *quia illae vuae adurentur in ipsis adhuc vitibus et sic solem passae essent; rectius alii, cum quibus facit* Heynius, *a pandendo deriuant, ad solem siccatis vuis.* Georg. 4, 269. psythia *passi* de vita racemi.

PASTORALIS, signum pastorale, *est quo pastores ad pugnam excitantur.* Aen. 7, 513. de culmine summo *Pastorale* canit signum. Cerda *interpretatur: buccina, quae sit pastorum inuentum. male, quod inde vocetur* pastorale signum; *sed* buccina *esse conclamatum, vere se habet.* cf. vers. 529. * Aen. 7, 817. *pastoralem* praefixa cuspide myrtum. *Intelligo cum* Cerda *hastam myrteam.*

PATENS Georg. 4, 77. campi patentes, *quos apes amant sunt aer liquidus et purus, nubibus non clausus. Aer enim apum campus;* Seruius.

PATESCERE *dicuntur loca, quae e longinquo aduentantibus magis magisque apparent et videntur* Aen. 3, 530. Crebrescunt optatae aurae portusque *patescit* Iam propior.

PATI, *absolute* Ecl. 10, 53. Certum est in silnis, inter spelaea ferarum Malle *pati*, tenerisque meos incidere amores Arboribus. * pati monstra i. e. *mutari in monstra, noue et ad graec.* Aen. 7, 21. Quae ne *monstra* pii *paterentur* talia Troes delati in portus, neu littora dira subirent; Neptunus ventis impleuit illa secundis. cf. vers. 15. sqq.

PATIENS, *qui capere potest* Aen 6, 77. At Phoebi nondum *patiens*, immanis in antro Bacchatur vatis. *Qui locus, vt opinor,*

opinor, ita interpretandus; nondum Sibylla ita erat composita et eo loco constituta, vaticinia quae ei Apollo traderet, vt capere posset. Et id si probe tenetur v. 79. excussisse Deum nil sibi vult, nisi quod omnia, quae Apollo haec ei tradendi gratia, in vate produceret, declinaret.

PATVLVS, *expansus, potens.* Ecl. 1, 1. *patula* fagus, *diffusis nimirum ramis* Georg. 1, 376. *patulis* captauit naribus auras. Georg. 3, 362. puppes *patulae* νῆες κοίλαι, εὐρεῖαι *graecis.*

PAVIDVS, *praeclara vox, signans eum, qui gloriae aut rei bene gerendae cupidissimus ardet, et simul tamen sollicitus timet, inter spem metumque palpitante corde* Aen. 5, 575. Excipiunt plausu *pauidos. sic et* Georg. 3, 106. *et alibi in Aeneide.*

PAVSIA, *genus oliuarum, quarum tria tantum ex infinitis numerat poëta* Georg. 2, 86. Orchades et radii et amare *pausia* bacca. pausia *legitur dum adhuc viridis est, et acerba, inde eam dicit* amara bacca.

PAX, *venia* Aen. 4, 36. Principia delubra adeunt *pacem*que per aras Exquirunt.

PECVARIA *pro ipsis pecoribus* Georg. 3, 64. Mitte in Venerem *pecuaria* primus Atque aliam ex alia generando suffice prolem. cf. aestiua.

PELLAEVS: Pella *nobilis Macedoniae vrbs, vnde* Macedonii, pellaei. *Inde Aegyptus, postquam Macedoniae reges eam occupauerant, sic designatur* Georg. 4, 287. *Pellaei* gens fortunati Canopi. Canopus *vrbs antiqua in occidentali Aegypti parte. Nam totam Aegyptum hic describit per duas partes, occidentalem* 287. seq. *orientalem, Persis s. Parthis conterminam* v. 290. seq. *Locum difficilem accuratius exponit* Heynius, *qui idem totam istam descriptionem frigidiorem declarat, quamquam singula membra splendeant. Videtur ipsi hic Virgilius Euphorio-*

rionem aliquem aut alium poëtam Alexandrinum expressisse.

PELLAX, *epitheton Vlyssis, bene lectum; de eo qui solebat per blanditias decipere* Aen. 2, 90. Inuidia postquam *pellacis* Vlyssis (Haud ignota loquor) superas concessit ad oras.

PELTA, lunata Aen. 1, 594. Ducit Amazonidum *lunatis* agmina *peltis* Penthesilea furens. *vide* Lunatus.

PENDERE, Georg. 1, 214. Dum ficca tellure licet, dum nubila *pendent*. *Eleganter* pendent, *imminent*. *Describit tempus ab aequinoctio autumnali vsque ad brumam.*

PENITVS Aen. 10, 526. Est domus alta: iacent *penitus* defossa talenta Coelati argenti. *Nescio an otiose positum sit* TO penitus; *forte augere debet rem, se mortuo nemini profuturas illas pecunias, plane latentes. Totus vero locus est effictus ad imitationem Homeri* Iliad. ζ, 46. sqq. * *valde, vehementer.* Aen. 1, 204. Vos et Scyllaeam rabiem, *penitus*que sonantes Accestis scopulos. *vide hoc vocab. in I. Parte Clav.* * Aen. 2, 487. *penitus* cauae plangoribus aedes Femineis vlulant. i. e. *per omnes partes, vbique.*

PENNA Aen. 12, 750. Cerunum, aut puniceae septum formidine *pennae*. cf. Lucanus 4, 438. Claudit adoratae metuentes aëra *pennae*.

PENNATVS, *epithet. famae, eleg. nisallor, hoc vocabulum in auctoribus Virgilio vetustioribus non occurrit* Aen. 9, 473. Interea pauidam volitans *pennata* per vrbem Nuntia Fama fuit, matrisque adlabitur aures Euryali.

PENSVM *proprie, vt lana fit, quae ad pensum datur puellis intra certum tempus paranda.* Georg. 1, 390. Nocturna carpentes pensa puellae. vid. Horat. 3. od. 27, 64.

PER Georg. 2, 27. susus *per* herbam; *stratus in herba.* * *propter* Aen. 12, 601. Multaque *per* moe-

moestum demens effata furorem.

PERAGERE fortunam; *constituere res suas, iam venisse ad id, quo tenditur, aut eo, vt nouam non amplius fortunam quaerere debeas.* Aen. 3, 493. Viuite felices quibus est fortuna *peracta* iam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur. *Mire nugatur* Seruius, *cum explicat* peractam fortunam, *duram, aut prostratam; etsi totam loci perpetuitatem spectes, nulla alia praeter eam, quam posuimus, explicatio locum inuenire potest, praesertim coll. versu* 495. Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum &c.

PERDVCERE, *perfundere, perungere* Georg. 4, 416. Haec ait et liquidum ambrosiae diffundit odorem: quo totum nati corpus *perduxit. In sequenti versu quaerit* Heynius, *quid sibi velint* dulces aurae, compositi crines, *nondum enim satisfacere ipsi interpretationes aliorum possunt*, Cerda *et* Seruius, *cuius an recte legamus verba, dubitarunt quidam. vid. Burmannum. ita exponunt quasi hoc firmatus iuuenis fuerit vt videndi numinis haberet facultatem.* Vincendi *aut* Vinciendi *legere malebat in Seruio auctor britannus in Miscell. obseruatt. sed nec hac ratione tollitur difficultas, quid enim* crines *ad hoc? Ornatus causa adiectum id quidem videtur, neque alia eius excogitanda causa, quam vt habitus iuuenis depingeretur, qui totus perfusus vnguento esset, a capite ad reliqua vsque membra. Ad vnctionis effectum demum referendus versus* 418. Crines compositi *iuuenis ornati.* conf. Horat. Lib. 3. od. 20, 14. *de colore orationis.*

PERFICERE honorem *pro rite exigere sacrificiorum morem, quae sunt* honores Deûm. Aen. 3, 178. *Perfecto* laetus *honore* Anchisen facio certum. * perfectum auro poculum i. *totum argenteum*

teum Aen. 9, 263. Bina dabo argento *perfecta*, atque aspera signis, (*emblemate*, *caelatura exornata*) pocula deuicta genitor quae cepit Aristu. *plena exstat phrasis eod. libro* vers. 357. Multa virum solido argento *perfecta* relinquunt Arma.

PERFVNDERE Aen. 5, 112. ostro *perfusae* vestes. *obiter noto totum illum librum quintum Aeneidos esse imitationem Homericam, et quidem funeris Patrocli in vlt. Iliad. libro.*

PERLABI *noue et suauiter, de Neptuno percurrente summas aquas* Aen. 1, 151. Atque rotis summas leuibus *perlabitur* vndas. *Qualis imago!*

PERPETVVS, Aen. 7, 176. hic ariete caeso (*victima sacra mactata*) *Perpetuis* soliti patres considere mensis. Seruius *explicat* longis, ad ordinem exaequatis sedentium. *vide* Burm. ad h. l. *et ad* Petron. c. 34. *opponuntur* mensae perpetuae *mensis singulis, quae in tricliniis postea singulis conuiuis apponebantur.* * perpetuus bos. Aen. 8, 183. Vescitur Aeneas simul et Troiana iuuentus *Perpetui* tergo *bouis* et lustralibus extis. *Seruius, aut intell.* apposuit *magni* bouis partes eas, *quae apud maiores in honore fuerunt; aut vere perpetui, nam de hoc boue immolato Herculi, carnes carius vendebantur, causa religionis. Mihi videtur* tergum perpetui bouis *esse totum tergum bouis integri.* tergum perpetuum *est ex* Iliad. η, 321. διηνεϛες. Lustralia exta *eodem loco sunt, quae supererant ex sacrificiis lustralibus. Notum inde dapes celebrari solitos. Alia multa dicunt interpretes, quibus neque fidem habere, neque hic dare locum possum.* * Aen. 4, 32. Solane *perpetua* moerenas carpere iuuenta.

PERPLEXVS, iter *perplexum* Aen. 9, 391. rursus *perplexum* iter omne reuoluens fallacis siluae.

PERSIDERE, *penetrare* Georg. 3, 442. Vbi frigidus imber Altius ad viuum *persedit*, et horrida cano Bruma gelu.

PERVOLITARE, *noue, de luce radiante* Aen. 8, 24. sicut aquae tremulum labris vbi lumen aënis Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae Omnia *peruolitat* late loca, iamque sub auras Erigitur summique ferit laquearia tecti. *Longe venustissima comparatio!* conf. vers. praeced. 20. *nobis hic non licet esse copiosis.*

PES, Aen. 5, 830. Vna omnes fecere *pedem*; pariterque sinistras, nunc dextras soluere lunis; vna ardua torquent Cornua, detorquentque. ferunt sua flamina classem. *Palam est de molimine nauigandi esse sermonem: iam quaeritur, quid sit:* vna omnes fecere pedem *Seruius explicat*: „podium, hoc est „funem, quo tenditur „velum, quod Graeci „ποδα vocant„ *Accuratius exposuit hanc phrasin* Gesnerus in Thesauro, *adscripta interpretatione* Vossi *ad* Catull. p. 12. *quam* Vossi *notam hic adscribere liceat*: „Pedes sunt funes, qui„bus inferiores veli an„guli puppim versus ad„ducuntur. Religatis „itaque ad vtrumque la„tus pedibus, et vento „pone astante, nauiga„tio erat maxime secun„da, tumque nauis cur„rit *vtroque pede. Vno* „autem *pede* nauigabant, „si ventus esset obliquus, „quippe si a sinistra flaret, „tum dextrum adduce„bant *pedem*, sin autem „a dextra, sinistro so„lum *pede* vtebantur. cf. Salmas. ad Solin. p. 400. *cuius tamen explicatio non aequat pretium* Vossianae. *Hinc vere perspicuus totus locus Virgilii.* *Sinus soluere est vela alligare, *ne sint amplius collecta in sinum, sed expansa*, Obliquare sinus; *quod vocab.* conf.

PHALARICA, *teli genus missile quo vtuntur ex phalis i. locis exstructis.* Aen. 9, 705. magnum stridens contorta *phalarica*

rica venit. *Adscribamus hic notam* Seruii, *non illam quidem minime ad hunc locum facientem.* „De hoc telo legitur, „(*phalarica*) quia est „ingens, torno factum, ha„bens ferrum cubitale, et „rotunditatem de plum„bo in modum sphaerae. „In ipsa summitate dici„tur etiam ignem habere „affixum; (stuppa cir„cumdatum,) et pice ob„litum: incensumque „aut vulnere hostem, aut „igne consumit. Hoc „autem telo pugnatur „de turribus, quas *pha„las* dici manifestum est; „(vnde et in circo *pha„lae* dicuntur diuisiones „inter euripum et metas, „quod ibi constructis ad „tempus turribus, his „telis pugna edi solebat). „Iuuenalis: *Consulit ante „phalas, delphinorum„que columnas.* Ergo „a *phalis* dicta est *pha„larica*, sicut a muris, „*muralis*. Sane *phala„ricam* Lucanus dixit „neruis mitti tortilibus „e quadam machina, vt „libr. 6, 198. *Hunc aut „tortilibus vibrata* pha„larica *neruis* Obruat, „Virgilius vero ait, Tur„num manu iaculari po„tuisse; vnde apparet, „aut a Lucano ad auxe„sin illius, qui occiden„dus fuerat, esse dictum; „aut a Virgilio ad lau„dem Turni, qui talem „hastam manu iaculatus „est.„ *Recte posterius valet, et probat loci perpetuitas*: magnum, *inquit poëta*, stridens, venit illa phalarica.

PHARETRATVS, *epitheton pulchrum Camillae* Aen. 11, 649. Amazon, vnum exserta latus pugnae, *pharetrata* Camilla.

PHILOMELA Ecl. 6, 78. sqq. Aut vt mutatos Terei narrauerit artus, Quas illi *Philomela* dapes, quae dona pararit, Quo cursu deserta petiuerit, et quibus ante Infelix sua tecta superuolitauerit alis *Non insistendum nobis hic est variis explicationibus, quibus hunc locum onerarunt interpretes. Facile carebimus ista sedulitate, si hic modo animaduerterimus, quod haud insuetum sit poetis*

fere

fere omnibus antiquis, mutare nomina gemina, fratrum, sororum &c. in fabulis antiquis. Notum quoque de Philomela et eius sorore Progne. vid. Baxterum ad Hor. 3, od. 29, 64. *quare illa difficultas, quod Philomelam Itys interemerit et epulas parauerit patri, cum de Progne illud facinus narretur, nulla est. vide quoque* Cerdam. *Neque versus* 80. 81. *tantam habent molestiam. pergit oratio de Philomela: narrauerat scilicet Silenus* quo cursu *ea* deserta petiuerit h. e. *qua forma incesserit, luscinia e puta; tunc subiicit de altera sorore, Progne scilicet, quae est illa* ante infelix, *de ea enim intelligendum, quod de Philomela alias narratur, vitiatam esse a Tereo, et linguam exsectam,* quibus *ea* alis h. e. *sub cuius alitis forma* sua tecta superuolitauerit. *Progne et pro hirundine habet* Georg. 4, 15. *et bene conspirant Ouidii versus* Metam. 6. fab. 7, 868. 869. quarum, *sororum*, petit altera, *Philomela*, siluas, Altera tecta subit.

PIARE *pro* expiare, Aen. 2, 184. Effigiem statuere, nefas quae triste *piaret. cf.* vers. 171. sq.

PICEA, *arboris genus, unde nix desudat* Seruius, Aen. 9, 87. Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant Nigranti *picea* trabibusque obscuris acernis. *vide voc.* Nigrans.

PICTVRATVS *pro* pictus, *de vestibus acu pictis, noue.* Aen. 3, 483. Fert *picturatas* auri subtemine vestes Et Phrygiam Ascanio chlamydem. *Postea plures posteriores poëtae hoc vocabulum, secuti Virgilium, usurparunt.*

PICTVS, *de auibus variis coloribus et multis ornatis.* Aen. 4, 524. Cum tacet omnis ager pecudes *pictae*que volucres. Pictae *mirabili ob similitudinem pulchritudine. Nolim cum* Cerda *ad varietatem omnium auium referre, sed ipsam coloris vicissitudinem in vna*

aui quaero. Est enim illius sententia nimis quaesita. * Aen. 4, 137. Sidoniam *picto* chlamydem circumdata limbo. Pictus *est limbus, si coloribus est distinctus, seiunctusque ab aliis tunicae partibus, vt iam in toga praetexta id haud insolens fuisse scimus. et* v. 146. Mixti altaria circum Cretesque Dryopesque fremunt, *pictique* Agathyrsi, Picti *dicuntur* Agathyrsi, *quoniam se caeruleo pingere solebant colore, ita vt pro dignitate aut parum aut plus coloris adhiberetur.*

PILENTVM Aen. 8, 666. castae ducebant sacra per vrbem *Pilentis* matres in mollibus. *Seruius ad h. l.* „Pilenta sunt vehi„cula, pensilia (*vnde mollia dicta*) quibus nisi castae, adeoque matronae vti non poterant. cf. Gesn. Thes.

PINEVS ardor, *noue* Aen. 11, 786. Quem primi colimus, cui *pineus* ardor aceruo Pascitur et medium freti metate per ignem Cultores multa premimus vestigia pruna. *de more, et alibi occurrente.* pineus ardor, *sunt prunae ex pinu; sed poëtice de qualibuscunque vsurpantur. Burm. ad h. l. iam laudauit commentatores ad Sil. Ital.* 5, 178.

PINGERE, *eleganter pro distinguere, ornare.* Ecl. 2, 50. Tum casia atque aliis intexens suauibus herbis Mollia luteola *pingit* vaccinia caltha. *dum sertum contexit casia aliisque herbis bene olentibus et luteolas.* h. e *flauas calthas adhibet, quibus distinguit, variat mollia vaccinia, tenera et plumei tactus.*

PINGVIS Georg. 1, 8. Vestro si munere tellus Chaoniam *pingui* glandem mutauit arista. pinguedo *elogii loco adiuncta aristae, inquit* Cerda; Heynius *explicat per* ἁδρὰν, *crassam, opulentam,* conf. Georg. 1, 192. Nequidquam *pingues* polea tenet area culmos. *Quod si glandem aut panem glandibus confectum cogitamus, forte*

forte in mentem veniat cauſſa, quare poëta hoc adiecerit, pinguior enim panis e frumento oleoſo. * pinguia dumeta, Georg. 1, 15. *ſaltus herboſos explicat* Heynius * Georg. 1, 105. Male *pinguis* arena, eſt *tenax, condenſata.* * Georg. 2, 139. Totaque turiferis Panchaïa *pinguis* arenis. *ob tus regionem illam Arabiae pinguem dixiſſe videtur poëta, turifero ſcilicet ſolo* h. e. *arenis.* * Georg. 4, 14. *pinguia* ſtabula, *de apum fauis.*

PINVS, *duplex, hortenſis, et agreſtis.* Ecl. 7, 65. Fraxinus in ſiluis pulcherrima, *pinus* in hortis. *arbor ſemper virens, et apibus grata* Georg. 4, 112. Ipſe thymum *pinos*que ferens de montibus altis Secta ſerat late circum cui talia curae. *vid.* Heinſium ad Ecl. 7, 65. *et* Cerdam *ad poſtremum locum, in quo non eſt neceſſe* pinos *mutare in* tinos, *quod ſtuduiſſe video* Bodenium in diſſert. de Ramo gentium felici. *Tentauerat iam tale quid* Salmaſius ad Ouid. art. Lib. 3, 692. *ſed explosus a Heinſio ibid.* cf Georg. 4, 141.

PISCIS Georg. 4, 23. ſeq. Bis grauidos cogunt foetus, duo tempora meſſis Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum Plias et Oceani ſpretos pede repulit amnis Aut eadem ſidus fugiens vbi *piſcis* aquoſi Triſtior hibernas coelo deſcendit in vndas. *Deſcribit ortum et occaſum Pleiadum, e quibus vnam tantum nominat. Oriuntur autem menſe Maio et occidunt Nouembri. ſed inextricabilis eſt difficultas huius loci, ſi aſtronomicas rationes ſequimur. Piſces enim non oriuntur, ſi iam Pleiades occidunt, hoc tamen eſſet:* Plias — fugiens ſidus piſcis aquoſi. *Totum locum varie tentauerunt docti interpretes. Multorum ſententias adduxit* Heynius. *Nobis hic ſatis ſit, illius adſcribere ſententiam paullo diligentius, quia rationem, qua explicari tandem Virgilius poſſit, aperit.* „*Ex aſtronomicis*

micis itaque rationibus nullam plane loci interpretationem procedere omnes fatentur. Restat adhuc vna ratio, quam vt satis clare exponam, duo ante monere liceat: primum solemne esse poëtis omnibus, etiam iis, qui de astronomicis praecipiunt, vt in describendis siderum sedibus tabulas sui temporis coelestes et asterismos in iis seu constellationes sequantur, et formas figurasque in eis pictas ita exprimant, quasi eae in coelo conspiciantur, scilicet vt ornatum versibus suis ex earum varietate petant. Est porro iisdem poëtis commune, vt fugere dicatur sidus occidens alterum, non alia de causa, quam quod in illa tabula coelesti proximum ei visitur. Sic apud Manilium 1. 263. 264. Aurato princeps Aries in velle surgens Respicit admirans auersum surgere Taurum. Iam si notissimum illud Marmor Farnesianum inspicias, inclinante sese Tauri capite Pleias, si virginis speciem cogites, fugere videri potest altorum Piscium. Atque hoc poëtae ex communi, quem commemorauimus vsu, vt talem eam descriptionem instituerent, satis esse potuit. Restat difficultas in epitheto aquosus, quod nimis tenue videri potest: sed epithetorum genus frequens est, quod siue ad vim, siue ad ornatum plane vacare videatur, sed tamen naturae rei accommodatum sit.„

PISTRIX, bellua marina longi sed angusti corporis Aen. 3, 427. de Scylla: prima hominis facies, et pulchro pectore virgo. Pube tenus: postrema immani corpore *pistrix*. *vide* Senec. Epist. 92. et Macrob. lib. 1. c. 6. Occurrit rursus apud Virgil. Aen. 5, 126. agit acri corpore *pistrim*. et Aen. 12, 211. in *pistrim* desinit aluus. Plura loca auctorum et sat multa laudat ad loc. Aen. 3. commem. Burm.

PIVS: perpetuum epitheton Aeneae in toto carmine

mine Virgilii; quod quomodo cadere in virum, *heroa possit, et dubitationes meas super illo charactere Aeneae, nonnullasque in omnem Aeneidos artem, quoad* συμπαθειαν, *observationes, vide in voc.* Vir. ibi enim *maiorem forte audaciam et iustam nactus occasionem ea dicam, quae nunc timidus reticeo.*

PLACIDVS, Aen. 1, 131. summa *placidum* caput extulit vnda. i. *propitium, scil. Troianis. sic* Placidus *saepius. Torquent se ideo interpretes immerito, qui quaerunt cur* placidus *esse possit, qui* grauiter sit commotus? grauiter commotus *est contra ventos,* placidus *Troianis.*

PLACITVM: vltra placitum laudare, *immodice, magis quam illi qui laudat, conuenit videtur.* Ecl. 7, 27. pastores edera crescentem ornate poëtam, Arcades, inuidia rumpantur vt ilia Codro: aut si vltra *placitum* laudarit, baccare frontem Cingite, ne voti noceat mala lingua futuro. *Codrum antea valde laudauerat Corydon, sperat nunc vero Thyrsis, posse facile superare Codrum illum, si Arcades illi adsint, quare vt se poëtam efficiant rogat concessis solitis poëtarum signis (vid. Cerda h. l.) si vero* vltra placitum, *magis quam iuste vellet, eum forte laudarit Codrus, eo scilicet animo vt sic fascinaret orientem poëtam, (nota superstitio,)* baccare *se coronari optat, (cui vim inesse contra fascinum hoc ex loco videmus) ne vati noceat futuro mala lingua* *Georg. 2, 425. placita oliua *vid.* nutritor. * placitus amor. i. e. *vehemens.* Aen. 4, 38. *Placitone* etiam pugnabis *amori.*

PLAGAE, *funes illi, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem.* Aen. 4, 131. Retia rara, *plagae,* lato venabula ferro. *Alii* retia rara, *maiora,* plagas *minora intelligunt: alii* plagas *intelligunt, quae sunt retia rara.*

PLANTA, plantas *vocat* Georg. 2, 65. *id arborum genus, quarum furculi seu sine radicibus rami non vero resecti in terra plantantur.* conf. ibid. 28. 29. * Georg. 2, 80. feraces plantae *sunt, furculi arboris fertilis, qui inseruntur agresti arbore.*

PLENVS: ad plenum, *poëtice pro valde, optime* Georg. 2, 244. Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus vndae *ad plenum* calcentur. cf. Hor. 1. od. 17, 15. * anni pleni *de matura, nubili virgine* Aen. 7, 53. Iam matura viro, iam *plenis* nubilis *annis.*

PLVRIMVS, *multus* Georg. 1, 184. et quae *plurima* terrae monstra ferunt. Georg. 2, 183. tractu surgens Oleaster eodem *plurimus.* Georg. 2, 166. Italia auro *plurima* fluxit. *sic et* Georg. 1, 187. quam se nux *plurima* siluis indnet in florem, *per translationem pro, multum induit. in fertilis anni signum ea res iam a veteribus obseruata fuit.* Burmannus plurima nux *explicat, multae nuces, multis in locis, non tam commode.* Ecl. 8, 96. has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena Ipse dedit Moeris, nascuntur plurima ponto.

PLVS *pro* plus quam Georg. 4, 207. Neque enim *plus* septima ducitur aestas.

POCVLA Ecl. 8, 28. Venient ad *pocula* damae, *ad potum.* Georg. 3, 529. pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu Flumina.

POENITERE Ecl. 10, 16. stant et oues circum nostri nec *poenitet* illas Nec te *poeniteat* pecoris, *cantibus nostris delectantur oues, et nunc etiam nobiscum lugere non dedignantur, et tu quoque accipe eorum cantus lugubres, nec indignas iudica amore, quas et Adonis pascere non detrectauit*; v. Burmannus.

POLLVERE, *laedere* Aen. 5, 6. Quae tantum accenderit ignem Causa latet: duri magno sed amore dolores *Polluto*, notum-

tumque, furens quid foemina possit Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt. *Mire se torquent hic interpretes, sed frustra Intellectu locus facilis: ignorant causam tanti ignis, sed* dolores duri polluto magno amore *sunt noti illis, et praeterea notum illud, quid possit furens foemina: haec itaque* ducunt, *inducunt* triste augurium per pectora Teucrorum.

PONDVS auri, *de ingenti multitudine* Aen. 3, 49. Hunc Polydorum *auri* quondam cum *pondere* magno Infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi.

PONE Aen. 2, 208. iubae Sanguineae *(anguium)* exsuperant vndas; pars cetera pontum *Pone* legit. „Post transit„ Seruius. *Sic et* Aen. 3, 292. *et* Aen. 2, 725. Pone *subit sequitur* coniux.

PONERE, *facere, dare ad Graec.* τιθεναι, *commutantur enim apud graecos* διδοναι, τιθεναι, ποιειν, *vti notum est, eadem verba apud Hebraeos commutari.* Aen. 10, 623. Si mora praesentis ieri tempusque caduco Oratur iuueni, meque hoc ita *ponere* senti. *Potest etiam idem valere ac* decernere. * ponere bellum 1, 295. Aspera tunc *positis* mitescent saecula *bellis.* * poni, *de mortuis: proprium in hac re vocabulum.* Aen. 4, 681. Sic te vt *posita* crudelis abessem.

PONS, pontes *de tabulatis in turri magni operis, ita vt ex vna contignatione tali ascensum iretur in alias, et istae contabulationes essent loco pontium, quod necessarium fuit in summa turris altitudine* Aen. 9, 530. Turris erat vasto suspecto et *pontibus* altis opportuna loco. *cf. de tali turri* Iul. Caesar. de bello ciuil. libr. 2. cap. 18. in expugnatione Massilienſi.

POPVLARE, *actiue* Aen. 1, 531. Non nos aut ferro Libycos *populare* penates Veninus.

PORRICERE, *propria vox de* exris proiiciendis *in mare aut ignem, de*

more in sacrificiis celebrandis Aen. 5, 238. Constituam ante aras voti reus, extaque salsas *Porriciam* in fluctus, et vina liquentia fundam.

PORTA coeli Georg. 3, 261. *porta* tonat *coeli. Hic cogitari debet coelum tanquam regia aut templum quo Iupiter moratur, cum ex nubibus tanquam e portis suae sedis fulgura mittit. Plura huc pertinentia loca ex Homero aliisque legas apud* Cerdam.

POSCERE numina Aen. 1, 670. Ad te confugio, et supplex tua numina, *auxilium tuum*, posco. *Sed dic quaeso, lector erudite, et sensu praedite venusti iusto; decet haec oratio Venerem ad puerum, filium ipsum suum? Estne ridiculum, Venerem fingere* supplicem Cupidini, *filio, et dicentem*, supplex te oro, *et dicentem*, ad te confugio, *et loquentem tam verbose, vti loquitur toto illo loco? Blanda vox, breues non preces, sed blanditiae decerent hoc loco Venerem, non talia, qualia h. l. legimus. Praeterea in sui ipsius maiorem condemnationem addit poëta, seue potius Venus* vers. 673. Nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore. *Hinc igitur non opus tibi tot verbis, o bona Venus, tot supplicibus vocibus. Certe hoc et pluribus aliis Virgilius mihi errasse videtur in effingendis personis et orationibus. namque (obiter moneo) pari vitio mihi videtur laborare gratiarum actio Aeneae erga Didonem, inde a versu* 601. O sola infandos Troiae miserata labores &c. *nimis loquax est* Aeneas, *quam talem, ni fallor, heroa decebat, et sapit nimis rhetoricam artem subtilem vt eum maxime. Quam opto, vt errem! vt me errasse monstrent viri docti, et aequi; vt me dubitantem saltim aut confirmet, aut refutet in hoc loco explicando* Heynius. * poscere fata i. e. *explorare, qualia sint fata.* Aen. 6, 45. Ventum erat ad limen,

men, cum virgo, *poscere fata* Tempus, ait.

POSITVS, *iactus quocunque modo* Georg. 2, 14. pars autem *posito* surgunt de semine. *Volunt alii, Burmannus quoque, ex hac voce elicere, loqui hic poëtam de iis arboribus, quas seminasset cura hominum primum illud genus vers.* 10. sqq. *earum esse arborum, quae sponte prouenirent et nascerentur e suo semine. At noluit hoc Virgilius, de illa satione, quam Burmannus putat, deinde agit, et vers.* 10. *genus describit arborum prouenientium nullius seminis facta mentione vt* Georg. 1, 22. nouas alitis non vllo semine fruges. *Neque enim hoc contra poëtarum religionem, qui quod non vident, id quoque abesse credunt. prioris autem generis semina minuta, a vento dissipantur, glandes vero, castaneae &c. secundi generis facile fidem faciunt, arborem e semine esse ortam.* cf. *praeterea* v. 47. *et* 57. *et* conf. *quae sub* Natura *diximus.*

POST *pro* pone Ecl. 3, 20. Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille? Tityre coge pecus, tu *post* carecta latebas. * *praeter* Georg. 1, 284. septima *post* decimam felix. *Amplectitur* Cerda *significationem illam, quam et* Heynius *adscripsit, vt sit septima dies felix quamquam et decimus quoque. decima dies felix nominanda, sed deinde et septima quoque. Qui de duplicando numero septenario hic cogitant cum Seruio, vt sit decimus quartus, quem et Hesiodus laudauerit, oppido ineptiunt.*

POTENS *saepe adiunctam habet significationem duritiei, molestiae, crudelitatis.* Georg. 2, 373. Indignas hiemes solemque *potentem: recte Seruius, „grauem solem, intolerabilem.*

POTESTAS *pro* rege, *noue* Aen. 10, 18. o pater o hominum diuumque aeterna *potestas. Non varias lectiones commemora-*

morabo, quae omnes modo gloſſas continent.

PRAECEPS, *de volante, celerrime actis pennis et quaſi ſe praecipitante* Aen. 7, 516. *Praecipites* atrae ceu tempeſtate columbae Condenſae, et et Diuûm amplexae ſimulacra ſedebant. *Multi codd. legunt* tenebant, *vt iam Pomponius Sabinus notauerat, poſt eum Burmannus. Non tamen legerem* tenebant. conf. Ouid. Metam. 15, 417. *qui hunc* Maronis *locum imitatus eſt.*

PRAECIPERE, *ſuauiter* Aen. 11, 491. Exultatque animis et ſpe iam *praecipit* hoſtem. *Omitto interpretes et intelligo: prae nimia ſpe iam cepiſſe ante pugnam* (praecepiſſe) *hoſtem, ratus. ad* verſ. 490. conf. Homer. Iliad. 7, 369. * *etymologicam ſignificationem habet* Aen. 6, 103. Omnia *praecepi*, atque animo mecum ante peregi. *In hoc verſu quae ſit illi vis, facile cognoſces. Omnia haec fore vt mihi accidant ante cogitaui. Fortaſſe hic aliquid ſtoici innuitur; ſtoici enim docebant, ſapientem omnino debere animo excubare, vt nihil ei ſit improuiſum.* * *ante capere, auferre antea, proprie.* Ecl. 3, 98. ſi lac *praeceperit* aeſtus, fruſtra preſſabimus vbera.

PRAECIPITARE Aen. 2, 2, 7. Nox humida coelo *praecipitat; praecipitatur f. praecipitat ſe; et ſic ſimilia plura, de quibus vide* Drakenb. ad Sil. Ital. 9, 645.

PRAEDVLCIS Aen. 11, 155 quantum noua gloria in armis Et *praedulce* decus primo certamine poſſet.

PRAEDVRVS Aen. 10, 748. Partheniumque Rapo, et *praedurum* viribus Orſen.

PRAEFODIRE portas, *eſt ante portas foſſas agere* Aen. 11, 473. *Praefodiunt* alii portas, aut ſaxa ſudesque Subuectant: bello dat ſignum rauca cruentum Buccina.

PRAEMETVERE Aen. 2, 573. poenas Danaum et deſerti coniugis iras *Praemetuens.*

PRAE-

PRAESENS Mars, *de celeri; non iam amplius dilato, citoque erumpente bello.* Aen. 8, 495. Regem ad supplicium *praesenti* Marte reposcunt. *bene h. l.* supplicium. **de eo, quod celeriter datur, ita vt interdum significet id, quod celeriter prodest, iuuat, efficit. Vid. hoc vocabulum in l. Parte Clauis* Aen. 3, 611. Ipse pater dextrum Anchises haud multa moratus Dat iuueni atque animum *praesenti* pignore firmat. *Eleganter* animum firmare. *Quod vero* praesens pignus *sit h. l. dextra prompte data in pignum amicitiae, vltro clarum est et indicant satis verba:* haud multa moratur. Seruius *vero nugatur et piget notam eius adscribere.* * praesentes Dii Ecl. 1, 42. neque seruitio me exire licebat, Nec tam *praesentes* alibi cognoscere diuos. Georg. 1, 10. Vos agrestium *praesentia* numina, fauni. * praesens auxilium Georg. 2, 127. quo non *praesentius* vllum Pocula si quando saeuae infecere nouercae — *Auxilium* venit. * praesens fortuna Georg. 3, 452. Non tamen vlla magis *praesens fortuna* laborum est Quam si quis ferre potuit rescindere summum Vlceris os. fortuna laborum *successus est curationis, in quam labor impenditur,* praesens fortuna, *facilis et felix successus. Praeferimus hanc explicationem alteri, qua* labores *intelliguntur de morbo.* * praesentius, *efficacius, vehementius:* Aen. 12, 152. Tu pro germano si quid *praesentius* audes. *maxima audacia conaris.*

PRAESVMERE, *eleg.* Aen. 11, 18. Arma parate animis et spe *praesumite* bellum. Seruius: „aut „hypallage est, *pro* ar„mis parate animos, aut „certe est mutanda di„stinctio.„ *Posterius amplector, legens:* arma parate, animis et spe *praesumite* bellum. *sperate adeo, vt finitum bellum iam vobis fingatis,*

tis, praesumatis *spe*, *et animi fiducia*.

PRAETENDERE taedas, *de matrimonio inito* Aen. 4, 339. Nec coniugis vnquam *Praetendi taedas. Erat enim apud veteres in vsu, vt aut sponsus aut sponsa aut mater &c. praeferrent taedas in nuptiis celebrandis notares.*

PRAETERLABI, *eleg. pro* praeternauigare, *ita vt deuites locum.* Aen. 3, 478. *Et tamen hanc pelago praeterlabare* necesse est.

PRAEVERTI Aen. 1, 321. Qualis equos Threissa fatigat (*agit*) Harpalice volucremque fuga *praeuertitur* (*se praeuertit*) Hebrum. Rutgersius Venus. lect. c. 6. *legebat* Eurum *pro* Hebrum; *et Burmannus fusius exponit*, *quae* Rutgersius *modo indicauerat*; *et veram illam emendationem honori Rutgersii tribuere studet. Nos, qui eruditionem, nisi vtilis est et iuuat, non amamus, breuiter profitemur, arridere valde emendationem, et lectionem τῦ* Eurum *pro* Hebrum *accipiendam videri; sequimur hic* Gesnerum, *qui ad* Hor. od. 1, 25. vlt. *eandem lectionem probauit*; Rutgersius *enim et ibi voc.* Hebro *mutauerat in* Euro. *Qui cupit conf.* Burm. *ad h. l. et* Gesner. *ad loc. commem.* Hor.

PRAEVSTVS Aen. 7, 524. Non iam certamine agresti stipitibus duris agitur, Sudibusue *praeustis. sic apud* Herod. 7, 71. ἀκοντίοις ἐπικαύτοις.

PRECARI Aen. 12, 175. Tum pius Aeneas stricto sic ense *precatur*. Esto nunc sol testis &c. conf. Homer. Iliad. 3, 276. Ζεῦ πάτερ Ἰδηθεν μεγιστε κ. τ. λ.

PRECIAE vnae, Georg. 2, 95. *quasi praecoquae, cito enim matureſcunt.*

PREHENDI, *eleganter de animali domando, quod antea libere errabat.* Georg. 1, 285. *prensos* domitare boues Georg. 3, 207. ante domandum Ingentes tollent animos *prensique* negabunt verbera lenta pati, et duris pare-

parere Iupatis. *dum domantur*

PREMERE arua, *dicitur mare vbi exundans vicina arua populatur, vastat, inundat.* Aen. 1, 250. Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis It mare praeruptum et pelago *premit arua* sonanti. *Sed quaeso, lector, placet tibi Venus, Ioui patri supplicans,* cum talem poëticam *descriptionem, et quae placitam necessario requirit mentem, pingit? Mihi certe hic non placet, licet alias. Namque cur describit tanta phantasiae vi locum? tanta colorum copia? nescit Iupiter hunc locum? an pertinet ad preces obtinendas, vt dicat, esse fontem* Tiniani *quendam,* quae ora nouem habeat? *quae vastum murmur edat? vbi mare praeruptum? vnde inundationes fiant saepius? ad hunc locum heroem quendam venisse? breuiter dicere debebat, Antenorem vrbem condidisse. Certe oblitus est hic Virgilius, Venerem hoc loco, non se ipsum loqui debere.* * pressus *pro suppressus* Aen. 12, 322. *Pressa* est insignis gloria facti. * premere vestigia, *sequi.* Aen. 6, 197. Sic effatus *praestigia pressit,* obseruans quae signa ferunt. *Hic Scaligero et Taubmanno, non a me impetrare possum, vt assentiar, quippe qui hanc dictionem per subsistere non per sequi explicatam voluerunt, et prouocant ad nescio quid antiquitatis, quod consueuerint ad auguria captanda post preces vel sedere vel stare. Primum vnde illud antiquitatis decerpserint, vtrum ex vera historia, an potius ex falsa huius loci interpretatione, iure meritoque quaeri a nobis potest. sed sit aliqua huius rei in auctoribus narratio, cui bono? si satis ex tota sermonis perpetuitate patet, hic aliam amplectendam esse interpretationem. Quod* vestigia premere, τὰ sequi *vim habeat, qui legerit, ignorabit*

rabit nemo, et quid sibi vult versus 200. „quantum acie possent oculi *sequentum? Ex his mihi perspicuum esse videtur, cur ab aliorum interpretatione decedamus.* * *de caseo consiciendo, proprie* Ecl. 1, 35. ingratae *premeretur* caseus vrbi. Georg. 3, 400. sq. quod surgente die mulsere horisque diurnis Nocte *premunt*; quod iam tenebris et sole cadente Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor, Aut parco sale contingunt hiemique reponunt. *versum* 401. *de caseo qui recens consumatur et de deliciis lacteis intelligunt* Burmannus *et* Heynius, *eam ob causam, quia in sequenti de caseo dicatur seruando in hiemem sed nec hoc modo omnis difficultas tollitur. interim describit poëta varium vsum lactis; ex diuersitate temporis, quo mulgetur; hoc proprium poëtae consilium iam animaduertit* Cerda. *Lac igitur matutinum non venditur, sed praeter id quod die consumitur, vesperi in caseum* premitur *lac Vespertinum, illud demum diuenditur mane in oppidis aut praeparatur cibus in hiemem, at qua ratione, puto, vt in butyrum coagulent et ceteros huiusmodi cibos efficiant, quibus in hieme, cum lac deficit, aeque delectentur.* * *pro plantare, infigere in terram* Georg. 2, 346. quod superest quaecunque *premes* virgulta per agros Sparge hmo pingui et multa memor occule terra. Virgulta *hic esse pro surculis vitium cuiusuis generis probat* Heynius *contra* Martinum, *qui de propaginibus tantum,* premi *eas dici posse, putauerat; sed de quacunque plantatione recte id valet, desigitur enim sarmentum.* * secare, decerpere, metere. Georg. 1, 157. ruris opaci falce *premes* vmbras. Georg. 4, 131. verberas *premens.* * *in re venatoria,* vrgere, agere. Georg. 3, 413. Ingentem clamorem *premes* ad retia cer-

unum. * Georg. 4, 297. Hunc angustique imbrice tecti parietibusque *premunt* arctis. *eleganter pro exstruere in angusto loco, locum* angusti imbrice tecti *h. e. angusto tecto* angustisque parietibus *premere, coercere. Sic ferebat poetica ratio, vt et verbo indicaret angustias.*

PRESSVS Georg. 1, 301. pressae carinae, *onustae.*

PRETIVM morae Aen. 9, 232. Rem magnam, *pretium*que morae fore. *Nonnulli interpretes* pretium *accipiunt pro* poena, *vt sit sensus: dicebant se adferre rem magnam, cuius mora pretium posset adferre, id est* poenam. *vt* Terent. Andr. 3, 5, 4. Ego *pretium* ob stultitiam fero. *Sed plana omnia, si sano modo sensu leguntur: magnam dicunt rem esse, et pretiosam fore moram, magni fore vt constet eis; adeoque statim admitti cupiunt. Respondet h. v. graecorum* τιμωρια, *poenae,* απο της τιμης, *quod est pretium. Sic et* Aen. 12, 352. Illum Tydides alio pro talibus ausis adsecit *pretio.*

PRIMVS, *praecipuus ante omnes* Aen. 12, 33. Bella vides; quanto *primus* patiare labores. * *pro* quam *primum*, statim. Georg. 3, 64. mitte in Venerem pecuaria *primus* Atque aliam ex alia generando suffice prolem. ibid. 67. optima quaeque dies miseris mortalibus aeui *prima* fugit. *cito.*

PROCAX, *epitheton venti* Aen. 1, 540. In vada caeca tulit, penitusque *procacibus* Austris. *Horatius dicit* proteruis *saepius* i. *petulantibus, iniuriosis cum insolentia.*

PROCEDERE, *oriri* Ecl. 9, 47. Ecce Dionaei *processit* Caesaris astrum. Dionaeus, *a Dione matre Veneris, vnde Aeneae et totum genus Iulium dicebatur.* Ecl. 4, 12. incipient magni *procedere* menses. Ecl. 6, 86. inuito *processit* Vesper olympo.

PROCVL, procul tantum, *singularis esse locutio Virgilii videtur. Est*

Ecl.

Ecl. 6, 16. Silenum pueri somno videre iacentem Serta *procul tantum* capiti delapsa iacebant. Ecl. 10, 46. Tu *procul* a patria (nec sit mihi credere) *tantum* Alpinas niues — me sine sola vides. *Haud diuersa videtur esse significatio horum verborum in vtroque loco. Sed interpretum sententiae dissentiunt. In posteriori loco* Seruius *quosdam adfert, qui* tantum, *tam longe, explicarunt, et ad* credere *retulerunt, quam sententiam et* Cerda *aliique probarunt. Alii* tantum *intellexerunt, tantam rem, tam ingratam et atrocem credere ne cogar, vt* Heumannus *explicat. Burmannus* tantum *refert ad posteriora verba, et capit pro* solum, *sola sine me vides.* Heynius *intelligit, nil vides praeter Alpinas niues, quod vix credere possim. En mirum dissensum! sic quoque in illo* loco Ecl. 6, 16. *non vna est interpretatio.* Turnebus *iungebat* tantum *cum* delapsa, *erant delapsa, sed non prorsus. Sic et* Seruius. „tantum capiti delapsa, *vt ostenderet non longius prouolutam coronam.* cf. Aen. 10, 836. procul aerea ramis Dependet galea. Heynius explicat procul, *modo, prope, id est iuxta. et et hoc voluisse poëtam* coll. Ecl. 2, 3. suspicatur: *hos pueros illi soli neminem comitem, nullum Faunum vel Satyrum habenti superueniisse, vt adeo vincire sertis Silenum potuerint.* Tantum serta a capite *pendentia et* cantharus *cum eo erant. Sed nec ipse sibi satisfacit hac explicatione* Heynius. *Reliquum est, vt* procul tantum *habeas coniunctum dictum pro, valde longum, et sic graecam dictionem olet* πορρωθεν ὁσον, *ad quam et Faber iam retulit, sed vide* Heynium. *Esse vero potest talis significatio verborum in vtroque loco, nam* serta capiti delapsa procul tantum iacebant, *longe prouoluta erant a capite;* procul enim

enim dici de rebus alias vicinis recte potest, cf. *non modo* Aen. 10, 836. *sed etiam* Georg. 4, 424.

PROCVRARE corpus, *noue, cum alias dicatur* curare corpus. Aen. 9, 158. laeti bene gestis *corpora* rebus *Procurate* viri, et pugnam sperate parati.

PRODERE ad mortem Aen. 12, 42. Italia, ad mortem si te *prodiderim*. * Aen. 4, 431. Non iam coniugium antiquum, quod *prodidit*, oro.

PRODIGVS, *de altero apium rege, aemulo.* Georg 4, 89. Deterior qui visus, eum, ne *prodigus* obsit Deda neci. *h. e. vt omnes interpretantur, neque vt victus regimini praesit et itaque tantum mel consumat, nihil praeterea. Confer, si quid requiras, loca quae huc adduxit* Cerda.

PRODVCERE Aen. 9, 486. Heu terra ignota canibus data praeda Latinis Alitibusque iaces, nec te tua funera mater *Produxi*, pressine oculos aut vulnera laui. *Locum corruptum agnoscunt omnes fere interpretes, varieque eum emendare sustinent. Fabricius ex antiquitatibus profert h. l.* funeras *doloris participes, ad quas funus pertinet, diuersas a* praeficis, *quae mercede conductae plangebant mortuum.* Heinsius *fauet lectioni:* funere produxi *pro* funera; *cui etiam assentitur* Burm. *sunt et alii plurimi, qui emendarunt h. l., sed bone Deus!* Donatus *et hoc loco et alio legit*: nec te in tua funera mater produxi. *vox* producere *de funeribus et exequiis ferendis solemnis. Quid itaque planius, ego mater te, o fili, non in funera producere potui; aut, si legis, vt habent vulgati codd. sermo doloris erit, et interruptus,* nec te, *dicit mater, statim munus in mentem venit, pergit,* tua funera ego mater produxi! nec te — nec funera tua produxi: *supple ad voc.* te *condere sepulchro potui aut simile quid. possunt etiam verba*: tua funera *intel-*

ligi, te mortuum, *et tum omnia fere plana. vid. voc.* Funus.

PROFANI, *non sacris initiati homines* Aen. 6, 58. Procul, o procul este *profani. Sunt, et inter eos Cerda, qui sub* profanis *manes intelligere velint, quoniam saepius acciderit, vt horrendae species apparerent. Sed quantum in hoc sit veri non video, quum ne vola quidem huius rei hic appareat et vestigium. Malim itaque sic interpretari, vt sub* profanis *homines intelligantur, qui non sint apti, vt eiusmodi sacris interfint.*

PROFLARE somnum, *de stertente, noue, et cum sermonis castitate* Aen. 9, 326. forte tapetibus altis Exstructus toto *proflabat* pectore somnum.

PROFVNDVS, *de coelo, pro* sublimis Aen. 1, 62. Maria ac terras coelumque *profundum* Quippe ferant rapidi secum verantque per auras. *reprehenditur hic locus in* Parrhasianis Tom. I. pag. 22. *et quaeritur* quo laturi sint venti coelum. *Sed ego respondeo, de ea re ipsos ventos interrogare* Parrhasium *debuisse. Profecto qui tales imagines non capit, eum refutare piget.* Secum ferre *nihil aliud est nisi imago ventorum rapidorum, qui, dum destruunt, secum ferre res videntur. vide* Verrere. Georg. 4, 222. Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris coelumque *profundum. idem versus* Ecl. 4, 51.

PROLVDERE, *exordium quasi legitimi certaminis dare.* Aen. 12, 106. ritibus, et sparsa ad pugnam *proludit* arena.

PROLVERE Aen. 1, 743. pleno se *proluit* auro. *plenam pateram ebibit auream. plura de signif. h. v. dat ad h. l. Burm.*

PROPERARE mortem i. *ad mortem* Aen. 9, 401. an se medios moriturus in enses Inferat, et pulchram *properet* per vulnera mortem. Georg. 4, 170. lentis Cyclopes fulmina massis quum *properant;*

perant; *properanter conficiunt. sic saepius apud poëtas, vid.* e. g. Hor. 3. od. 24.

PROPERVS, *festinus, velox.* Aen. 12, 85. Circumstant *properi* aurigae, manibusque lacessunt pectora.

PROPINQVARE augurium, *amicum, fauens reddere explic.* Cerda. Aen. 10, 254. Tu mihi nunc pugnae princeps tu rite *propinques* Augurium, Phrygibusque adsis, pede, Diua, secundo. *Seruius interpretatur: matures, iubetque conferri* Aen. 1, 529. *Sed ita foret* propinqua sis *et debebat esse* augurio. *Explicari forte possit e loco gemino.* Aen. 8, 78. adsis o tantum et propius tua numina firmes, *vbi* propius firmare *idem esse arbitror quod* praesens *i. propitius. potest tamen simul inesse significatio vere appropinquandi res illas laetas; quam significationem ego etiam priori loco tribuo.*

PROPIVS, Aen. 12, 218. Tum magis *propius* res adspice nostras.

PROPRIVS Aen. 1, 77. coniugio iungam stabili *propriam*que dicabo. *perpetuam explic.* Cerda; *et confert* Ter. proprias voluptates Deorum, *sed errat: et* propria *h. l. est, quae non eripietur, vt Paridi Helena.* cf. dicare. * Ecl. 7, 31. saetosi caput hoc apri, tibi Laelia paruus Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui. Si *proprium* hoc fuerit, leui marmore tota Puniceo stabis suras euincta cothurno. proprium *pro perpetuo saepius. vid.* Seruius. *Sed quaeritur hic ab interpretibus, quo referendum illud sit, de quo hic Corydon agat. Amoebaei carminis ratio sic quidem fert, vt non ad ea, quae supra responderat alter, respiciatur, sed noua semper rei contentionis causa ab eo qui primus incepit, laudetur. Quare non ex antecedentibus huc transferamus causam, ad quam respiciat Corydon, sed quod in promtu erat, id canit. Vidit vero iam protoma illa Myconis venatoris*

Dianae dicata, de iis itaque nunc incipit. Sed altera est difficultas grauior, quid sub proprio *intelligendum, quod sibi expetit Corydon. Referunt alii ad venaturam Myconis cuius ipse Corydon fuisset socius. vid.* Burm. Cerdam. *Alii ad carmina, de quibus v. 21. sqq. respexisse putant. alii ad gregem, quem pascebat, vt versu 36. respondeatur. sic nonnulli apud* Seruium. *Planior fortassis sensus et ad amoeboei carminis leuem iuncturam accommodatior emergit, si obseruamus, stetisse hic Corydonem in loco quodam laetissimo, parte alicuius luci.* cf. v. 1. 11. sqq. *Hic vbi videt dona suspensa Dianae a venatore Mycone, id arripit atque rogat concepto voto velit Diana* proprium *ipsi hunc locum concedere atque perpetuum, quo sub eius praesidio possit gregem tutum ab omni periculo pascere.*

PROSCINDERE agrum, *de prima plerumque aratione, qua fissurae magnae trahuntur in agro. sic* Georg. 1, 97. Et qui *proscisso* quae suscitat aequore terga Rursus in obliquum verso perrumpit aratro. Georg. 2, 237. glebas cunctantes crassaque terga exspecta, et validis terram *proscinde* iuuencis.

PROSEQVI *proprie, vt sit deducere aliquem, cum discedit* Aen. 12, 33. Neue omine tanto *prosequere* in duri certamina Martis euntem.

PROSPECTVS Aen. 8, 254. fumum Euomit inuoluitque domum caligine caeca *Prospectum* Eripitus oculis. * petere prospectum *pro* prospicere Aen. 1, 185. omnem *Prospectum* late pelago petit.

PROTERRERE: *mire dictum* Aen. 12, 291. Aduerso *proterret* equo, ruit ille recedens &c.

PROVEHI, *pergere in sermone* Aen. 3, 481. quid vltra *Prouehor*, et fando surgentes demoror austros. *vide* Demorari.

PROVISVS Georg. 1, 167. omnia quae multo ante me-

memor *prouisa* repones. cf. prouisus Part. I. Indicis.

PROXIMVM *id est quod coniungitur* Ecl. 2, 54. Et vos, o lauri, carpam, et te, *proxima* myrte. *quae cum lauro in serto floreo iungatur, et optime lauro conuenit.* cf. Horat. od. 3, 4, 19.

PVBESCERE, *eleganter de vinea feraci* Georg. 3, 390. Hinc omnis largo *pubescit* vinea foetu. *peractis scilicet illis sacris atque festis in honorem Liberi patris.* cf. Tumescere.

PVLLVLARE, *cum virtute pingendi* Aen. 7, 329. Tot (Alecto) sese vertit in ora, tam saeuae facies, tot *pullulat* atra colubris.

PVLSATVS *violatus: Pulsati* Diui, *i. violati, laesi fractis foederibus* Aen. 12, 286. *Pulsatos* referens infecto foedere Diuos.

PVNICEVS Ecl. 7, 23. *punicea* flabis suras cuincta cothurnis. *Cothurni calceamenta venatoria; eiusmodi Dianae statuam erigendam promittit Corydon, quae totam referat imaginem ad suras vsque vinctas cothurno puniceo i. e. purpureo colore tincto, sic fuit antiquissimus mos in statuis. vide* Heynium h. l.

PVRPVREVS, anima purpurea Aen. 9, 349. Pectore in aduerso totum cui comminus ensem Condidit adsurgenti; et multa morte recepit (i. e. *variis vulneribus multis, alii omnes hic in diuersa frustra abeunt*) *Purpuream* vomit ille animam; et cum sanguine mixta vina refert moriens. i. e. *sanguinem purpuream vomit, quocum anima effunditur. Hinc omnia plana, et poëtica imago bella!* * Ecl. 9, 40. purpureum ver, *pulchrum ramigatum, vt tunc est terra. opponitur h. l.* luteo mari.

PVRVS Aen. 12, 169. Procedunt castris, *puraque* in veste sacerdos. *Impolluta et* pura *dicitur vestis, qua festis diebus vti consueuerant*

ſacra celebraturi. * purum *de ſerenitate coeli frequens, at* Georg. 2, 364. *tantum de aëre.* Dum ſe laetus ad auras Palmes agit, laxis per *purum* immiſſus habenis.

PVTARE *cum corde* i. *cogitare* Aen. 8, 522. Aeneas Anchiſiades et fidus Achates Multaque dura ſuo triſti cum corde *putabant.*

PVTEVS *pro ſcrobe. vide* Demitti.

PVTRIS Georg. 1, 44. putris gleba, *reſoluta, tepore emollita, tenera.* Georg. 2, 204. putre ſolum, *ſolubile, quod ſi tale non eſt a natura, arando id efficere ſtudent, vt glebae frangantur et comminuantur. it. Georg.* 2, 262. * Georg. 1, 215. Vere fabis ſatio: tum te quoque, Medica, *putres* Accipiunt ſulci *h. e. glebis fractis et mollitis crebra aratione, ſtercoratione et frigoris vi. ſic* Colum. 2, 11. 3. „Locum in quo Medicam proximo vere ſaturus es; proſcindito circa Calendas Octobris, et eum tota hieme putreſcere ſinito„ *Aliter explicat* Seruius, *qui ad naturam ipſius herbae reſpici putat. Medica enim ſemel ſata denis annis durat, ergo ille ager quotannis non commouetur, ſed quieſcit ſolum et torpet. Poſterior verſus illud ſubindicat* et milio venit annua cura. h. e. *ſeritur milium, quod fieri Medicae quotannis non opus eſt. Non male haec* Seruius, *foret enim alias inconcinnior oratio.*

Q.

QVA *quatenus* Aen. 12, 147. *Qua* viſa eſt fortuna pati Parcaeque ſinebant Cedere res Latio. *poteſt etiam explicari: permiſit; et ſic ait* qua *viſa eſt, vt ſupra* Lib. 11, 292. Coëant in foedera dextrae, *Qua* datur. *Sane latenter oſtenditur fauorem numinum ſine conceſſione fatorum non poſſe procedere.*

QVADRA Aen. 7, 115. Inſtituunt dapes, et adorea liba per herbam Subiiciunt epulis (ſic Iupiter

piter ille monebat) Et *cereale solum* pomis agrestibus augent; Consumtis hic forte aliis, vt vertere morsus Exiguam in Cererem penuria egit edendi Et violare manu malisque audacibus *orbem* Fatalis *crusti*, patulis nec parcere *quadris*. Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus, Nec plura adludens. *Adscripsimus ideo totum locum, quia inde vera vocis* quadrae *explicatio deducenda est; eoque magis, quia, nisi me omnia fallunt*, Gesnerus in Thesauro *non veram dedit huius vocabuli significationem. Interpretatur* quadram, „mensarium instrumentum, „super quod dapes scindontur, siue adponuntur; quod quadrata „forma fieri soleat: veluti rotunda repositoria, *orbes*, dicuntur. „*Mensam*, pergit vir doctus, *orbem, quadram*, „rem eandem esse docet „locus Virgilii Aen. 7, „109. &c. coll. Aen. 3, „257. Sed non ante data cingetis moenibus „vrbem, Quam vos dira „fames, nostraeque iniuria caedis Ambesas subigat malis absumere „*mensas*. „ *Iam putauit* Gesnerus, *quoniam quae alio loco mensae, dicantur, alii nuncupentur* quadrae; *esse* quadram, mensem. *Sed non est. Primum illa* quadrae *significatio nusquam occurrit; verum vbique de* frustis quadratis *haec vox occurrit; adeoque rara et vnica illa notio multis egeret probationibus. Sunt vero illae nullae. namque, licet quae* Aen. 3, l. c. quadra *vocatur, vocetur* mensa Aen. 7, 115. *notandum*, quadram *ideo tantum ita vocari, quia iam* vsum mensae praebet, *non vero quia* quadrae *talis vera sit significatio. Deinde bonus sensus ex solita notione funditur.* Harpyiae *praedixerant, fore vt Aeneas cum sociis mensas comederet; iam* (Aen. 7, 109. &c.) *loco mensae adsunt* frusta panis, i. *quadrae, illae quadrae autem* orbis *vice fungun-*

guntur, ideoque sic appellari possunt, sunt vero crusta vt *ipse ait Virgilius* vers. 115. *illa* frusta, *loco mensarum adhibita ab Harpyiis* mensae *nuncupabantur, et ita iam euentum habet* vaticinium. *Vocantur illae* quadrae *versu* 109. adorea liba; *hinc noua causa, cur* orbes *dici possint, vt plane euanescat etiam argumentum ex voce* orbes *ductum, quo noua illa* quadrae *notio sustentetur. Non maiori iure* Gesnerus *ex h. l nouam illam notionem* quadrae *ducere potest, quam potuerit dicere* quadram *significare* solum, *quia diceretur h. l.* Cereale solum. vers. 111. *Accipiamus igitur et nostro loco* Aen 7, 115. quadras *solita notione, vt sint* frusta panis *seu* crusta, *vt ipse Virgilius dicit. De* pulchritudine loci, *quam Gesnerus dulcissimam praedicat, et, si locus et descriptio ipsa, non quoad perpetuitatem totius carminis spectatur, vere est dulcis, non item si ars integri carminis diiudicatur; alibi diximus:* conf. voc. Alludere. Perraultius in Parallele Tom. III, p. 131. *reprehendit locum vt humilem, cui quidem ex animo repugno. Nihil inuenio, quod* humile *dici possit. Error, si quis sit, inuenitur modo in* vaticinio Harpyiarum *collato cum h. l. namque ridicula vindicta videtur, non digna diis Harpyiis, atque praeterea non digna satis persona Aeneae, cui tam misere insultatur. Plura quaere in loco commemorato, in voc.* Alludere, *fortassis et quaedam his addita in* vocab. Vir *inuenies.*

QVADRIGAE *pro equis solito more poëtarum vt* Georg. 3, 268. *dure dictum videtur pro equis qui Glaucum dentibus discerpserunt, nota fabula.* Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci Potniades malis membra absumsere *quadrigae. Nullus tamen interpres aliquid monet.*

QVADRVPEDANS sonitus, *noue de equo et venuste.* Aen. 8, 596. *Quadrupedante* putrem sonitu quatit vngula campum. *Numerum et literas rem ipsam auribus quasi subiicientem iam omnes vere, qui Virgilium legerunt, et qui non legerunt, notarunt. Similes aliorum de equis currentibus poëtarum descriptiones congessit* Cerda *ad h. l. Occurrit vero idem fere versus* Aen. 11, 875.

QVAESITVM, *rogatum* Aen. 4, 647. Ensemque recludit Dardanium non has *quaesitum* munus in vsus. *Alii volunt hoc vocabulum per relictum interpretari, vt sensus hic sit; non hunc in finem relictus est ensis. Longissime vero hic sensus a verbo discedit, ideoque nolui amplecti. malim, vt dixi potius ad id referre, Didonem tum quum munera inter eaque ensem accepisset, ea non hunc in finem petiisse; est cogitatio poëtae.*

QVAM Aen. 4, 102. aut grauiora timet *quam* morte Sichaei. *Fuerunt qui illud* quam *in vertendo detrahendum putarent, et superfluum. quod non est, et vocab. sic explicandum: non timet ne praeter illam mortem Sichaei quae multa tulerat funesta, alia accederent, quae miseriam imperii augerent.*

QVAMVIS *pro* quantumuis Aen. 1, 3. quamuis auido parerent arua colono. *quantumuis auidus sit frugum terrae. Sic Cicero* Marcell. 10. *quamuis* sis sapiens &c.

QVASSARE Aen. 9, 521. Parte alia horrendus visa *quassabat* Hetruscam pinum. *vibrabat et adferebat taedam ex pinu factam.* * Aen. 12, 894. *elegantissime*, ille caput *quassans*, Non me tua feruida terrent dicta. cf. 7, 292. Tunc *quassans* caput. * eleganter etiam Aen. 7, 291. Stetit (Iuno acri fixa dolore (*bene* fixa.) *Tum quassans* caput haec effundit pectore dicta. *Suauis ima-*

go irati et commoti animi. * Aen. 9, 91. Nec cursu quassatae i. *fatiscentes, concussae, vt rimas capiant, nec turbine venti vincantur.*

QVATERE, *exercere, conficere* Georg. 3, 131. saepe etiam cursu *quatiunt* et sole fatigant, *equos aut vaccas.* " *bene de horrore quo trepidamus* Aen. 3, 30. Mihi frigidus horror Membra *quatit* gelidusque coit formidine sanguis. *Seruius ad h. l.* „Physice loquitur et rationabiliter: „nam hinc et pallor nascitur, cum se ad praecordia fugiens contrahit sanguis.„ * *de volantibus cum stridore* Aen. 3, 226. At subito horrifico lapsu de montibus adsunt Harpyiae, et magnis *quatiunt* clangoribus alas. *vix dignum notatione, esse, qui legant* plangoribus, *pro* clangoribus, *et Catroco eam lectionem placere, quia vox* dira *sequatur.* * Quatere oppida bello. *poët. et noue.* Aen 9, 608. patiens operum paruoque adsueta iuuentus Aut rastris terram domat, aut *quatit* oppida bello. *terret, sic,* Hor. od. 3, 2, 3, mente quatere solida. * quatere campos *bene dicuntur equites missi in pugna ad occupandos et perturbandos campos.* Aen. 11, 513. equitum leuia improbus arma Praemisit *quaterent* campos. * quatere *suauiter pro exagitare* Aen. 12, 337. Talis equos alacer media inter proelia Turnus sumantis sudore *quatit.*

QVIRINALIS Aen. 7, 187. Ipse *Quirinali* lituo, pallaque tegebat succinctus trabea. i. *gestans regium baculum, qualem* Quirinus *postea gerere solitus. Fuere qui* succinctus *ad* trabeam *et* lituum *etiam referrent, indeque mira dicerent. Sed saepius apud Virgilium ita sine adiecto verbo vocabula.* v. g. Aen. 1, 321. 9, 260. 7, 260 &c. * Aen. 6, 612. Ipse *Quirinali* trabea, cinctuque sabino Insignis referat stridentia limina Consul. *Iouis, cum bellum decretum.* Quirinalem trabeam *intelligo*

telligo Romanam. *Adscribere hic liceat notam* Seruii, *non inutilem illam, et ad h. l. explicandum, et ad Antiquum ritum pertinentem* „*Gabinus cinctus est* toga *sic in tergum reiecta, vt ima eius lacinia, a tergo reuocata, hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere veteres Latini, dum necdum arma habebant, praecinctis togis, bellabant; vnde etiam milites* in procinctu *esse dicuntur. Hoc rursus vtebatur consul, bella indicturus ideo, quia, cum Gabii, Campaniae ciuitas, sacris operaretur, bellum subito euenit. tunc ciues cincti suis togis ab aris sunt ad bella profecti et adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu semper vtebantur in bellis: vnde ortus hic mos.*

QVISQVIS *pro* quisque, *vt Cic. epist.* famil. L. 6. epist. 1. vid. Manutium. Ecl. 3, 108. sqq. Non nostrum est, inter vos tantas componere lites Et vitula tu dignus, et hic et *quisquis* amores Aut metuet dulces aut experietur amaros. *Simpliciter haec explicamus, omissis aliorum interpretationibus maximam partem duris, et improbabilibus. Arbiter constitutus Palaemon, postquam Damoetas et Menalcas, posito pignore, vitula a Damoeta, a Menalca poculis, carminibus certare inceperant, quibus Menalcas suos amores laudauerat dulces* v. 82. *Damoetas experiebatur graues* v. 80. *sed idem laudauerat antea suum Amyntam et suaues amores extulerat* 65, 72. *contra quod Menalcas querebatur de indigno amore Amyntae,* 74. *Haec itaque omnia cum egregie persecuti essent, desperat Palaemon posse vni prae altero palmam concedi, vtrumque esse victorem, neutrum victum. sic et lis dirimitur apud Theocritum* Idyll. 6, 46. *et apud Calpurn.* Ecl. 2, 99. Esto pares et ob hoc concordes viuite; nam vos et decor et cantus et amor socia-

sociauit et aetas. *Recusat itaque sibi oblatum munus: Non nostrum est, inter vos tantas componere lites, et ne quis victorem se fuisse ostendat, tu dignus es praemio et ille, et vterque suam persequatur rationem, neque animum abiiciat* quisque *in suo genere perfectus, et perget aut dulcem amorem celebrare, aut de amaro conqueri; nunquam enim constitui de lite inter vos poterit. Hanc esse sententiam Palaemonis putamus, quod vero carmine celebrari solebat, ita effert, vt rem ipsam actam dicat, quale fieri apud poëtas saepius solet, et ipse noster fecit* conf. Ecl. 6, 7. 45. 62. 63. Ecl. 9, 19. 20. *Haud iniucundum est, Palaemonem, qui de cantu tantum constitutus esset arbiter, audire ad ipsum argumentum ad res illas, vt cuique acciderant, sententiam transferentem.*

QVONDAM *aliquando* Aen. 2, 678. *significare tradunt nonnulli: falso; et est solita sua significatione vox intelligenda. Verba sunt Creusae:* Hanc primum tutare domum, cui paruus Iulus Cui pater et *quondam* coniux tua dicta relinquor. *Respicit quippe vocabulum ad futurum tempus.* relinquor, *inquit Creusa,* tua dicta coniux, quondam; *i. relicta* olim *modo tua coniux fui, non amplius*; *praeteriit nomen. Verior est huius particulae talis notio, vt sit,* interdum, aliquando *in alio loco* Georg. 3, 99. Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis, incassum furit.

R.

RABIES scyllaea *in periphrasi personae, pro* Scylla *rabie furente, infestante.* Aen. 1, 204. Vos et scyllaeam *rabiem, penitusque sonantes* Accestis scopulos. *vide* Penitus.

RADERE Aen. 3, 700. Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni *Radimus &c. sic saepius*

Pro-

Propter saxa latentia. Bene radimus *nimium adiuncti praeterimus, vt* Aen. 5, 170. *radit* iter laeuum interior. *vid.* Interior.

RAPERE Aen. 1, 32. Et genus inuisum et *rapti* Ganymedis honores. *vide* Honor. * *de festinante bene* Aen. 12, 450. Ille volat campoque atrum *rapit* agmen aperto. * Aen. 6, 8. quaerit pars semina flammae Abstrusa in venis silicis: pars densa ferarum Tecta *rapit*, siluas: Inuentaque flumina monstrat. *Variae hic distinctiones, variae explicationes reperiuntur; Duas modo ponam. Ruaeus explicat*, colligit ligna arborum, *quae sunt domus ferarum.* Trappeus, „*occupat rapide Siluas.*„ *Ego* Ruaeo *accedere nequeo, quia sequitur;* inuentaque flumina monstrat; *quod pertinet ad voces*: pars, quae tecta rapit. *Ergo per* breuiloquentiam *interpretandum locum arbitror.* pars sociorum rapit tecta ferarum, Siluas; *i. rapide permeat, occupat, scil. vt quaereret fontes; adeoque* inuenta flumina monstrat. *Simili fere elegantia* rapere Aen. 10, 178. Mille *rapit* densos acie, atque horrentibus hastis.

RAPIDVS Ecl. 2, 10 Thestylis (*nota tunc eis ministra*) et *rapido* fessis messoribus aestu &c. *vehementi* Georg. 2, 321; quum *rapidus* sol nondum hiemem contingit equis. *Quamquam hoc solis frequentius sit epitheton, nescio an nugetur h. l.* Pomponius, *qui* rapidum *dictum hanc ob causam putat, quod breuiores iam tunc fierent dies* cf. Georg. 2, 481. *Valde poëtice sit dictum esset* rapidus sol, *quia celerius diurnum cursum conficit, et is in dies sit breuior. ita de celeritate, suauiter* Aen. 8, 442. Nunc viribus vsus, Nunc manibus *rapidis*, omni nunc arte magistra. *bene* rapidae manus! *pingunt rem illo loco.*

RARESCERE, *elegantissime* Aen. 3, 411. Ast vbi digressum Siculae te admoue-

mouerit ora Ventus, et angusti *rarescent* claustra Pelori. *Seruius ad h. l.* „*rarescent* ideo, quia venientibus de Ionio ad Calabriam propter curuaturam littorum clausae videntur angustiae, quae paullatim propinquantibus aperiri videntur; *ergo* rarescent *est*, *tenues*, *rarae videbuntur*; *sed pingit rem*, *nec explanari*, *sed sentiri magis debet.*

RARVS Aen. 9, 383. *Rara* per occultos lucebat semita colles. rara semita *est* ὀλιγη ὁδος, *via non lata*; *an est potius interrupta*, *non vbique trita?*

RAVCVS *eleg. in comparatione aciei* Aen. 7, 705. Nec quisquam aeratus acies ex agmine tanto Miscri putet? aeriam sed gurgite ab alto Vrgueri volucrum *raucarum* ad littora nubem. *Est vero haec tota comparatio Homerica*, conf. Iliad. β. 459. τῶν δ' ὡς ὀρνίθων πτελεηγων ἐθνεα πολλα κ. λ. *Notat* Seruius *Virgilium secundum morem prouinciae suae locutum esse*, *in qua bene canentes cygni* rauciores *vocarentur.*

RECALERE *pro* calere Aen. 12, 35. *recalent* nostro Tiberina fluenta sanguine adhuc. *Iudicium magnae cladis*; *similiter dictum ab* Homero et aliis saepius.

RECENS caede locus Aen. 9, 455. Ingens concursus ad ipsa Corpora, seminecesque viros, tepidaque *recentem* caede locum. *tepidum locum recenti caede.* * *virens* Aen. 6, 674. Riparum toros et prata *recentia* riuis Incolimus „recentia prata *sunt*, *quae humore perpetuo aluntur*, *et viridia sunt*, *vt semper quasi noua appareant. vid. ad* Nemes. 2. Ecl. 22. *Vondelius vertit*, *quasi riuis recentibus irrigua prata dixisset*, *per hypallagen. Et ita* recentes herbae Ouid. Fast. 5, 123. *Virides*, *nouae. vid.* Heins. h. l. 636. recens aqua *ex fluuio viuo et perenni.*„ Burmann.

RECIDIVVM, *denuo exstructum*, *aedificatum.* Aen.

Aen 4, 344. Et *recidiua* manu posuissem Pergama victis.

RECIPIO *pro* libero. Aen. 6, 3. Medioque ex hoste recepi; *liberaui. Sic* Aen 1, 182. frugesque *receptas* Et torrere parant flammis et frangere saxo. *liberatas e periculo naufragii.*

RECLVDERE Aen. 1, 367. Auxiliumque viae veteres tellure *recludit* Thesauros. *vide* Auxilium *supra.*

RECOCTVS, aurum recoctum *est purgatum, adeoque de puro, pretioso dicitur* Aen. 8, 624. Leues ocreas electro auroque *recocto. superinductum intellige vid. voc.* Leuis.

RECTVS, recta vestigia opp. *versis* Aen. 8, 210. atque hos *(boues)* ne qua forent pedibus vestigia *rectis* Cauda in speluncam tractos, versisque viarum Indiciis raptos saxo occultabant opaco.

RECVRSARE animo, Aen. 4, 3. Multa viri virtus, multusque *recursat* gentis honos *reputat.*

RECVTERE *pro* concutere Aen. 2, 52. Stetit illa tremens vteroque *recusso* Insonuere cauae genitumque dedere cauernae. *Fuere, qui sonum in his versibus rem pingentem animaduerterent, et* dactylos *cum* literis *significantibus coniunctos, data opera positos offenderent.*

REDDERE, *de sacris* Georg. 2, 194. fumentia *reddimus* exta. *quidquid debetur, redditur.*

REDIMICVLVM, *vinculum, quo alligatur mitra* Aen 9, 616. Et tunicae manicas et habent *redimicula* mitrae. *conf. h. l.* Cerdam, *qui fuse probat mitras mollium fuisse et feminarum, adeoque probrosas viris. de* redimiculo *idem complurima collegit, quae compilare non placet.* Propert. Eleg. 2, 29. ligamina *vocat, quae Maro h. l.* redimicula. Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae.

REDIRE *simpliciter pro ire, procedere. De monte, flectere se, tendere.* Georg. 3, 351. quaque *redit*

redit medium Rhodope porrecta sub axem. *Vergit ille mons ad* septentrionem.

REDVCTVS sinus, *translate et belle* Aen. 1, 165. in sinus scindit sese vnda *reductos.* * *eleganter, atque propria quadam vi, vt exprimeret actionem qua disiectio facta est* Aen. 12, 307. ille securi Aduersi frontem mediam, mentumque *reducta* disiicit.

REFERRE Ecl. 2, 66. Aspice, aratra iugo *referunt* suspensa iuuenci, *domum reducunt.* cf. Horat. Epod. 2, 63. *Omnia iam languescere dicit atque diem inclinari; suum autem amorem nullo modo remitti posse. Multo elegantius hoc significat Theocritus* 2, 38. 39. Ανι δε, σιγᾶ μεν ποντος, σιγωντι δ' αηται Α δ' εμα ου σιγα ςεργων εντοσθεν ανια. * *pro simpl.* ferre *aut* proferre Aen. 1, 98. Talia voce *refert. quae sequuntur, expressa videntur ex* Odyss. ε, 306. sq. * Referre retro, Aen. 7, 169. Ex illo fluere ac retro sublapsa *referri* Spes Danaum. *adiecta vocula* retro *pro minui, tolli, noue!* * proprie *positum est* Aen. 12, 37. Quo *referor* toties? quae mentem insania mutat? * *repetere* Aen. 4, 338. talisque miserrima fletus Fertque *refert*que soror. *Seruius hanc vim huic* refert *inesse putat: reportat fletus ad Didonem, redit flens ab Aenea. et* Burmannus *id putat esse argumento quod sequatur: sed nullis ille mouetur fletibus. At vero huic repugnant multa. Equidem* refero *cum Aenea coniungo, vt sit sensus: fletus edidit, et quum non moueretur Aeneas, denuo edidit. Nam nondum de reditu dicitur ad Didonem, voxque* nullis *in sequentibus probabilem reddit meam sententiam.* * referre ore, *simile esse alicui.* Aen. 4, 324. Qui te tamen ore *referret. ita et alibi.*

REFICERE, *facere, creare* Aen. 10, 234. Hanc genetrix faciem miserata *refecit; nobis dedit.*

REFV-

REFVGERE, *poëtice de re splendenti, quando obscuratur.* Georg. 1, 442. vbi sol medio *refugerit* orbe. h. e. *si ex aliqua parte obscuratur, si medius eius orbis non conspicitur. vid.* Heynium.

REFVNDERE Aen. 1, 129. Imis stagna *refusa* vadis. i. *agitata, turbata; at quam poëtice!* stagna *sunt profunda maris; omnia ima profunda, turbata et eruta sensit Neptunus.*

REGES. Ecl. 3, 106. Dic, quibus in terris inscripti nomina *regum* Nascantur flores. *Est hyacinthus qui literas αι οι in foliis referebat. vid.* Ouid. Metam. 13, 398. *id querelam designare debuerat heu! heu! sed quia et hae litterae initium sunt in Aiacis nomine, inde Aenigma composuit Menalcas.* reges *dicit ambigue, et plurali numero et oblique, duces in Troiano bello intelligens, ita semper Homerus.* flores inscripti nomina, *notus Graecismus.*

REGIO viarum *de celebriori, latiori via* Aen. 2, 737. auia cursu Dum sequor et nota excedo regione viarum, Heu! misero coniux fatone erepta Creüsa Substitit errauitne via, seu lassa recedit, Incertum: neque post oculis est reddita nostris. Regionem viarum *dici solemni vsu latinitatis* viam celebriorem, maiorem, *multis probat ad h. l.* Burmannus. *Sic apud Ter.* Eun. 5, 9, 32. Cur te in his ego conspicor *regionibus, de parte vrbis et quidem* platea; *et apud* Martial. 3, epigr. 4. Flaminiae dices de *regione* viae. *It. apud nostram poëtam* Aen. 9, 385. Euryalum tenebrae ramorum, onerosaque praeda Impediunt, fallitque timor *regione* viarum. *Cum ergo superiori loco* Aen. 2, 737. regioni viarum *opponantur* auia, *intell. sunt* semitae, *a viis in vrbe celebribus et frequentibus deflectentibus. De re vero ipsa nolo hoc loco pluribus agere. Namque* Battesius, *alii-*

que reprehendunt Aeneam, *quod* Creusam *tam improuide amiserit, eoque ipso poëtam. Videtur mihi hoc loco bene et poëta excusari et* Aeneas *posse. Modo perpetuitas loci legenda, nec vlla perfidia Aeneae cernetur, aut error vatis. Longiorem disputatiunculam huic loco, vt dixi, attexere non placet.*

REGRESSVS Aen. 11, 413. Si nullam nostris vltra spem ponis in armis; Si tam deserti sumus, et semel agmine verso Funditus occidimus, neque habet Fortuna *regressum*; Oremus pacem. *Sunt qui legant* recursum; *male. vide* Burm. ad Ouid. Met. 6, 450. *Noue vero dictum:* regressum habet fortuna; *pro* recurrere, *iterum nos reuisere potest. Tota oratio heroica, et digna* Turno, *tali, qualem se vbique exhibet,* i. e. *fortem et vere magnum heroem.*

RELICTVS Georg. 2, 406. Rusticus et curuo Saturni dente *relictam* Persequitur vitem attondens. *De putatione haec verba agere non de oblaqueatione, cum inutiles radiculae ferro rescinduntur, vt vult* Cerda, *bene hic inculcat* Heynius, *idemque monet oblaqueationem sub putatione complecti etiam* Columellam 4, 24, 4. sqq. *At* relictam vitem *quomodo explicent, in eo variant interpretum sententiae. Seruius et alii vetustiores* relictam *putant neglectam, antea non putatam, quibus suffragatur* Burmannus, *eam dici existimans cui post vindemiam nullam etiam curam adhibuerat vinitor vsque ad tempus quo putari et fingi in sequentem annum debeat.* Heynius *et ante eum* Martinus *aliter;* relictam vitem, *et fructu et frondibus nudatam: quod igitur eius reliquum est, iam nunc est putandum. facile probatur haec explicatio, cum quia sic dignior fit oratio poëta, et magis pingens, tum vero ob id, quod in anteced. adfuit de aduentu hiemis,*

hiemis, qui arbores nudat. * Georg. 4, 128. Cui pauca *relicti* lugera ruris erant. relictum rus *Seruius putat neglectum, antea non putatum, quod et Heynius probat, qui et aliorum interpretationem affert, qui de agro subseciuo intellexerunt, in metatione intra limites non recepto. Alii denique* relictum *hic pro auito sumunt, a patre relicto. sic potius intelligo, vt sit: cui pauca ruris ingera relicta erant.* h. e. *quae erant ipsius, quae possidebat: parum ruris ipse habebat, nec satis fertile.*

RELIGIO: religionem *dici de omni cultu diuino, iam dictum in* l. Parte Clav. *sic et* Aen. 2, 715. antiqua cupressus *Religione* patrum, (*cultu*) multos seruata per annos. * Aen. 12, 182. quaeque aetheris alti *Religio*, et quae caeruleo sunt numina ponto *patet ex voc.* numina, religionem h. l. *esse* deos, *qui coluntur.*

RELINQVERE Aen. 8, 216. Discessu mugire boues atque omne querelis Impleri nemus, et colles clamore *relinqui. Varie varii interpretes h. l. explicuere. sed verum paucis tetigit* Burman. relinqui *est a bouibus praeteriri, cum clamore et mugitu. vid. eum ad* Valer. Flacc. 3, 686.

REMIGIVM *pro ipsis remigibus* Aen. 3, 471. Addit equos, additque duces: *Remigium* supplet. *vide* Supplere.

REMITTERE se, *cedere,* Aen. 12, 833. Do, quod vis, et me victusque volensque *remitto.* * remittere morte, Aen. 4, 436. Quam mihi (veniam) cum dederis, morte *remittam. Seruius et alii legunt* relinquam. *sed siue* remittam, *siue* relinquam *legas, vnum erit idemque.*

RENARRARE *pro* narrare Aen. 3, 717. Fata *renarrabat* Diuum, cursusque docebat. *Non ego h. l. interpretor* iterum narrare; *namque Didoni prima vice narrabat, et referre vocab. ad alias alio tempore narrationes,*

nes, absurdum mihi videtur. De significatione verbi renarrare, *qua est* rursus narrare *vide* Clav. Ouidian. h. v. Docere *h. l. respondet graeco* διδασκειν, *quod etiam est* narrare, *vt h. l.*

REPENDERE Aen. 2, 161. Tu modo promissis maneas, seruataque serues Troia fidem, si vera canam; si magna *rependam. reddam quasi, pro libertate mihi donata, si emero quasi libertatem meam aperiendis animis Graecorum.*

REPERTOR Aen. 8, 29. Olli subridens hominum rerumque *repertor.*

REPONERE, *Tantum notes poëticam dicendi formam* Georg. 2, 416. Iam falcem abrusta *reponunt*, i. e. *non amplius requirunt eam vites, reponi eam patiuntur.* * *de epulis* Georg. 3, 527. Non illis epulae nocuere *repostae. pro simplici explicat* Heynius. *Videtur verbo curam exprimere poëta et magnificentiam apparatus, quo opus est in illa luxuria.* pretiosas *explic.* Cerda cf. Georg. 4, 378. pars epulis onerat mensas, et plena *reponunt* Pocula. * reponere in sceptra Aen. 1, 257. Hic pietatis honos, sic nos in sceptra *reponis. das promissum regnum.*

REPOSCERE, *reuocare, innouare* Aen. 12, 573. Ferte faces propere foedusque *reposcite* flammis, *noue dictum.*

REQVIESCERE Ecl. 8, 4. Et mutata suos *requierunt* flumina cursus. *Aliter explicat Seruius hunc versum, aliter alii, eodem tamen sensu.* Requierunt suos cursus *est, inquit ille, quietos esse fecerunt, neque enim sic nullibi occurrit apud latinos* requiescere. *Sed aliorum ratio forte probabilior, dum graeco more coniunctum putant* mutata suos cursus i. e. *suis ripis, vt sexcenties apud poëtas. Mutauerunt suos cursus aut alueos flumina et ad cautem deflexerant, quam cum assecuta essent, constiterunt.*

RES,

RES, *id quod faciendum, officium* Aen. 4, 267. heu regni *rerum*que oblite tuarum.

RESES Aen. 1, 726. viuo tentat praenertere amore Iam pridem *resides* animos desuetaque corda. *Seruius*: „pigros et ad amandum inertes.„ *vide voc.* Animus.

RESIGNARE Aen. 4, 244. Dat somnos, adimitque, et lumina morte *resignat. Miras turbas in hoc vocabulo explicando interpretes egerunt.* Seruius *intelligit* „claudit, l. au„fert signa luminibus; *id* „*est*, *signorum*, *quibus* „*quaeque noscuntur*, *in*„*tellectum tollit*„ *prouocat ad Ciceronem, qui Orat. pro* Archia c. 5. *ait*: „Quamdiu incolumis fuit, lenitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem *resignasset. hoc est abstulisset*„ *sed non credo h. l. Seruio. Plurima usus verborum copia tandem emendat* Burmannus, *legitque* limina *pro* lumina: *cui lectioni, qui potest, fidem habeat; non ego.* Gesnerus *in Thesauro accedit* Turnebo, *qui* Aduers. 14, 26. *resignat explicat* aperit. *et ipse addit* „clausos mortuis oculos „sat notum. An etiam „obsignati? Colligunt „Germanus Valens et „Cerda ex illo Varronis „apud Non. 2, 785. ne „filii patribus luci claro „signillent oculos, *occlu*„*dent*„ *sed profecto cur haec omnia scripsit? nempe vt discant tirones aliique, quam male se saepius eruditio habeat, et quam diffidendum sit copiae eruditionis, praesertim in exponendis poetis. dicam meam sententiam, nec, puto, erit, quin assensum det.* Resignare *est solita tralatione*, aperire, *illam et hoc loco valere debere, docti viri iam notarunt; sed cur quaeramus procul, quae sunt ante pedes? Notum est, vt monet Gesnerus, clausos esse mortuorum oculos: sed et hoc ipsum notum est, moribundorum oculos nunquam clausos esse, et* claudi *demum soleri.* Mortuorum oculos

los *esse apertos*, *et* magis apertos, *quam viuentum constat, postea demum illi ab aliis claudantur. Quidni hinc bene dici possit*, virga Mercurii aperit oculus moribundorum. *Certe nulla alia interpretatio hucusque mihi sufficit, et, si vel ipse mihi et tibi non satis facio, non video quod melius sit; nisi forte hoc placeret, vt* resignare *sit idem quod* signare, *quia constat plura verba composita (vide v. g. supra voc.* Renarrare,) *nihil amplius significare nisi Simplicia; hinc omnia plana forent et intellectu facilia.* Signat mors oculos mortuorum, *obsignat, claudit.*

RESISTERE in voce, *haerere, stecken bleiben.* Aen. 4, 76. Incipit effari, mediaque in voce *resistit. Alii legunt* affari, *malim vero vulgatam accipi.*

RESOLVERE iura; *locutio solemnis pro* temerare, *aut se liberare nexu legis* Aen. 2, 157. Fas mihi Graiorum sacrata *resoluere* iura. *Seruius de* sacramento *intelligit; cui assentitur* Burmannus. *Non ego; namque verius mihi videtur* sacrata iura *in vniuersum capere de arcanis gentis suae, certe vti prae se ferebat, quae e* iure sacrato *sancto, cum esset Graecus, euulgare non debebat. Non cernitur etiam clare, quale fuisset hoc* iusiurandum, *de quo loquitur* Seruius. Sic et resolvo, *de iure, legibus violatis, non insueta tralatione* Aen. 4, 27. Ante pudor quam te violo aut tua iura *resoluo. Somniant hic quidem grammatici, inter eosque* Priscianus, *coniunctiuum esse ponendum, ideoque* violem, resoluam. *Quid vero? si veteres codices cum hac lectione pugnant, quid? si, eam qui habent, sunt recentiores, et sine dubio grammaticis nugis corrupti?* *resoluere dolos *est, educere e viis erroneis.* Aen. 6, 29. Ipse dolos tecti ambagesque *resoluit.*

RESO-

RESONARE, *facere resonare; nouae* Aen. 7, 12. Dines inaccessos vbi Solis filia lucos Adsidua *resonat* cantu. *Est vero expressum ex* Homero Odyss. κ. 210. seqq. it. 221. sq.

RESPICERE *de secunda fortuna frequenter dicitur, quae si nobis contigerit tanquam sidus aliquod sese nobis obtulisse dicitur. Generatim de rebus fortunatis* Ecl. 1, 28. Libertas *respexit* inertem h. e. *Tityrum seruum, qui antea eam acquirere non curauerat. vid.* Heynium. *Sic et* spectare Georg. 1, 96. Flaua Ceres alto nequidquam *spectat* Olympo.

RESPONDERE, *singulari ratione ponitur de carmine amoeboeo dicendo* Ecl. 7, 5. et cantare pares et *respondere* parati. *et sic saepe.* *verbum *agrestis rei, idem est ac, fertile esse, et felix, id quod respondet votis et labori.* Georg. 2, 64. sed truncis oleae melius, propagine vites *Respondent.* h. l. *e propagine vites.*

RESVLTARE, *suauiter et noue de repercussa voce montibus* Aen. 5, 150. Consonat omne nemus: vocemque inclusa voluntant Litora: pulsati colles clamore *resultant.*

RESVRGENS Aen. 4, 531. Rursusque *resurgens* Saeuit amor. *noua* tralatione, sed hic *pro more pleonastice adhibitum, vti* iterum *etiam et similia plura.*

RETIA rara, *instrumenta magna vel huius generis maxima, ad capturam aptata, quae* rara *dicuntur, quoniam ex tenui materia erant constructa, vti, quae ex tenui lino composita, aliquin laudari solent.* Aen. 4, 131. Retia *rara*, plagae, lato venabula ferro. *vide voc.* Plagae.

RETRACTARE *repetere, reuoluere.* Aen. 12, 11. nihil est quod dicta *retractent* Ignaui Aeneadae.

REVELLERE Aen. 4, 545. et quos Sidonia vix vrbe revelli, i. e. *vix e con-*

spectu Siculae telluris in altum vela dabant laeti.

REVOLVERE Aen. 10, 61. Xanthum et Simoenta Redde oro miseris; iterumque *reuoluere* casus Da pater Iliacos Teucros. *oro saltem vt ad Troiam miseros Troianos perferas, ad fluuios Xanthum et Simoentem, atque ibi da, fac vt redeant, reuoluantur omnes casus iniqui; modo non in Italia pereant.*

REVOMERE *pro* vomere Aen. 5, 182. Illum et labentem Teucri et risere natantem: Et salsos rident *reuomentem* pectore fluctus. *Inepte Seruius* „Saepius vomentem.„ *Nec, si Virgilius vomentis imaginem non ostendisset, irasceret.*

RHAETICVM *vinum bonum et gratum, attamen Falerno non anteponi posse dicit* Georg. 2, 95. 96. *ex hoc interpretandus locus.* Et quo te carmine dicam Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.

RHIPHAEI montes Georg. 3, 382. gens effrena virum *rhiphaea* funditur Euro. rhiphaeus, *septentrionalis. Docet h. l.* Cerda *montes* rhiphaeos *dictos, quia magnus ventorum ibi ortorum est impetus. Bene Seruius* Rhiphaeum Eurum *explicat, ventum scythicum. difficultatem vident nonnulli, quod hic de Euro loquatur, sed est pro vnoquoque vento, et Scythia ex parte ad septentrionem erat.* Georg. 4, 518. Rhipaeae prouinciae. Funditur *est, premitur, exercetur.* cf. quatere. * Georg. 1, 240. arces Rhiphaeae.

RIGERE, *eleg. vt pingat rem* Aen. 1, 652. Munera praeterea Iliacis erepta ruinis Ferre iubet, pallam signis auroque *rigentem. quia dura est et aspera quasi propter von Golde strotzt, nos diceremus. Ego vero* pallam signis et auro rigentem *inteli.* acu pictam, *sic enim et alibi signa, vbi de vestibus sermo.* cf. Aen. 11, 72. *Seruius haec* „Significat tunicam, pallium: quod secun-

secundum Varronem *palla* dicta est, ab irrigatione et mobilitate: quae est in fine huiusmodi vestium ἀπο τε παλλειν. „ *Aliam hanc pallam fingunt Salmasius* ad Vopisci Carin. c. 20. *vt sit ex auro, purpuraque aspera; et* Rubenius de re vestiaria 11, *qui tunicam rectam, quae Graecis* ὀρθοσαδιος *dicitur, intelligit. Sed male! Tali plane pingendi virtute* Aen. 5, 405. tantorum ingentia septem Terga boum plumbo insito ferroque *rigebant. Vehementer se cruciant interpretes, quid sit:* tantorum ingentia septem &c. *sed facilis sensus;* Obstupuere animi! *adeo magna terga erant. formula Latiuis, inprimis Liuio, frequentissima. Dixi, satis. mirari licet interpretes, inter quos* Burmannus *et alii, de nouis lectionibus cogitasse,* conf *similem locum* Aen. 8, 621.

RIGOR Georg. 1, 143. tum ferri *rigor* atque argutae lamina serrae — tum variae venere artes. ferri rigor *pro ferro ipso positus, vt apud alios, monet tamen* Heynius, *quandam qualitatem ferri indicari, quae arte ferro addatur. referendum itaque esse ad instrumenta e ferro procudenda, quibus fabricandis durari ferrum plerumque solet* e. gr. *in securi, cultro, cuspide* &c.

RISVS Ecl. 4, 60. Incipe parue puer *risu* cognoscere matrem — Incipe parue puer; cui non risere parentes Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est. *Celerem partum optat illius pueri, qui tempora tam felicia allaturus sit, incipe in auras prodire et ex eo quod tibi arridet, matrem agnosce. Pertinet vero hoc ad ipsam laetitiam, quam talis partus portentebat, vt parentes arriderent tam felici puero. Id enim necesse esse infert, quando talis puer nascendus sit, qui inter Deos referatur, et Deorum habeatur soboles.* cf. 49. *Ad Vulcanum autem respici*

in postremis verbis quisque videt, illum enim deformiter natum excludebant Dii, et a Minerua spretus fuit, cuius coniugium ille appetierat.

RITE, *de more, vt leges vel ritus sacri poscunt* Aen. 3, 546. *rite* Iunoni Argiuae iussos adolemur honores. *Sic et* Aen. 5, 77. &c. * *similiter vt sit secundum leges apud inferorum Deorum sacrificia obseruandas.* Aen. 4, 638. Sacra Ioui stygio, quae *rite* incepta parani.

RIVVS Georg. 2, 165. Haec eadem argenti *riuos* aerisque metalla Ostendit venis. argenti riuos, *de frequenti copia. saepe autem ibi subiungit* ostendit, *nam erant tantum certa vestigia, metalla omnia non exercebantur. vid. h. l.* Heynium.

ROBVR. *Notae locutiones* acuto robore valli Georg. 2, 25. solido de robore myrtus. ib. 64. *et cf. quae dicta sub* Truncus Georg. 2, 305. Ignis furtim pingui primum sub cortice tectus *Robora* comprendit. * *de claua* Aen. 8, 220. rapit arma manu; (*sagittas*) nodisque grauatum *Robur. vid.* grauatus. * robur coctum *de hasta* Aen. 11, 553. Telum immane, manu valida quod forte gerebat Bellator, solidum nodis et *robore* cocto. Telum *de hasta dici ex pluribus locis liquet. Non vero est* recoctum robur *antiquum intellig. quid enim faciet ad rem, siue antiqua hasta fuerit, siue noua, neque* recoctus *vnquam est* antiquus, *sed est* recoctum robur, *hasta ex robore, quercu, quae igne durata fuerat, qualis fuit eorum mos temporum.*

ROBVSTVS Georg. 1, 219. robusta farra dic. *quia aëris, ventorum, pluuiarumque ac frigoris iniuriam melius, quam alia frumenti genera, praesertim legumina, ferre possint.* auras ferre *alio loco dicit de arboribus* Georg. 2, 422.

RORARE, *longe elegantissime* Aeneid. 3, 567.

Ter

Ter ſpumam eliſam et *rorantia* vidimus aſtra. *quippe conſperſa ſpuma, eliſa ad aſtra vsque.* * Aen. 8, 645. et ſparſi *rorabant* ſanguine vepres; *quod nos dicimus trieſen, humorem, inſtar roris, paullatim deſtillare.* * *eleganter* Aen. 12, 512. curru abſciſſa duorum ſuſpendit capita et *rorantia* ſanguine portat, *et ſic ſaepius.*

ROS *pro floribus, e quibus ſuccum ſugere poſſint ſ. rorem apes* Georg. 2, 213. Vix humiles apibus caſias *roremque miniſtrat. Caeteri interpretes intelligunt fere omnes rorem marinum, notam fruticem; at refragatur Heynius, quem ſequimur eo lubentius, quo ſuauior fit eius interpretatione locutio poetae.*

ROSCIDVS Ecl. 4, 30. roſcida mella i. e. *quae roris more delabuntur, guttatim. Ad aureae aetatis fortunatam rationem refert id, quod e quercubus mella rorent, vt de aliis arboribus credi ſaepe numero ſolet. ſimilem metamorphoſin praedicit verſu anteced.* rubens pendebit ſentibus vua.

ROTAE *pro plauſtro non inſuetum* at Georg. 3, 170. inanes rotae *ſunt plauſtra vacua, indeque leuia, quae ſummo tantum puluere ſignent ſ. relinquant veſtigia. Mox dicit* iunctos orbes *pro curru.*

ROTARE Aen. 10, 361. qua ſaxa *rotantia* (i. *rotata, paſſiue*) late Impulerat torrens.

RVBENS ver Georg. 2, 310. florum purpura et ſolis claro ſplendore. cf. Georg. 4, 306.

RVBESCERE Georg. 2, 34. et prunis lapidoſa *rubeſcere* corna. lapidoſa *ſunt dura, cornum enim ipſum vocatum a corneâ duritie.* Corna *vero ſunt pro ramis corni.* Rubeſcunt *eleganter, nam rubicundas baccas ferunt.* Georg. 2, 430. ſanguineique inculta *rubent* auiaria baccis.

RVDENS prora, i. *ſtridens* Aen. 3, 561. primusque *rudentem* contorſit laeuas proram Palinu-

linurus ad vndas. *Ita et* Aen. 7, 16. Et sera sub nocte *rudentum. Sed* Heins. ad Aen. 5, 143. *suspicatur priori loco legend.* tridentem, *quia ei rostrum tridens affixum. male!*

RVERE, *inclinare in finem* Georg. 1, 313. quum *ruit* imbriferum ver. *sub finem autem veris et initium autumni frequentiores tempestates.* * *ruere facere, agere, emittere* Georg. 2, 308. *ruit* atram ad coelum nubem. * *eruere, euertere* Aen. 1, 89. Incubuere mari totumque a sedibus imis Vna Eurusque Notusque *ruunt*, creberque procellis Africus. *de voce* ruere *cum quarto casu egit* Heins. *ad* Aen. 8, 63. *Imitatus h. l. est, vt iam notauerat* Burm. Silius Ital. 9, 492. *Sed et aliae similes descriptiones tempestatum exstant, quae comparatae cum nostro Virgilio voluptatem exhibent insignem, et ingenium poëtae luce sua collustrant propria. Contulit quaedam loca Scaliger in Poët. in Hypercritico; praesertim comp. Ouidius* Met. 14. *Si viros doctos, laudantes hanc Virgilianam descriptionem, omnes hic nominare vellem, sat amplum agmen constituerem. Sed melius est ipsius suis vnumquemque oculis videre, sensu suo pulchritudines inuenire et persentiscere. Versus sequens* Insequiturque clamorque virum stridorque rudentum *numerum habet pingentem, vt iam alii notarunt, et strepitum quasi literis exprimit imitando.* * *eleg. cum impetu venire*, Aen. 12, 123. Tyrrhenusque *ruit*, variis exercitur armis, *et ita saepissime* * *Eruere, euertere* Aen. 12, 454.

RVINA coeli, *de tonitribus. eleg.* Aen. 1, 138. Fluctibus oppressos Troas, caelique *ruina* * *bene de Aetna vomente ignes, quibus ruere loca et res videntur.* Aen. 3, 571. Horrificis iuxta tonat Aetna *ruinis. bene* Aetna tonat, *nec minus* horrificis ruinis. *Nota vero pingentem huius versus* nume-

numerum, qui repetitis literis r *et* t *horrificum ipsum sonum reddit. praeclara tota est descriptio de Aetna igniuomo. Sensus ipsi lectorem pulchritudines docebunt.* cf. *Gell. Noct. Attic.* libr. 17. c. 10. *et* Macrob. libr. 5. Saturn. 17. *qui male Virg. illum locum vituperarunt.* Cerda *non bene Virgilium defendit.* cf. *cum* h. l. Pindar. od. 1. Pyth. *inde a verbis* κιων Δ' ερανια συνεχει. Νιφοεσσ' Αιτνα παντες χιονος ὀξειας τιθηνα. Τας ερευγονται μεν ἀπλα — Τα πυρος ἀγνοτατα Εκ μυχων παγαι κ. τ. λ.

RVMPERE, *eleganter de opulenta copia* Georg. 1, 49. Illius immensae *ruperunt* horrea messes. * *de claro sonitu et penetrante* Georg. 3, 328. Et cantu querulae *rumpent* arbusta cicadae. *Mirum est, quod hic inuenerit* Cerda *laudem eximiae harmoniae in* Cicada. * rumpi *pro* e-rumpere Georg. 3, 428. qui dum amnes vlli *rumpuntur* fontibus. * rumpere vocem, *noue, ni fallor* Aen. 3, 246. Infelix vates, *rumpit*que hanc pectore vocem. *Sic et* Aen. 2, 129. *est vero expressum illud Homeric.* Φωνην ερρηξε. * *fatigare* Aen. 12, 527. Fluctuat ira intus, *rumpuntur* nescia vinci Pectora. * rumpere viam. Aen. 10, 372. Ferro *rumpenda* per hostes Est via. *Heins. leg.* rapienda. *male! vide* Burm. *ad h. l. et ad* Valer. Facc. 1, 3.

RVRSVS, *vicissim* Aen. 4, 534. En quid agam? *rursus*ne procos irrisa priores Experiar. *Seruius videtur etiam huius interpretationis patrocinium suscipere. Patet eius veritas ex historia, qua ante scimus reginam non accepisse illos reges.*

RVSCVS Georg. 2, 413. Nec non etiam aspera *rusci* vimina per syluam — caeditur. Ruscum *virgultum est vnde vites ligantur. Et commemorat labores, qui licet circa alia, tamen pro vitibus exercentur.* Seruius.

RVSTI-

RVSTICVS Ecl. 2, 56. rusticus es Corydon - *per stultum explicant. sed simile quid dicere vult, quod urbana illa puella Eunica apud Theocritum respondebat, quum rustici osculum sperneret.* Βωκολος ων, εθελεις με κυσαι ταλαν; Idyll. 20, 3.

RVTILARE, *eleg. de armis inter fulgura, quorum proprius* rutilus *color splendens.* Aeneid. 8, 529. Arma inter nubem, coeli regione serena. Per sudum *rutilare* vident, et pulsa tonare i. *sonare, quae glossa et quosdam libros obsidet. Imitatio est loci Homeric.* Iliad. τ, 12. sqq.

S.

SACER, os sacrum, *Lucifero tributum* Aen. 8, 591. Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer vnda Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes Extulit *os sacrum* coelo, tenebrasque resoluit. *poëtam per* os *expressisse graecum* εἶδος, *vultum, notat* Burm. *cur vero* sacrum *dicatur, patet ex antiqua religione, cuius ritu omnia sidera* sacra *erant. Ceterum illa comparatio egregia est, bene etiam a* Bessero, *poëta quodam nostro, veteri, alias non bono, expressa in simili re.*

SACRARIVM: *proprie locus in templo, in quo sacra reponuntur. Sed de templo ipso toto Jaepius usurpatur* Aen. 12, 199. Vimque Deum infernam, et duri *sacraria* Ditis.

SAEVVS tridens i. *potens, vel potius respicit hoc epitheton iram Neptuni.* Aen. 1, 142. Non illi (Aeolo) imperium pelagi, *saevum*que (*coercentem impetum ventorum*) tridentem, Sed mihi sorte datum.

SALICTVM Georg. 2, 13. glauca canentia fronte *salicta, sic* Ecl. 1, 55. Hinc tibi quae semper vicino ab limite saepes Hyblaeis apibus florem depasta *salicti* Saepe leui somnum suadebit inire susurro. salictum limes, *est ager vicinus saepi illa diserertus.*

tus. Sed haerent interpretes hoc in loco, difficile enim est quo Hinc *pertineat; et* quae *quid sibi velit. In lectione vero cum vix aliquid mutare conentur,* Burmannus *ita componit verba:* Haec saepes ab limito vicino, quae semper depasta florem salicti apibus Hyblaeis, suadebit tibi susurro leni inire somnum. *sed tamen parum commoda illa: quare* Heynius *mauult ita locum constituere:* Hic tibi qua semper, *hoc modo interpretans: hic frigus captabis opatum, hic, inquam, qua sepes semper — suadebit susurro inire somnum.„ Nobis non liquet.* Hinc *in sequenti versu habet eundem sensum, vt intelligendum sit, quo veniat, audiatur.*

SALTVS Ecl. 6, 56. nemorum iam claudite *saltus. Eleganter* Heynius *ad h. l.* „nemorum saltus *sunt hic aditus ad siluas, angusti fere, asperi et confragosi, quae loca proprie* saltus *dicuntur. * improprie de aruis aut de vineis in monte consitis, de his enim verisimilius intelligendum est* Georg. 2, 391. Hinc omnis largo pubescit vinea foetu: complentur vallesque cauae *saltus*que profundi.

SALVBRIS Georg. 1, 272. Balantumque gregem fluuio mersare *salubri. liceat festis diebus abluere oues, non purgandae lanae causa, sed curationis, abluendae scabiei, transfert itaque poëta hoc ad ipsum fluuium, quem* salubrem *propterea vocat.*

SALVTARE, *venerari* Aen. 12, 257. Tum vero augurium Rutuli clamore *salutant. vid.* Terent. Phorm. 2, 1, 81. At ego Deos penates hinc *salutatum* domum diuortar. *et* Plautus in Curculione 3, 1, 19. Quis est, qui operto capite *salutat* Aesculapium.

SANCIRE *proprie est, sanctum aliquid, i. e. consecratum facere, fuso sanguine hostiae, et dictum* sanctum, quasi sanguine consecratum; *deinde varie vsurpatur, ita*

ita vt et de fulmine, omen firmante dicatur. Aen. 12, 200. Audiat haec genitor, qui foedera fulmine *sancit.*

SANCTVS Georg. 2, 175. tibi res antiquae laudis et artis Ingredior, *sanctos* ausus recludere fontes Ascreumque cano Romana per oppida carmen. i. e. *quos accedere metuebant alii reuerentia numinis alicuius quasi absterriti. ita* Heynius. * sanctus *eleganter dicitur* senatus, *quia ille quasi inuiolabilis, cuius iura tenenda, leges seruandae; ipse non violandus. sic enim* sanctus *alibi etiam vsurpatur. vid.* Ernesti Clav. Cicer. *in h. v.* Aen. 1, 430. Iura magistratusque legunt, *sanctum*que senatum.

SANDYX, *color rubicundus, in metallis inuenitur. Nostri*, Menning; *vocatur et sandaracha, rubrum colorem in genere significat. Ita adhibuit Virgilius* Ecl. 4, 45. sponte sua *sandyx* pascentes vestiet agnos, i. e. *eiusmodi color tinguet; vt antea dixerat* croceo mutabit vellera luto.

SANGVINEVS, *eleganter, feruidus, de oculis, funkelnd.* Aen. 6, 413. *Sanguineam* voluens aciem.

SANVS *de eo, qui non amat frequentissime, hic enim insanus.* Ecl. 8, 66. coniugis vt magicis sanos auertere sacris Experiar sensus. *Vult maga Daphnidis animum auertere ab amore alterius puellae, et ad se pellicere, vt sui amore insanus fiat, quo nunc erat vacuus, quare* sanos sensus *vocat. Est vera hic complexio duplicis significatus in verbo* auertere, *vt est saepius apud poëtas.* conf. 80. 81.

SATVRNVS Georg. 4, 305. hyali *saturo* fucate lana colore i. e. *lana quae satis eo colore imbuta est. commutatio poëtica.* hyalus color, *viridis, vitreus. vid.* Heynium.

SAVCIVS, pectus Aen. 12, 5. *Saucius* ille graui venantum vulnere pectus. * Aen. 4, 1. At regina graui iam dudum *saucia*

cura.

cura. Saucia cura *plane noue dictum*; *nam vt amori haec vis adscribatur, non inusitatum est, sed vt curae, id nouum.*

SAXA Ecl. 8, 6. Tu mihi iam magni superas iam *saxa* Timaui. *Alloquitur Asinium Pollionem, vt probat* Heynius. Timauus *fluuius in Italia, primo cursu per montes et saltus labens, inde* saxa *reminiscitur poëta de fluuio loquens.*

SAXOSVM, *aduerbiali modo, noue* Georg. 4, 370. *Saxosumque* sonans Hypanis. *asperum et vehementer.*

SCABER Georg. 2, 214. tophus scaber, *a sua asperitate sic dictus, vt hic monent grammatici; sed de ipso illo loco, quomodo constitui debeat, non conuenit inter interpretes. Plurimi sic coniungunt:* Nam ieiuna quidem oliuosi glarea ruris Vix humiles apibus casias roremque (*intell. flores vnde succum colligunt*) ministrat; Et tophus *scaber* et nigris exesa chelydris Creta, *scil. herbas pro apibus ministrat.* Negant, *intell. auctores*, (*Nicandrum et Solinum nominat* Seruius) alios aeque serpentibus agros Dulcem ferre cibum. *Sed illa ratio ieiuna, et vix vera. Quare alium modum interpretandi suppeditat* Heynius, *quem et secutum esse Pomponium Sabinum video, non prorsus futilem Grammaticum* (*vid. de eo iudicium* Heinsii *ad* Georg. 1, 513.) *hi igitur sic explicari locum volunt, vt post* Creta *distinctio tollatur, verbaque sic intelligantur*, tophus et Creta negant alios agros serpentibus aeque dulcem ferre cibum ac se. *Sed neutrum nobis placet. praetulerimus* Cerdae *interpretationem, qui post* ministrat quidem *distinguit, ita tamen, vt ad superiora referat ea, quae sequuntur*, Et tophus &c. *Nam docuerat antea poëta, quae terra optima frumentis, dixerat pinguem, et eam, qua eruta fuerit silua. De iis vero quae nunc sequuntur, contrariam sen-*

sententiam vult intelligi, quam de glorioso agro sic infert, vt dicat, eum vix herbas proferre, quibus apes alantur; tophosum *vero subiicit et* cretosum, *ineptum aeque esse frumentis serendis (hoc intellige* ἀπο τε κοινε, *et hic distinctionem pone) tam parum ad fruges habiles illi sunt agri, vt serpentibus potius iucundissimum hi cibum, vt omnes fatentur, qui de tali re differunt, praebeant, et commoda domicilia. potuit et poëta, secundum Cerdam, vim aliquam imposuisse verbis* scaber *et* exesa chelydris, *vt his significaret diuersitatem, a pingui illo agro et sterilitatem itaque opertam.*

SCELERATVS *pro* noxio Georg. 2, 256. At *sceleratum* exquirere frigus; difficile est.

SCENA, *inumbratio,* ἀπο της σκιας, Aen. 1, 168. Siluis *scena* coruscis Desuper. Seruius *respici dicit ad antiquas in theatro scenas, quae fuerunt de frondibus vmbraculas; quia tum theatralis scena non parietes habuerit.*

SCEPTRVM Aen. 12, 106. Vt *sceptrum* hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat) *Homeri locus verbum ad verbum reddito* Iliad. A. 234. Ναι μα τοδε σκηπτρον κ. τ. λ. *Non iuuat aliorum sententias hic compilare, qui horum duorum poëtarum comparationem instituerunt. Vnum sufficiat monuisse: Apud Virgilium nulla causa est, quare haec omnia de sceptro dicantur, cum apud Homerum longe alia res sit.* Dextra sceptrum nam forte gerebat, *non satis causae horum quae consequuntur.*

SCINDERE, *de aqua scopulis obiectis sese diuidente, et sic in sinus reductos intrante.* Georg. 4, 420. quo plurimo vento Cogitur, inque sinus *scindit* sese vnda reductos. *Haec explicatio magis placet, quam ea, quae sinus hic intelligit de ipsis vndis seu fluctibus, qui repellantur scopulis.* sinus reducti

ducti *sunt receſſus longi*. reducta vallis Horat. od. 1, 17, 17. cf. pars I. Iudicis.

SECARE culta; de *alluendis campis* Aen. 8, 63. Stringentem ripas et pinguia culta *secantem*. cf. Aen. 4, 257. *et hoc libro* verſ. 96. ſiluas ſecare i. *praeterlabi*. culta, ſ. *agri*. *vt* Aen. 10, 141.

SECESSVS, *de ſinu ſecreto, et quidem eleganter dicitur* longus receſſus; *longe remotus a celebritate hominum* Aen. 1, 163. Eſt in *receſſu* longo locus: inſula portum Efficit obiectu laterum (*male in noſtra editione legitur* obiectis) quibus omnis ab alto Frangitur inque ſinus ſcindit ſeſe vnda, reductos. *Seruius hunc locum eſſe fictum ait, ſed tamen deſcripſit poëta portum Carthag. Hiſpanienſis. Ceterum tota illa deſcriptio eſt imitatio Homeri, qui portum Ithacae ſimili fere modo pinxit*, conf. Odyſſ. v. 96. ſq.

SECLVDERE, *omittere, quaſi excludere*. Aen. 1, 566. Soluite corde metum, Teucri; *ſecludite* curas.

SECTVS elephantus, *pro* ebur Aen. 3, 464. Dona dehinc auro grauia *ſecto*que elephanto Imperat ad naues ferri. *Dona* ſecto elephanto *ſunt ex ſecto elephanto conſtantia. vide* Grauis.

SECVNDARE euentus, *pro monſtrare ſecundos euentos* Georg. 4, 397. *de Proteo vate*. Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, vt omnem Expediat morbi cauſam, euentusque *ſecundet*. * viſus Aen. 3, 36. Rite *ſecundarent* viſus, omenque leuarent. *vide* Leuare.

SECVNDVS Ecl. 2, 38. Fiſtula Damoetas dono mihi quam dedit olim Et dixit moriens, Te nunc habet iſta ſecundum. * clamor, *de clamore laetitiae* Aeneid. 10, 266. Quales ſub nubibus atris Strymoniae dant ſigna grues atque aethera tonant cum ſonitu, fugiuntque notos clamore *ſecundo*. *comparatio tota expreſſa eſt ex Homer.* Iliad. γ. 3. ſqq. * haru-

ſpex, *qui felicia omina nuntiat.* Aen. 11, 739. ſacra *ſecundus* haruſpex Nuntiat, ac lucos vocat hoſtia pinguis in altos.

SECVRVS Aen. 1, 354. clam ferro incautum ſuperat *ſecurus* amorum Germanae. *Seruius explic. contemnens, negligens. Burm. nihil timuiſſe ab amoribus Didûs, quaſi imbellis mulieris, quae de vindicta non cogitaret; dicere debebat; quae vindicare ſe non poſſet. Burmanni explicatio eſt modo explicatio explicationis Seruianae. Sic etiam* Aen. 7, 304. *Securi* pelagi atque mei i. e. *contemtores. Adde* Aen. 10, 326. **actiue de eo quod ſecurum reddit, facit, vt obliuiſcamur.* Aen. 6, 115. Animae — *ſecuros* latices et longa obliuia potant.

SECVS Georg. 2, 277. Nec *ſecus* omnis in vnguem Arboribus poſitis ſecta via limite quadret. *porro, item.*

SEDERE, *nacta eſt haec vox ſignificationem otii atque inertiae, quam eleganter inſeruit Virgilius illo loco* Georg. 3, 456. Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor Abnegat, aut meliora Deos *ſedet* omina poſcens. *ſic legas. vid.* omina. * Georg. 4, 244. Immunisque *ſedens* aliena ad pabula fucus. Immunis *eſt iners.* * Aen. 2, 660. Et *ſedet* hoc animo, perituraeque addere Troiae Teque tuoſque iuuat. *Ita plane, etiam, vt* ſedere *ſit* firmiter inhaerere animo Aen. 5, 418. idque pio *ſedet* Aeneae. *et* Aen. 7, 368, *it. alibi* vbi certa *ſedet* patribus ſententia pugnae.

SEDES Aen. 6, 152. *Sedibus* hunc refer ante ſuis et conde ſepulcro. Sedes *contra Seruii opinionem, malim de ipſo loco, quo ſepelirentur, intelligere, cui ſententiae, etiam ſunt alii docti, qui calculum adiecerunt. Quid enim? ſi aedes cuiusque mortui cum Seruio intelligeres, cur ipſe poëta libr.* 11. *dicat de corporibus, finitimos tollunt in agros? Nonne mea interpretatio ſequentibus*

tibus congrua est? „et conde sepulcro? *et quod maximum est* vers. 328. *nullo alio modo accipi potest, in quo tamen de eadem re agitur*„ Transportare prius quam *sedibus* ossa quaerunt. * sedes optatae, *loca boni ominis* Aen. 6, 203. *Sedibus optatis* geminae (*ita lego, non* gemina) super arbore sedunt. *Quae explicatio ex sequentibus versibus manifesta est.*

SEGES, *Notus est ille mos poëtarum, vt res, aut natura sua, aut similitudine, coniunctas, e parte sua saepe adducant, saepe inter se commutent. Quare cum aruorum, segetum, arborum, vineae cultura pluribus in modis consimilem habeat, aut materiam, aut artem, illae res inter se commiscentur a poeta, vt is quasi de vniuerso genere loqui videatur, si de singulis formis separatim intelligendus sit, aut de certa quadam ratione rusticae operae, cum quasi de agricultura tantum verba adhibeat. Sic igitur* seges *apud Virgilium non semper de frumentis et herbis intelligenda, sed etiam de plantis, surculis, radicibus transferendis maleolis &c. vt quoquo loco res ipsa feret.* Georg. 2, 267. de vineis plantandis. Ante locum similem exquirunt, vbi prima paretur Arboribus *seges* i. e. *vbi arbores seruntur vid. ad h. l.* Cerda ib. 302. neu ferro laede retuso semina, *surculos, sarmenta.* ib. 317. *vid. Heynium ad h. l. et ad* v. 267. *sic contra* Georg. 2, 346. agri *de vineis intelligendi. Possent plura hic colligi exempla de ea re, sed cuicunque, qui in poetis paullulum versatus fuerit, tales dictiones vix poterunt insolitae videri.* * seges *de agro segeti apparato* Georg. 1, 47. Illa *seges* demum, votis respondet auari Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit. *Nos iis innixi, quae adtulit doctissimus Heynius ad h. l. et interpretatione*

Plinii ibi adscriptae ex lib. 18, 20. „quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, cum dixit, optimam esse segetem, quae bis solem, bis frigora sensisset.„ *De bina iteratione arationis intelligimus factae semel statim post messem sub finem autumni, tum sub vere anni proximi, item aestate, tum denique ante sationem tempore autumnali, quibus itaque arationibus cum ager proscinderetur atque sic aperiretur terra, eleganter, suo more,* sentire *dicit poëta agrum frigora atque aestum. Est vero rustici diligentissimi quater arare agrum; alias solita est tertiatio.* * *pro ipso aruo* Aen. 3, 141 victum *seges* aegra negabat. *vide* Exurere.

SEGNIS Georg. 1, 151. vt mala culmos Esset rubigo, *segnis*que horreret in arvis carduus. *plurimi explicant infoecundum, inutilem. Melius* Heynius, *qui intelligit de eo, qui segne facit et retardat; quodcunque adhaeresit seu tenax est.* * *minus splendidus* Aen. 4, 149. Haud illo *segnior* ibat Aeneas. *Posset quidem etiam proprie accipi: at nolim.*

SEMINA Aen. 6, 731. Igneus est illis vigor et coelestis origo *Seminibus. Quid sibi velint hic semina, res esse videtur longioris subsellii, praesertim si opiniones interpretum nostram mentem permiscere patiamur.* Cerda *vult explicare per aërem et ignem. Sed quaeri potest, qui hic tautologiae locus dari queat, quum admodum concisis hic verbis loquatur Virgilius, vt philosophus. Sub* igneus *secundum* Cerdam, *coelum, et sub coelo ignis, intell. ideoque esset tautologia. Deinde quaerī potest, annon commodius, quoniam tamen de anima hic differi* Cerda *fatetur, vox* seminibus *ad mentem* v. 727. *referri queat, et sic explicetur, quod ad semen attinet, erat coelestis origo. Fugit enim neminem loca sexcenta*

exsta-

exſtare, et in Cicerone et alibi, vbi anima coeleſtis nominatur, quoniam emanaſſe putabant omnes mentes ex mente diuina, quod huic noſtro ſyſtemati eſt accommodatum.

SEMIPVTATA Ecl. 2, 7c. *ſemiputata* tibi frondoſa vitis in vlmo eſt. *Bis quotannis amputabantur vites* cf. Georg. 2, 410. *quod qui neglexerat, aut ſemel fecerat, non debuit de illo vino ſacrificare Diis; nam credebat ſuperſtitio, talem correptum furore iri. frondoſa vlmus aeque amputanda, ne ſolem cohiberet a vitibus. prouerbio monet, maxime neceſſarium eſſe, vt laborem ſuſcipiat, cum omnia negligerentur, vt ſic ab amore paſtorem retraheret.*

SEMITA, *elegantiſſime, ad pingendam viuidam imaginem, de formicis, cum feruido conatu ferentibus vndique, ſed* ordine et limite denſo, *quaſi* ſemita *frumentum; quae ſic voces* feruere *pulchritudo non explicari ſatis poteſt, ſed ſentiri, ſi quis agmen tale formicarum in opere acriter laborantium conſpicit. En totum locum,* Aen. 4, 407. At veluti ingentem formicae farris aceruum Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt, It nigrum campis agmen, praedamque per herbas Conuectant calle anguſto, pars grandia trudunt obnixae frumenta humeris: pars agmina cogunt Caſtigantque moras: opere omnis ſemita feruet. *reſpicit vox* ſemita *illum* callem anguſtum verſ. 405. *Multus eſſe poſſim enodandis loci illius pulchritudinibus, ſed nimis multus forem; et limites huius libelli transgrederer; quare ſatis ſit, notaſſe, ſingula fere verba ſingularem habere elegantiam, et lectori trado totum locum accurata animo lance perpendendum.*

SENEX Georg. 2, 135. animos et olentia Medi Ora ſonent illo et *ſenibus* medicantur anhelis; *anhelitui, ſpiritui facto.*

SENTENTIA, *quam nos appellamus* Gesinnung Aen. 1, 264. neque me *sententia* vertet. *supra dixerat* Venus vers. 241. quae te genitor *sententia* vertit. *Sic et apud Ciceronem et alios vox* sententiae *saepius.* * *de timore animi, trepidatione, ex mentis praua sententia scil. orta* Aen. 11, 21. ne qua mora ignaros — Impediat, segnisque metu *sententia* tardet. *timor* h. l. segnis sententia.

SENTIRE, *summa cum elegantia hac voce vtitur poeta de surculis insitis, dum concrescunt cum trunco, eiusque succus attrahunt* Georg. 2, 426. poma quoque vt primum truncos *sensere* valentes. *Atque ex hoc non mediocrem deduxit venustatem poeta in his carminibus, quod res agrarias verbis effert ab hominum similitudine sumtis. Tales scilicet locutiones, quia ipsum nostrum affectum exprimunt, habent insignem pulchritudinem, quam sensu metimur nostro, non ratione.* * Sentire, *audacter de illo impetu Vaticinantium, qui adesse Deum sentiunt, afflatu propinqui numinis.* Aen. 3, 360. interpres Diuum, qui numina Phoebi Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera *sentis*, Et volucrum linguas et praepetis omina pennae; *qui peritus es harum rerum et scientiae vaticinandi. Seruius.*

SENTIS *pro eo omni, quod nimia luxurie crescit, et solum implicat inter herbas frumenti* Georg. 2, 411.

SEPTENA Aen. 6, 21. Tum pendere poenas Cecropidae iussi miserum! *septena* quotannis corpora natorum. *Difficultas orta est in h. l. Grammaticis, propter diuersitatem huius fabulae; namque alii auctores narrant, vt* Plato in Phaedone δις ἑπτα *quatuordecim iuuenes quotannis esse missos, non* septem. *Sic et* Euripides: σωσας κορας Δις ἑπτα, ταυρον κνωσιον κατακτανων: *Volunt itaque in voc.* septena

ptena corpora *respici ad numeri distributionem et distinctionem, ac per* septena corpora *intelligunt* quatuordecim. *Nos his tricis ita optime expediemus, si cogitamus, licuisse, vt ex plurimis locis patet, poetis*, mythologiae fabulas *immutare, emendare, noua fingere etcet. Sic, ni fallor, apud solum* Horatium *Orion apud Inferos leones agitat*, Od. 2, 13, 39. *et ita plura.*

SEPVLTVS, *sopitus* Aen. 6, 24. Occupat Aeneas aditum custode *sepulto.*

SEQVAX Georg. 2, 379. Cui super indignas hiemes solemque potentem Siluestres vri adsidue capreaeque *sequaces illudunt. Eleganter* capreae sequaces, persecutrices *habet Seruius* i. e. *quae insectantur vites, statim subiicit eadem virtute* auidae inuencae.

SEQVESTER, pax sequestra, *de induciis. Seruius „pacem temporariam et mediam inter bellum praeteritum et futurum* Aen. 11, 133. Bis senos pepigere dies, et pace *sequestra* Per siluas Teucri, mixtique impune Latini Errauere iugis.

SEQVI Aen. 3, 378. Quidue *sequens* possim tantos superare labores; *qua tandem ratione inita, quid obseruans, quo vsus remedio, tanta pericula et mala effugere possim.* * *pro insequi* Aen. 12, 354. Ante leui iacula longum per inane *secutus* (cf. Aen. 12, 615. Balantis *sequitur* grauis.)

SERENVS, *epithet. nouum Pelagi* Aen. 5, 870. O nimium coelo et pelago confise *sereno. nempe si coelum est* serenum, *et ipsum* pelagus *non turbidum, sed clarum.* Burm. *laud.* Marckl. ad Stat. Silv. 3, 2, 10. *Sed non opus erat.*

SERPERE *Eleganter* Ecl. 8, 13. hanc sine tempora circum Inter victrices ederam tibi *serpere* lauros. *Ad naturam ederae accommodate exprimit: precatur vero Virgilius, nolit Pollio inter laudes suas victrices, hoc, qualecunque esset, quod ei dicaret, carmen sperne-*

re. * *elegantissime, de somno, artus permeante quasi et mulcente tacite et leniter.* Aen. 2, 269. Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris incipit et dono Diuum gratissima *serpit. suauiter additur* gratissima, *de quiete prima qui* γλαυκος ὑπνος *vel* μελιηδης *graecis auditur.*

SERVARE connubia, *noue* Aeneid. 3, 319. Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia *seruas. tenes, colis. sic* Aen. 7, 3. Et nunc *seruat* honos sedem, tuaque, ossa, nomenque. * *constanter tenere, vel amare, vt alibi dicitur* Georg. 4, 459. *seruantem* ripas alta non vidit in herba.

SERVIRE Aen. 4, 103. Liceat Phrygio *seruire marito* Dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae. *Quem locum sic explico: Fac, vt subiiciamus Aeneae cum Didone connubio coniuncto Tyrios quos quasi pro dote accipiat.*

SERVS *tristis, lucifer* Aen. 12, 864. Nocte sedens, *serum* canit importuna per vmbras. *Sed* lib. 5, 524. *Sera*que terrifici cecinerunt omina vates; s. *quae sero intellecta et inuenta fuerunt. ita recte explicat* Broukhous. *ad* Propert. 3, 11, 55. *Adde* Aen. 12, 864. *Alii* sera omina *grauia et tristia interpretati sunt siniſtre. bene* terrifici vates.

SEVERVS, *tristis, formidabilis, saeuus. perpetuum rerum infernarum epitheton* Georg. 3, 37. sqq. quam splendida imago Inuidiae *debellatae, et iam iam ad orcum proturbandae.* Inuidia infelix furias, amnemque *seuerum* Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues, Immanemque rotam, et non exsuperabile saxum (*Sysiphi.*)

SI *pro* siquidem Georg. 1, 7. vestro *si* munere tellus Maoniam pingui glandem mutauit arista *ib.* 17. tua *si* tibi Maenala (*Arcadiae mons, pascuis egregius*) curae * *cum, quando* Aen. 5, 64. *si* nona diem mortalibus almum

almum Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem. *noto hunc versum voculae satis frequentem, potissimum ideo, quia fuerunt, qui litigarent ad h. l., num conditionaliter sit accipiend., an pro* quando, *quasi non ipsa contexta rem claram redderent.* * *an* Aen. 4, 85. Infandum *si* fallere possit amorem, *illud* infandum *iudicio poëtae adiectum non Didonis sententia. Nam si ita eum existimasset, quomodo et indulgebat. Sic occurrit* si v. 110. *et saepissime.*

SIC, *vt resp. graec.* ὰυτως, *pro sic temere, forte* Aen. 1, 229. Iupiter — despiciens mare velinolum terrasque iacentes Litoraque et latos populos *sic* vertice coeli constitit.

SICCVS; siccum lignum *pro eo, quod e radicibus nullum succum adhuc trahere potest, resciscis scilicet iis cum frondibus* Georg. 2, 324 quin et caudicibus sectis (mirabile dictu) truditur e *sicco* radix oleagina ligno. caudices secti *sunt ita resecti vt sint sine ramis et radicibus. De ipso modo huius plantationis vid.* Cerdam *vt* Heynium; *talis truncus fissus aliqua ex parte in terra defodiebatur, sic radices agebat, et surculos procreabat plures.*

SIDERA *de temporibus apud poëtas, saepissime occurrunt, quia siderum mutatione constituuntur tempora.* Georg. 1, 311. sidera *auctumni.* Quid tempestates auctumni et *sidera* dicam? *conf.* Mensis. * Aen. 4, 322. Qua sola *sidera* adibam Fama prior. Sola *hic belle respondet* τῷ prior. *Antea, non tecum coniuncta maxima fama florebam, quae nunc amissa.* Sidera *intelligunt nonnulli* h. l. regiones, plagas terrae; *male!* adire sidera fama *est poëtica locutio de summo honore, fama celebratissima, vti* Hor. od. 1, 1, vlt. sublimi feriam Sidera vertice. *Habet vim maximam illa Didonis oratio.*

SIDE-

SIDEREVS Aen. 12, 167. *Sidereo* flagrans clypeo et coeleſtibus armis *Latino imaginem ſolis dederat*; *Turnus criſpat modo haſtilia*; *Aeneas ornatus eſt clypeo ſidereo*; *venuſte*, flagrare, *exprimit rem pingendo.*

SIGNARE, eleg. Aen. 9, 181. ora puer prima *ſignans* intonſa iuuenta. *Recte* Cerda *notat indicare erumpentem primam lanuginem, quae graecis* ἤβη. * *ſigno notare* eleg. Aen. 12, 3. Se *ſignari oculis*; vltro implacabilis ardet. l. *ad ſe omnium oculos referri, ſuam opem omnes poſcere, notare cunctos cum oculis expectationis ſperantis; non enim placet interpretatio eorum, qui eum in contumeliam quaſi notatum vt cauſam malorum intelligunt.* cf. Aen. 12, 657.

SILVA, *de arboribus in genere* Georg. 2, 172. *ſic et nemus* ib. 15. Georg. 2, 87. pomaque et Alcinoi *ſiluae* h. l. *pomiferae. Alcinous clarus eorum cultor. vid.* Seruium. * *etiam de herbis pro more poëtarum* Georg. 1, 76. *ſiluam* ſonantem, *de leguminibus.* ib. 152. intereunt ſegetes: ſubit aſpera *ſilua* Lappaeque tribulique. ſubit h. e. *ſuccedit in locum ſegetis*; *quam bene vero* aſpera, *horrent enim. it.* 4, 273.

SIMPLEX Georg. 3, 482. Et genus omne neci pecudum dedit omne ferarum — Nec via mortis erat *ſimplex. plures ſunt huius loci explicationes, quibus fere omnibus poëtae ſenſus, vt mihi videtur, haud exprimitur. Haec vero ſimpliciſſima fortaſſe eſt interpretatio, vt* viam mortis *intelligamus de morbo letifero, cum itaque iam vna morbi ſpecies ſuffeciſſet ad mortem parandam, mutabatur illa, et aliud ſuccedebat morbi genus, priori fere contrarium, qui itaque hic* ſimplicem viam *explicant per difficilem, aut crudelem morbum, aut complicatum, haud longe diſtant a noſtra interpretatione, quam ipſe poëta confirmat in* ſqq.

Sed

Sed vbi ignea venis omnibus acta sitis miseros adduxerat artus Rursus abundabat fluidus liquor. *Aperte intendit ad mortis miram varietatem, qua re fiebat, vt haud simplici quodo mors accerseretur.*

SIMVL *pro* simul cum Aen. 11, 827. *simul* his dictis linquebat habenas. *Occurrit haec vox et alibi ita.*

SIMVLACRA, *defunctorum vmbrae*, Georg. 1, 477. *simulacra* modis pallentia miris visa sub obscurum noctis et saepius.

SIMVLARE, *imitari* Aen. 7, 385. Quin etiam in silvas *simulato* numine Bacchi (*quasi celebraret Thyas sacra Bacchi*) Maius adorta nefas, maioremque orsa furorem Euolat.

SIMVS, *frequens epitheton quorundam animalium* Ecl. 10, 7. *simae* capellae. Theocrit. Idyl. σιμαὶ ἐριφοι. &c.

SINERE, *permittere, ferre* Georg. 4, 47. Neu propius tectis taxum *sine. hinc* Georg. 4, 7. *contra* Burmannum *defendit* Heynius *rectum vsum verbi*, si quem Numina laeua *sinunt*, *intell.* dicere haec. laeua *vero hic sunt aduersa; multi aliter, qui ex augurum doctrina sua repetere volunt, iis* laeua *fausta sunt.*

SINVS, *de syrmate sinuoso* Aen. 1, 324. Nuda genu, nodoque *sinus* collecta fluentes. *bene* fluentes *de syrmate prolixo. inde vestis* βαθυκολπος cf. vers. 407. *Habitus vero Veneris docte electus; talis enim est venantium, quae nudae ad genu colligere vestem nodo solitae, ne flueret ad imos pedes, et tantum attingeret summum genu; vt pluribus locis auctorum veterum docet ad h. l.* Cerda. **gremium* Aen. 4, 30. Sic effata *sinum* lacrymis impleuit obortis. *Sunt qui hic* sinus *pro* sinum *legant, et* sinus *palpebras esse affirment. Melius vero cum Cerda de gremio intelligerem, quoniam Didonis toti sermoni et dissimulationi magis congruum est, si tot lacry-*

lacrymas effudisse dicamus. Et fortasse etiam vox implere satis suppeditat argumenti interpretationi. Quid vero si proprie sinum *intelligeremus? Qui lacrymatur* sinum *facilius, quam gremium implere potest.*

SIRIVS, *orto hoc signo nimii oriebantur calores in Aegypto et Africa hinc* Georg. 4, 425. Iam rapiens torrens sitientes *Sirius* Indos Ardebat. coelo et medium sol igneus orbem Hauserat. *aestatem mediam priori, diei vero medium tempus altero versu significari vult* Heynius. *Quod vero illo tempore, quando oritur* Sirius, *maximus aestus est in Aegypto et Africa, potuit et summam illius aestus vim sic describere, quae est media die.*

SITVS, *quies, otium agri a cultura.* Georg. 1, 72. segnem patiere *situ* durescere campum.

SOL, sub sole Aen. 1, 435. Quales apes aestate nova per florea rura Exercet *sub sole* labor. Burmann. *explicat, summo mane, sole oriente; sed neque* sol κατ' ἐξοχην *est* sol oriens, *neque summo mane euolant apes; sed iam plenius lucente sole. Inepte huc refertur* Georg. 4, 185. Mane ruunt portis; *hoc enim non est* sole oriente. *sub sole h. l. int. est,* in sole, *quamdiu sol est, vt interpretatur* Seruius. *Ceterum pulcherrima illa, tam e veritate ducta, quam elegantissime exposita comparatio non eget laude nostra.*

SOLA, *vnica* Aen. 4, 32. *Sola*ne perpetua moerens carpere iuuenta? Burmannus *refert* sola *ad id, quod Dido orbata sit viro, sed ego ad tristitiam, qua vna in sua iuuentute vniuersa angatur. Est enim conuenientius ori consolanti et tristitia liberaturo.*

SOLARI Ecl. 6, 46. Et fortunatam, si numquam armenta fuissent Pasiphaen niuei *solatur* amore iuuenci *Singularis est huius verbi vis atque elegantia. De quo antea canebat Silenus, nunc praesens adduxit poeta, ita vt, cum commise-*

miserans eius fortunam, caneret Silenus, solari eam dicatur ob illum amorem insanum s. leuare sic Georg. 1, 293. longum cantu *solari* laborem. * *solari* famem Georg. 1, 159. *sic* Hor. od. 2, 5, 7. * solari aestum * Georg. 4, 464. Ipse caua solans aegrum testudine amorem.

SOLEMNIA mittere de iis, *quae tumulo debentur, inferiis &c.* Aen. 6, 380. Et statuent tumulum et tumulo *solemnia* mittent.

SOLIDVS Aen. 11, 427. Multa dies, variique labor mutabilis aeui Retulit in melius; multos alterna reuisens Lusit et in *solido* rursus Fortuna locauit. *Verba* alterna reuisens, *graecam vocem* ἄλλο πρὸς ἄλλον, *Fortunae et Martis epitheton exprimere, iam alii notarunt. belle autem* in solido locauit. *i. q. in tuto loco posuit; quae* solida, *perpetuitatem spondent. Cerda non huc facientia, vt et alibi, profert.*

SOLITVS, humus solita, *de sepulchro condendo bene* Aen. 9, 214. Sit qui me raptum pugna, pretiove redemtum Mandet humo *solita* aut si qua id Fortuna vetabit Absenti ferat inferias decoretque sepulchro. Mandare humo solito, i. e. *solito ritu, aut possis etiam simpliciter capere,* humus solita, *vt sit,* cui mandari defuncti solent. *Sed prius praeplacet. Inepte Burmannus tuetur, et recepit lectionem* solida, *pro* solita: *non de naufragio aut genere mortis misero in mari cogitare Euryalus poterat cf. contexta, et ridebis Burmannum. vid.* Heins. ad Ouid. Trist. 1, 2, 53. *Inferiae illae et se- sepulchra de cenotaphiis accipe.* cf. Georg. 4, 545. *et de more solemni et superstitione vulgari.* Aelian. Var. histor. libr. 5. cap. 14. *ibique* Perizon. pag. 392.

SOLSTITIVM Ecl. 7, 47. *solstitium* pecori defendite. h. e. *vim solis simpliciter aestiui, vt bene annotauit ad h. l.* Heynius. *sed qui potuerunt fontes muscosi aut somno mollior*

mollior herba (*habet Theocr.* ὑπνω μαλακωτερα) *defendere ſolem? Fontes, dicit Cerda, ſua amoenitate, herbae ſua mollitie. Papae!* muſcoſi fontes *praebent ſemper frigidiuſculam aquam;* mollis herba, *ſ. tenera, ſucco plena, refrigerat, paſtu, et recreat dum pecus ea ſeſe proſternit. De adueniente iam aeſtate loquitur; aeſtate vero ſol videtur, quaſi lentius procedere et vrgere terram. cf. quae ſub* rapidus *adnotauimus.* ſolſtitium *omnino pro aeſtate* Georg. 1, 100. humida *ſolſtitia* atque hiemes orate ſerenas. *boni vero omnes* ſolſtitium *tantum de aeſtiuo ſumunt, hiemale enim numquam ſic vocatur. vid.* Cerda. *id cum non obſeruaſſet* Seruius *h. l. aut quis ille ſit nugator, mirum in modum ineptit.*

SOLVERE numina *quid ſit quaeritur ad* Aen. 5, 856. cunctanti natantia lumina *ſoluit* (*Somnus*). Burmannus *negat ſe expedire poſſe; ſed explic.* laxare. cf. verſ. 836. *et* verſ. ſeq. vix primos inopina quies *laxauerat* artus. *Recte comparari poſſet cum Homer.* Odyſſ. v. 57. λυσιμελης ὑπνος. *qui ſoluit, laxat omnia membra, et ipſos oculos.* conf. Aen. 6, 422. et 9, 189. et 236. Stat. Achill. 1, 228. *reſolutus* (*ſtertens*) Achilles. * ſolui membra frigore, metu &c. *dicuntur ad graec. Homeric.* λυτο γενατα. *quod ſaepius occurrit* Aen. 1, 96. Extemplo Aeneae *ſoluuntur* frigore membra. *Alii iam in h. l. inuenerunt imitationem Homeri* Odyſſ. ε, 406. *vbi ſimilia, et reprehenderunt Romanum; quoniam aliud ſit* λυτο γενατα *et* ſoluuntur frigore membra. *Sed bene dici poteſt et poëtice* ſoluuntur frigore membra, *nec opus erat, vt ad verbum verteret Virgilius Homerum.*

SOLVM, *de mari* Aen. 5, 199. Subtrahiturque *Solum: quod vnicuique rei ſubiacet, ſolum eſt; mare;*

vnde eſt ſolum nauis, *mare*; *et aer diuum.*

SOMNVS Aen. 12, 908. Ac velut in *ſomnis* oculos vbi languida preſſit nocte quies. *Imitatio Homeri* cf. Iliad. X. 199. ως δ' εν ονειρω. κ. λ.

SONARE, ſcopuli ſonantes Aen. 1, 204. Vos et Scyllaeam rabiem penitusque *ſonantes* Acceſtis ſcopulos. *vehementer ſonantes ſcopuli ſunt* πετρω πλαγκτω *apud Homer.* Odyſſ. μ. 59. *prope Scyllam.* * *graeca conſtructione* Aen. 1, 332. namque haud tibi vultus Mortalis nec vox hominem *ſonat*; *quaſi ſonitu hominem indicat. Ceterum bene monet* Cerda, *totum h. l. adumbratum eſſe ex Homero* Odyſſ. ε, 149. *vbi Vlyſſes ad filiam Alcinoi.* Γνωμαι σε ανασσα. θεος νυ τις, ἡ βροτος ἐσσι. εἰ μεν τις θεος ἐσσι, τοι ϰρανον ἐυρον ἐχουσι Ἀρτεμιδι σε ἐγωγε Διος ϰυρη μεγαλοιο ειδος τε μεγεθος τε φυην τ' αγχιζα ἐοιϰω &c. * Aen. 12, 522. Ac velut immiſſi diuerſis partibus ignes Arentem in ſyluam et virgulta *ſonantia* lauro. Sonantia, *cum crepitu ardentia.*

SONORVS, tempeſtates ſonorae *dicuntur ad graec.* Homeric. ηλησσα θυελλη. Aen. 1, 57. Luctantes ventos, tempeſtatesque *ſonoras* Imperio premit. (*Aeolus*) Grauiſonas *explicat* Seruius, *bene; et quaſi* ſtrepentes. *Simili fere ſenſu* flumina Aen. 12, 139. ſonora *appellantur.* cf. Hom. Iliad. α, 157. *De priori loco cf. voc.* Luctari.

SOPITVS; arae ſopitae, *de ignibus ſopitis in aris* Aen. 8, 542. Et primum Herculeis *ſopitas* ignibus aras Excitat heſternum que Larem, *cui pridie ſacrificauerat*; Seru. *Sed* Cerda *accipit* Larem *pro* foco, *ſed qui eſt tunc* focus heſternus?

SOPORATVS melle Aen. 6, 420. Melle *ſoporatam* et medicatis frugibus offam obiicit. *Quanta verborum ſerie* Cerda *refutare ſtudeat* Turnebum, *pro* ſoporatam,

saporatam *legentem, vix dici potest. Inter multa alia argumenta a* Turnebo *adducta haec mihi praecipua videntur, quod sic in peruetusto* Priscia*ni libro reperiatur, et quod nemo Aesculapii filiorum, melli vim* soporandi *inesse, demonstrauerit. Fateor rationem, quam* Cerda, *quod ad Codices attinet, protulit, habere aliquid speciei: multitudine codicum* soporatam *legentium huius Prisciani superari auctoritatem. Sed quid respondeam, certum est. Quid facilius erat, quam vt in omnibus illis pro* a *legeretur* o, *quum ipsae litterae facile confundi possint? Praeterea errat* Cerda, *multitudine codicum absolui omnia; absoluuntur vetustate et auctoritate. Quam ieiunum vero est illud ex* Aen. 4, 486. *adductum* „humida mella, sopiferumque papaner. *Nescitne* Cerda, papauer *ea esse iam natura, vt ad somnum perducat, quod secus est in melle, vbi id locum habere probabit nemo? Quae cum ita sint et quum non fingi quidem possit, quid* sopor *huc adferat; non possum non in Turnebi ire sententiam: longe alia res est in alio loco.* Aen. 5, 855, ramum rore madentem Vlque *soporatum* Stygia super vtraque quassat Tempora. *namque* vim Stygiam *talem esse, quae soporem creet, satis notum: quod non de melle valet. Quare nec accedere* Gesnero *possim, qui tuetur in* Thesauro *lectionem* soporatum. *Certe, quid sentirem dixi, et quid dubitem. Si cui* mel soporatum *magis placet, non repugnabo, namque ex consilio, quo offertur illa offa, sustentare sententiam suam poterit. Vbique, hoc tamen loco maxime, facilis ero, et primae refutationi iustae palmam dabo.*

SORDIDVM Ecl. 2, 28. O tantum libeat mecum tibi *sordida* rura Atque humiles habitare casas. sordida *vocat, quia hic rusticitas quaedam regnat, neque omnia polita reni-*

dent.

dent, sed magis natura quam arte viuitur.

SORS Aen. 6, 430. Nec vero hae sine *sorte* datae, sine iudice, sedes. *Disceptatum est inter interpretes, vtrum* sors *ad iudices, an causas sit referendum. Primum asseruit et* Cerda *et* Nannius, *postremum* Budaeus &c. Budaeus *cur minus recte existimauerit non video. Sequentia id docent.* v. 432. *dicitur* „Quaesitor Minos vrnam mouet, *hic itaque simulac de vrna verba fiunt, de sortibus causae fiunt. Postulare itaque videtur tota mea sententiam descriptio. Deinde, quam ieiunus esset sensus: Und sie sind nicht ohne Loos der Richter, ohne Richter hieher versetzt. Denique vnius tantummodo Minois mentio fit, quasi semper exploret vitas, semper vrnam moueat. Ex quo satis patere puto,* Budaei *sententiam esse verissimam.* * sortes, *oracula, erant illa folia, quibus voluntas siue sententia Apollinis mandabatur.* Aen. 4, 377. Nunc Lyciae *sortes*, nunc et Ioue missus ab ipso Interpres Diuum fert horrida iussa per auras. conf. Aen. 6, 72. Hic ego namque tuas *sortes* arcanaque fata Dicta meae genti ponam. Sortes *et* arcana fata *pro vno eodemque a pluribus habentur, in quo autem dissideo ab illis cum* Cerda. Sortes *sunt, sententia Cerdae, furculi, quibus litterae erant insculptae ad diuinandum, ipsi taeniis aut vittis quibusdam inuoluti seruabantur. Erant autem diuersi a libris Sibyllinis. Contra* arcana fata *sunt libri Sibyllini. Nam hi* fatales libri *appellantur* cf. Liv. lib. 42. Ob haec prodigia *libri fatales* inspecti. * sors, *conditio, quae aetati certae conuenit* Aen. 6, 14. minas — ferebat — vltra vires *sortem*que senectae.

SORTIRI, *solemne verbum de iis, qui pandunt oracula, nam illae ipsae* sortes *dictae* Aen. 3, 376. Sic fata Deûm

rex *Sortitur*, voluitque vices. *vide* Vices. * Aen. 12, 920. noue: *sortitus* fortunam oculis, et corpore toto eminus intorquet. *Sensus: hunc locum ad feriendum oculis elegit Aeneas, quem fortuna destinauerat vulneri.*

SORTITVS, *de diuisionibus praedae partiendae, quae fiebant interdum sorte, vnde etiam, vbi nulla sors, vsurpatur vocabulum*, vt Aen. 3, 323. quae *sortitus* non pertulit vllos, *vt distribueretur et dono daretur alicui victori hosti*, Nec victoris heri tetigit captiua cubile. *Sed nota singula verba, quae singulam vim exserunt.* Sortitus perferre — tangere cubile — victoris — *et* heri, *et* captiua. *In voce tangere nulla vero est emphasis, de qua nugatur Seruius.*

SPARGERE, *eleganter pro obtegere.* Ecl. 5, 7. adspice vt antrum Silvestris roris *sparsit* labrusca racemis. * *breuiloquenter pro discerpere et spargere* Aen. 3, 605. *Spargite* me in fluctus vastoque immergite ponto. *Sic certe* Seruius *interpretatur, ego vero nullam breuiloquentiam video; sensus*: vasto ponto me immergite adeoque me spargite in fluctus. *Ridiculum vero est de dilacerando bono homine cogitare h. l.* * Aen. 12, 51. Et nos tela pater ferrumque haud debile dextra *spargimus. Tale illud* Homeric Iliad. 20, *ore Hectoris ad minitantem Achillem* ἐπειη κου ἐμοι βελος οξυ. * *suauiter* Aen. 12, 113. Postera vix summos *spargebat* lumine montes orta dies. * sparsus, *extensus elegantissime* Aen. 4, 668. Aspiciunt comites ensemque cruore spumantem *sparsasque* manus.

SPECIES *pro habitu, indole.* Georg. 1, 420. Vertuntur *species* animorum et pectora motus Nunc alios alios, dum nubila ventos agebat, Concipiunt. *Modo tristes fiunt animi et grauati, modo laeti.* * *spectaculum* Aen. 2, 407. Non tulit hanc *speciem* furiata mente Coroe-

Coroebus; *quod Cassandra traheretur vincta teneris palmis per vrbem.*

SPECTARE Georg. 1, 96. flaua Ceres alto nequidquam *spectat* olympo. *vid.* respicere.

SPECVLA *pro cacumine montis:* Ecl. 8, 59. praeceps aërii *specula* de montis in vndas Deferar.

SPIRABILIS, spirabile coeli lumen; Aen. 3, 600. per sidera testor, per superos atque hoc coeli *spirabile* lumen. „Vitale, *inquit Seruius*, de quo spiramus„ *nouae certe dixit Virgilius de luce vitali, licet vox* spirabilis *de animo iam apud Ciceronem* Lib. 2, de Nat. Deor. cap. 6. *occurrat.*

SPIRACVLVM Aeneid. 7, 568. Hic specus horrendum, saeui *spiracula* Ditis. *aditus explic.* Seruius. *Sed* Heinsius e Plinio 11, 39. exhalationes pestiferas. cf. Aen. 6, 240. halitus sese offundens. *Si de aditu capiamus*, spiraculum *debet esse canalis, per quem ducitur aer. E. canalis, per quem Pluto ducit et spirat aërem, idem est aditus.*

SPIRAE, *de nodis serpentum, dum sinuant sese* Aeneid. 2, 217. et 220. Corripiunt, *spiris*que ligant ingentibus; et iam Bis medium amplexi bis collo squamea circum Terga dati, superant capite et ceruicibus altis. *similem pulchram similis rei descriptionem ex* Nonnii libr. 4. *attulit ad h. l. Cerda, quem conferes, si placuerit voluptatem capessere.*

SPIRAMENTVM Aen. 4, 580. Et laeuo adfixa est lateri manus, abditaque intus *Spiramenta* animae lethali vulnere rumpit. *Seruius* pulmones *intelligit* spiramenta; *ego potius de corde accipio, domicilio spirationis.* * spiramenta *oras alueorum vocat poëta* Georg. 4, 39. Neque illae Nequicquam in fatis certatim tenuia cera *spiramenta* linunt. angustos aditus v. 35. *vocat.*

SPIRARE Georg. 3, 34. stabunt et parii lapides,

ſpirantia ſigna. *ſummam exprimit artem earum ſtatuarum.* * *aſpirare, vel fauere* Aen. 3, 529. ferte viam vento facilem, et *ſpirate* ſecundi. *Habet vero hoc verbum h. l. elegantiam quandam, nam proprie venti* ſpirant. *Venuſte etiam h. l* ſpirate *ſecundi.* * Georg. 1, 27. caua flumina creſcunt cum ſonitu ferueteque fretis *ſpirantibus* aequor. freta ſpirantia, *aeſtuantia; pulchre!* * aurae ſpirantes *dicuntur, per quas* ſpiramus. Aen. 9, 645. ab alto Aethere ſe mittit, *ſpirantes* dimouet auras. Cerda *mauult accipere, quae aurae ex ſe odorem emittunt acceptum ab Apolline, vt* Aen. 1, 407. Ambroſiaeque comae diuinum Vertice odorem *ſpirauere. Sed tamen prius mihi praeplacet* * Aen. 10, 291. ſpeculatus litora Tarchon Qua vada non *ſpirant. Heinſ.* „*ſcil.* aqua, i. e. *eam mittunt vehementius ſ. plena ſunt aqua.*„ *Sunt qui malint:* „*non emittunt ventum, non turbantur vento; ſed et hoc durum, vti etiam ſi* ſpirans vadum *de* breuibus aeſtuoſis *dicitur, in quae naues abripiuntur.* Seruii *aetate vero iam legebatur* ſperat *pro* ſpirant. *h. eſſet, vbi non timet* (*ſic* ſperare *centies*) *vada; cui lectioni, ſuſtentatae etiam ab aliis Codd., non nego me fauere.* * ſpirans, *palpitans* Aen. 4, 63. pectudumque recluſis Pectoribus, inhians *ſpirantia* conſulit exta.

SPISSVS Aen. 9, 509. Qua rara eſt acies, interlucetque corona Non tam *ſpiſſa* viris. *vide* h. v. *in* I. Parte Clauis.

SPVMEVS *pro ſpumoſus, vel ſpuma tectus: vtraque ſignificatione ſaepius occurrit apud Virgilium* Aen. 2, 419. ſtridunt ſiluae ſaeuitque Tridenti *Spumeus*, atque imo, Nereus ciet aequora fundo. *Nereum h. l. pro* Neptuno *poſitum, eumque Deum maris, tridentigerum, intelligendum eſſe, pluribus ad h. l. probauit* Cerda.

SQVA-

SQVALERE, *situ et deformitate iacere, eleg. de agris vastatis et desertis* Georg. 1, 507. *squalent* abductis arua colonis. torpere *dicit alio loco* Georg. 1, 124. * Georg. 2, 348. *squalentes* insode conchas. i. *mucosa saliua inductas.* Heynius ad Georg. 4, 91. maculae auro *squalentes: putidum, scribit, est Grammaticorum*, Gellii 2, 6. &c. *et Seruii ad h. l. commentum* squalere *a squamis deducentium.* * squalere auro, *eleg. de vestibus asperis, quasi auro crebro et denso*, rigentibus, *vt alibi poëta dicit* Aen. 10, 314. Per tunicam *squalentem* auro latus haurit opertum. *vide* Haurire. *sic et, abundans, refertus.* (*Medium enim est vocabulum* squalere, *nec sordidum modo, sed cuiuslibet rei etiam pulchrae et honestae, densitatem significans.*) Aen. 12, 87. Ipse dehinc auro *squalentem* alboque orichalco circumdat loricam humeris.

STABILIS, coniugium stabile Aen. 1, 77. coniugio iungam *stabili*, propriamque dicabo. *vide* Dicare.

STARE, *verbum solemne in sacrificiis* Georg. 2, 395. Ergo rite suum Bacco dicemus honorem — Et ductus cornu *stabit* sacer hircus ad aram. *Ad bonitatem victimae hoc verbo respici, monet hic* Seruius, *quae tunc apta sit, quando animal illud patiens inueniatur, itaque* stabit *explicat per placebit. Nimis fortasse argute, certe parum constans est in illis minutiis poëtarum vsus: idem verbum Virgilius quoque adhibet de pecore aegro s. infecto, nulla eius rei significatione* Georg. 3, 486. Saepe in honore Deum medio *stans* hostia ad aram Lanea dum niuea circumdatur insula vitta Inter cunctantes cecidit moribundo ministros. stat *victima ad aram, interim cum vota concipiantur et mola ei adspergatur.* Cerda. *melius.* * *plenum esse* Aen. 12,

408. Iam puluere coelum *stare* vident; subeuntque equites &c. cf. Ecl. 7, 53. *stat* puluere coelum. *potest et simpliciter ad imaginem pingendam accipi, vt* Aen. 4, 135. *stat* sonipes ac freua ferox spumantia mandit. *vide plura exempla collecta in* Klotzii Vindic. Horat. p. 41.

STATVERE, *ordinare vt certum sit*; *sic* Georg. 1, 353. Ipse pater *statuit* quid menstrua luna moneret, Quo signo caderent austris, *ita ordinauit has res, vt certa sint motu suo et phasi signa variarum tempestatum: plenius id exposuit* Aratus phoenom. v, 10. sqq.

STELLA, *pro sidere*, συνεκδοχικως *vid.* decedere. Georg. 1, 222. ante tibi Eoae Atlantides abscondantur Gnosiaque ardentis decedat *stella* corona.

STERILIS arbor, *aut nullos habens fructus, aut maligne ferens est* Georg. 2, 54. Nec non et *sterilis* (*arbor*) quae stirpibus exit ab imis, *de stolonibus ab radice pullulantibus, seu viuis radicibus loquitur, quibus succum materna arbor detrahit.*

STERNAX *ferox equus, qui facile sternit sedentem.* Aen. 12, 364. Et *sternacis* equi lapsum ceruice Thymoeten.

STIRPS *pro inferiori parte arboris s. tigni* Georg. 1, 171. Huic (*vlmo aut pari*) a *stirpe* pedes temo protentus in octo. * stirps, *scil. Aeneae* Aen. 4, 622. Tum vos o Tyrii *stirpem* et genus omne futurum Exercete odiis.

STRICTVRA, *terra ferri in massam coacta* Aen. 8, 421. Validi incudibus ictus Auditi referunt gemitum, striduntque cauernis *strictvrae* chalybum (*populorum apud quos nascitur ferrum* cf. Georg. 1, 58.) et fornacibus ignis anhelat.

STRIDERE Aen. 5, 143. Infindunt pariter sulcos totumque dehiscit Conuulsum remis rostrisque *stridentibus* aequor. *Sed* Burmannus *vult legi:* rostrisque tridentibus. *vide*

de Tridens. * alae stridentes, *bene de volantibus* Aen. 1, 401. reduces illi (*cygni*) ludunt *stridentibus alis*. Seruius *addit* „signum augurii est. *sic etiam vt pingat vox rem, et oculis quasi subiiciat* Aen. 1, 453. foribus cardo *stridebat* ahenis.

STRIDOR Aen. 12, 869. At procul vt Dirae *stridorem* adgnouit et alas. *Sic Homerus inducit Calchanta* Iliad. B. 315.

STRINGERE, *de fluuio, cum vi pingendi*, Aen. 8, 63. Ego sum pleno quem flumine cernis *Stringentem* ripas, et pinguia culta secantem; *iuxta veterem morem dictum*; stringere *enim significat tactu modico praeterire, vt* Aen. 10, 478. magno *stringit* de corpore Turni.

STRINGERE Aen. 1, 556. Et siluis (*e siluis*) aptare trabes, et *stringere* remos, „aut defrondare aut religare„ Seruius. *Prius verum, et signif. stringere arbores, e quibus fiant remi.* conf. Aen. 4, 399. *Sic etiam* aptare trabes *in siluis ex arboribus*. Heinsius, *probante* Burmanno, *legit* optare, *h. e. eligere* trabes silv. *et pluribus probat*, optare *ita occurrere. Hoc quis negat? Sed h. l. ita legendum quis dicet? Qui assentientur Burm. et Heinsio? non, puto, multi; certe non ego. Similis huic nostro loco est ille* Ecl. 9, 61. agricolae *stringunt* frondes.

STVDIVM, *opinio, sententia* Aen. 2, 39. Scinditur inertum *studia* in contraria vulgus, *imitatus h. l. est* Statius Theb. 5, 147.

STVLTVS, *homo non satis acutus, simplex et parum versatus in rebus a sua terra remotis* Ecl. 1, 21.

SVB, Georg. 4, 490. Restitit Eurydicenque suam iam luce *sub* ipsa respexit, *cum iam ventum esset ad superas auras ex Erebo.* * *versus* Aen. 5, 853. oculos *sub* astra tenebat; *sic* Aen. 7, 527. *sub* nubila; *versus nubes.* * Aen. 4, 560. Nate Dea, potes hoc *sub* casu ducere somnos: *in-*

terea dum hoc accidit, ſub h. l. * Aen. 12, 180. Cuncta tuo qui bella pater *ſub* numine torques i. e. *ſubiecta tuo numine.*

SVBACTVS, ſcrobes ſubactae Georg. 2, 50. *efoſſae*, *ita* Phaedrus L. 4. 9, 2. *agere cuniculos.*

SVBDVCERE Ecl. 9, 7. colles ſe ſubducunt, *vbi decreſcunt et in planum deducuntur.*

SVBIGERE Aen. 7, 627. ſpicula lucida tergent Aruina pingui, *ſubigantque* in cote ſecures. *Seruius* aruinam *interpretatur*, *durum pingue*, *quod eſt inter cutem et viſcus. videtur fuiſſe* lardum *vel* adeps. *eleg.* ſubigere ſecures cote! * Aen. 8, 117. iuuenes, quae cauſa *ſubegit* (*coegit*) Ignotas tentare vias. *ita* ſubigere *pro* cogere *ſaepiſſime apud Virgilium.*

SVBIICERE ſe, *attollere ſeſe*, *creſcere.* Ecl. 10, 74. viridis ſe *ſubiicit* vlnus. Georg. 2, 19. laurus Parua ſub ingenti matris ſe *ſubiicit* vmbra. conf. Georg. 2, 47. *et* 57. * Georg. 4, 385. flamma ad ſummum tecti *ſubiecta* reluxit, *in lacunari emicans et inde repercuſſa.* * Aen. 7, 110. adorea liba per herbam *Subiiciunt* epulis. *Supponunt in epularum locum*, Seruius; *Sed male; et eſt proprie intelligend.* cf. verſ. ſeqq. *vbi* cereale ſolum *appellantur. pergit poëta*: ſic Iupiter ille monebat. (*alii legunt*: ipſe; *ſed diſſuadent* codd.) *quo reſpicit ad oraculum datum* libr. Aen. 3, 257. *vide* Abſumere.

SVBIRE palmae, *in locum alterius ſuccedere*, *vt palmam pro eo capeſſas*, Aen. 5, 346. qui *ſubiit* palmae, fruſtaquae ad praemia venit Vltima, *notum enim eſt*, ſubire *eſſe* ſuccedere, *vt* Aen. 12, 43. Ipſa *ſubit* manibusque vndantis flectit habenas.

SVBMITTERE, *admittere*, *ita* Ecl. 1, 46. paſcite vt ante boues, pueri, *ſubmittite* tauros. *vid. loca* Heynio *laudata. Saepius enim poëtae verba adhibent*, *vt tantum rem*

rem ipsam in memoriam reducant, non accuratum verbi sensum doceant. vult vero indicare, omne illud negotium, quod pertinet ad gregem colendum, et sine metu periculi augendum, ipsis permissum esse. * Georg. 3, 73. quos in spem statues *submittere* gentis i. e. *in locum aliorum substituere, vt gregem procreant nouum.* ib. 159. et quos aut pecori malint *submittere* habendo. *cf.* habere.

SVBNITI muro vrbs *dicitur, cincta, circumdata muro.* Aen. 3, 402. Parua Philoctetae *subnixae* Petilia muro. *Similis locus est, vnde metaphora huius loci explicari quodammodo potest* Aen. 4, 218. Maeonia mentam mitra crinemque madentem *subnixus* i. *crinem vnguentatum, subligatum habens.*

SVBSIDERE *remanere, latere, Latinorum scilicet multitudine.* Aen. 12, 835. Vtque est, nomen erit commixti corpore tanto *subsident* Teucri. cf. L. 5. 498. Galeaque ima *subsedit* Aceste.

SVBTEMEN, *vide* Part. I. Clav. *sic et* Aen. 3, 483. Fert picturatas auri *subtemine* vestes. *Seruius* „filo, quod intra stamen currit.„ *intelliguntur vero vestes* acu pictae. *vide* Picturatus.

SVBTEXERE, *vinida translatione* Aen. 3, 582. coelum *subtexere* fumo.

SVBTRAHERE Aen. 5, 199. *Subtrahitur*que solum. *vide* Solum.

SVCCEDERE Aen. 11, 794. Audit et voti Phoebus *succedere* partem Mente dedit, partem volucres dispersit in auras. conf. Homer. Iliad. π. 246. sqq. * Aen. 11, 826. haec Turno mandata nouissima perfer, *succedat* pugnae, *succurrat* exercitu.

SVCCIDERE Aen. 12, 911. et in mediis conatibus aegri *succidimus.*

SVCCINCTVS Ecl. 6, 57. Quid loquar aut scyllam nisi quam fama secuta est (*intelligendum vero hic vt narrauerit e sequenti, vt bene monet*

Hey-

Heynius) Candida succinctam latrantibus inguina monstris. *deorsum conuersa erat ope Circes in Canis formas. vid.* Heynium *et* Cerdam, *qui de monstrosa Scyllae forma disputant.*

SVDARE, *cum vi positum pro* decurrere Georg. 3, 203. Hic (*equus*) vel ad Elei metas et maxima campi *sudabit* spatia.

SVFFICERE *pro* inficere Aen. 2, 210. Ardentes oculos *suffecti* sanguine et igni Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. *Qualis imago?* cf. Valer. Flacc. 1, 821. *Fuerunt qui verba rem imitantia in hoc loco inuenirent, repetitamque litteram* S *tale quid referre censerent.*

SVLCVS, *poëtice de tota aratione* Georg. 1, 134. Vt vsus — *sulcis* frumenti quaereret herbam i. e. *per arationem sibi messem s. fruges pararet.* * Aen. 1, 429. Pars optare locum tecto et concludere *sulco. fossa. vide* optare, *et voc.* sulcus *in priori Sectione huius* 2. Part. Clav.

SVMMVS; summae res; *de periculis magnis.* Aen. 9, 199. Mene igitur Socium *summis* adiungere *rebus* Nise, fugis. *Possunt,* res summae *vero etiam esse, summae laudis, gloriae. hinc Seruius* „Bene in re dubia sermone vsus dubio: nam hoc dicit: Non debes me nec a tua gloria, nec a periculo segregare. conf. vers. 227

SVPER, *propter* Aen. 1, 33. His accensa *super.* Nonius *explicat* super, *vehementer, valde; pessime!* * *pro* Insuper Aen. 2, 71. Cui neque apud Danaos vsquam locus: et *super* ipso Dardanidae infesti poenas cum sanguine poscunt. *habet ἦθος το* super *hoc loco. Tota Sinonis oratio artificiosissima et summi ingenii documentum maximum recte ab omnibus celebratur.* * *audacter pos.* Aen. 3, 489. O mihi sola mei *super* Astyanactis imago. i. *o quae tu mihi sola imago Astyan. superes, restas. Plene exstat phrasis* Aen. 8, 251. Neque enim fuga

iam

iam *super* vlla pericli est. *Imitatio vero est superior locus illius Homerici* Odyss. δ, 149. κεινα γαρ τοινοι δε ποδες, τοια ηδε τε χειρες Οφθαλμων τε βολαι κεφαλη τε εφυπερθε τε χαιται. *et Virgilium imitatus est Statius* libr. 1. Achill. 339. — sic ergo gradus sic ora manusque Nate feras. * *pro* superne Aen. 8, 245. *superque* immane barathrum Cernatur. ὑψοθεν, *ab iis, qui desuper cernunt.* * *insuper, praeterea, noch dazu,* Aen. 11, 226. medio in flagrante tumultu Ecce *super* moesti magna Diomedis ab vrbe Legati responsa ferunt.

SVPERARE, *verbum nauticum, peruenire vltra aliquem locum* Aen. 1, 248. Regna Liburnorum et fontem *superare* Timaui. * *superstitem esse, viuere* Aen. 2, 597. *superet* coniupone Creusa? *Sic plane* ibid. vers. 643. captae *superauimus* vrbi. Aen. 3, 339. *superatne* et vescitur aura. Aen. 12, 639. Murrharum quo non *superat* mihi carior alter. * *eleg.* Aen. 3, 439. Iunoni cane vota libens, dominamque potentem Supplicibus *superа* donis, *clementem redde.* * *subesse* Aen. 12, 873.

SVPERBVS, *nobilis, eminens* Aen. 1, 25. Hinc populum late regem, belloque *superbum. Festiue et eleg.* late regem *pro* regnantem. *nam est epitheton omnium earum rerum, quae* superbos *homines reddere possint, ab effectu, vt mos non infrequens est.* Aen. 1, 643. Arte laboratae vestes, ostroque *superbo. Sic et alibi pluribus locis h. v. intellig. vide etiam idem voc.* in Part. I. Clav. Aen. 11, 341. genus huic materna *superbum* Nobilitas dabat, *praestans, nobile.*

SVPERIMMINERE Aen. 12, 306. Ense sequens nudo *superimminet:* ille securi &c.

SVPERSTITIO *religio, metus;* Aen. 12, 817. Vna *superstitio* superis quae reddita Diuis. *Solent enim Dii vnum hoc iusiurandum*

iurandum reuereri, per Stygii caput. conf. *Homeri locum* Iliad. O, 37. καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ ὅς τε μέγιστος Ὅρκος. κ. λ.

SVPINATVS Georg. 2, 261. *supinatas* aquiloni ostendere glebas i. e. *erutas, scrobe enim facta, terra quae effoditur, aquiloni exponenda, vt frigore excoquatur, mitescat, gleba enim tantum terram significat poëta, more enim suo de vireto sic loquitur quasi de agro serendo. vide* v. 267.

SVPPLERE, *eleg. cum verbum militare sit, vnde* supplementa *dicta.* Aen. 3, 470. Addit equos, additque duces: Remigium *supplet* h. e. *addit, qui defecerant,* remiges.

SVPPLICITER tristis Aen. 1, 485. Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant *supplicitер tristes,* et tunsae pectora palmis.

SVRGERE, *poëtice de re, quae exstruitur* Georg. 3, 29. nouali *surgentes* aere columnae: h. l. *columnae quae e rastris aereis efficiuntur. cf.* Seruium. * Aen. 12, 172. Illi ad *surgentem* conuersi lumina solem &c. *disciplinam ceremoniarum secutus est, cum orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.* * Aen. 11, 635. permixti caede virorum Semianimes voluuntur equi: pugna aspera *surgit. incipit.* * *crescere* Aen. 4, (6), 364. Per genitorem, per spem *surgentis* Iuli. *Sic et* Aen. 4, 274. Ascanium *surgentem* et spes heredis Iuli Respice.

SVSCITARE, Aen. 12, 499. Saeuam nullo discrimine caedem *suscitat* irarumque omnis effundit habenas.

SVSPECTVS, *de eo quod suspicari recte debemus* Georg 1, 443. Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum — *suspecti* tibi sint imbres. * *subst.* Aen. 9, 530. Turris erat vallo *suspectu, vasta et alta, et pontibus altis opportuna loco. vide* Pons.

SVSPENDERE agrum sulco tenui Georg. 1, 78. *leuiter aratro perstringere,*

re, poëtica ratione dictum glebam supinatam, *vt alio loco dicit. At si altius aratur* perrumpere *dicit* aratro, proscindere *agrum.*

SVSTINERE, *efficere, eleganter.* Aeschylus Georg. 2, 297. media ipsa ingentem *sustinet* vmbram. *cf.* Vmbra.

SVTILIS Aen. 6, 414. Gemuit sub pondere cymba *Sutilis* et multam accepit rimosa paludem. *Docti in eo, quid sit* sutilis cymba, *laborarunt.* Turnebus *et* Cerda *arbitrantur nauem fuisse corio exstructam, quales etiam Britanni habeant. Quae quidem sententia minus abiicienda putetur, quoniam* Lucanus *etiam naues expellibus exstructas fuisse innuit:* Primum cana salix madefacto vimine paruam Texitur in puppim caesos induta iuuencos Victoris patiens tumidum supereminet amnem. *Et forte huc* Plinius *referendus est*, 6, 22. papyraceis nauibus armentisque Nili peteretur? *Quoniam naues eiusmodi exstitisse appareret, cur pro* sutilis, sutilis *legam, vt quidam voluit, non video, cum accedat nulla codicis confirmatio. Quamuis vero illa explicatio* ☞ sutilis *stare possit, malim tamen ego* cymbam sutilem *intelligere* compactam; *ita vt ad comparatam nauem referatur, nec in propria vi vocis quaeram subtilitatem.*

SVVS, *singulari vocis vsu apud poëtas, vt notet, id quod felix, secundum est* Georg. 4, 190. fessosque sapor *suus* accusat artus i. e. *qualem exigere fessi artus videntur, iis debitus. et ita saepius. conf. h. v.* in Claue Ouidian.

T.

TABVLARIVM, *locus Romae, in atrio Libertatis vbi publica instrumenta asseruabantur de vectigalibus, portoriis, pascuis, si quis ea redemerat. Hinc* Georg. 2, 502. *de rustico:* nec ferrea iura Insanumque forum

rum aut populi *tabularia* vidit, *non vectigalia, portoria &c. conduxit.*

TABVLATVM *vox vinitoribus solemnis* vid. Colum. 5, 6, 11. 22. 23. 24. *Vocant sic ordines ramorum in arboribus, quorum quidam reciſi, alii in planum tendunt, vt quaſi variae ſint in arbore contignationes. Haec* tabulata *in vineis efficiunt agricolae, vt robuſtiores palmites vnum poſt alterum ramum vlmi attingere iisque ſeſe applicari poſſint* Georg. 2, 360. Aſſuescant vites ſummas ſequi *tabulata* per vlmos.

TALARIA, Aen. 4, 239. Et primum pedibus *talaria* nectit. v. 240. *expreſſe dicit alis fuiſſe ornata.*

TANDEM, *vt reſp. Graeco* ποτε Aen. 1, 335. Quo ſub coelo *tandem*, quibus orbis in oris lactemur doceas, *vvo vvir in aller Welt izt ſind. Habet haec vox* ἠθος *quoddam h. l. Plane ita accip.* ibid. verſ. 373. Sed vos qui *tandem?* quibus aut veniſtis ab oris? *vbi* Seruius „vacat hoc loco tandem„ *male; et Burm. effudit ad probandam voculae quandam vim inſignem eruditionem. et ſic h. v. ſaepius.*

TANGERE animum Aen. 12, 57. Turne per has ego te lacrymas, per ſi quis Amatae *tangit* honos animum.

TANTO, *loco* tantum. *Illud enim ſublimius eſt, quam ſi diceret* tantum. *Aures limatiſſimae aſſequentur hanc elegantiam* Aen. 12, 19. quantum ipſe feroci virtute exſuperas, *tanto* me impenſius aequum eſt.

TARDVS, *iners* Georg. 2, 125. Et gens illa quidem ſumtis non *tarda* pharetris. *Indi iaculandi arte ſtrenui. Suſpectus hic verſus eſt* Heynio, *nil enim continet niſi illuſtrationem verſus antecedentis, deinde vero et id plurimos offendit quod verſu ſubſequenti vox* tardus *ſtatim repetatur, quod vix factum a Virgilio credi poſſit, quare et emendarunt*

runt varie. Nobis hic temere nil agere licet. Tardus sapor *explicatur diu palato immanens, pungens; sic iam* Philargyrius, *nisi forte eo sic dicatur, quod res acerbae tarde et inuite deglutiuntur. Ineptit* Seruius, *qui* tardum *explicat vix intelligibilem, qualis sapor medii citri. De citro hic sermonem esse, probat* Cerda.

TECTVM: *in* tecta *vocare Deos, prouerbium est, de iis adhiberi solitum, qui Deos sibi propitios reddere precibus et sacrificiis studeant* Georg. 1, 347. Terque nouas Circum felix eat hostia fruges — Et Cererem clamore vocent *in tecta.*

TEGMEN suluum *quid sit in* Aen. 1, 279 *quaeritur. Verba ita fluunt:* Inde lupo suluo nutricis *tegmine* laetus Romulus excipiet gentem, et Mauortia condet Moenia. *Multa et erudita proferunt interpretes, quibus hic allatis doctus videri possim. At nolo: simplicitate iuuat locum explanare.* Aut laetus suluo tegmine Romulus *est, qui in memoriam lupae nutricis suae sic indui solitus erat; aut est descriptio modo Romuli, et locus sic capiendus.* Romulus excipiet *(interempto Remo, de quo docte tacentem Iouem inducit poëta) gentem, qui Romulus tegmine, tutela lupae, conseruatus erat.* tegmen suluum *pingit rem, et quasi contegentem lupam Romulum.*

TELVM, *nouae de ictibus, qui manibus infliguntur* Aen. 5, 438. Corpore *tela* modo, atque oculis vigilantibus exit, *bene* exire!

TEMERE Aen. 9, 375. Haud *temere* est visum, conclamat ab agmine Volscens, *non erraumus videndo, non falsum vidimus.* conf. praeced. *Errat igitur* Heinsius, *qui leg. iubet* visu *pro* visum, *et* Burm. *qui legit* visa. *scilicet* galea visa haud temere est. *Sensus apertus, sed pluribus dicendis eum obscurum reddere conatus est* Burmannus.

TEMPERARE, *tranquillare* Aen. 1, 50. Vastas aperit Syrtes (Neptunus) et *temperat* aequor. *conferri cum toto illo Aeneidos loco potest Kleistii iste:* Wenn vom Orkan gepeitscht des Meeres Fluth sich mit dem hangenden Gewölke mischt, und izt zur Hölle niedersteigt, und izt sich wieder in den Himmel thürmt und heult, und *bellt* und donnert, wenn alsdenn Neptun den mächtigen Trident mit starkem Arm aus Wasserbergen hebt, wie denn der Sturm zu seiner Höhle flieht, und Meer und Land und Himmel frölich lacht &c.

TEMPESTAS *eleganter posita* Aen. 12, 284. A toto turbida coelo *tempestas* telorum ac ferreus ingruit imber; *postremo satis ostendunt, quam apte in translatione permanserit noster.* * tempestates *pro anni temporibus, quae et variam coeli temperiem aërisque mutationem proferunt dici, vel tirones norunt. Ita accipi etiam contra alios mauult* Heynius Georg. 1, 27. *vbi cum frugibus coniunguntur*, et te maximus orbis Auctorem frugum *tempestatum*que potentem Accipiat. Tempestates *pro temporibus quibuscunque adhibuit et Lucretius.* Georg. 1, 252. Hinc *tempestates* dubio praedicere coelo Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi cf. v. 258. * *pro temperie* Georg. 3, 479. Hic quondam morbo coeli miseranda coorta est *Tempestas* totoque autumnum incanduit aestu i. e. *qualis esse auctumnalis aestus solet, is est grauissimus.*

TEMPESTIVVS *de arbore, quae ad maceriem commoda et satis firma.* Georg. 1, 256. aut *tempestiuam* siluis euertere pinum. *Quando talis credita fuerit arbor. vide* loca *apud* Cerdam.

TEMPLVM, *delubrum sepulcro impositum* Aen. 4, 457. Praeterea fuit in tectis de Marmore *templum* coniugis antiqui. *Hanc interpretationem* Cerda *ita confirmauit, vt*

vt nihil desiderari possit. Moris erat, vt delubra supra sepulcris collocarentur, quod quidem describere ex Cerda, *non est necessarium; vnde probari possit.*

TENAX, *venuste* rostros *vocat* tenaces Georg. 2, 421. *quia terrae adfiguntur et omnia secum trahunt* Georg. 4, 412. tenacia vincula *pro rei natura.*

TENDERE, *in animo habere, studere, conari* Aen. 1, 22. hoc regnum Dea gentibus esse Si qua fata sinant, iam tum *tendit*que fouetque. **tentoria habere* Aen. 2, 21. Hic Dolopum manus, hic saeuus *tendebat* Achilles. *Videtur hunc locum ante oculos habuisse Ouidius, dum comparabat Epistolam Penelopes ad Vlyssem* Heroid. 1. *vid. imprimis* vers. 35. &c. * Aen. 2, 674. in limine coniux Haerebat, parnumque patri *tendebat* Iulum. *porrigebat, ostendebat.* * Georg. 3, 396. magis vbera *tendunt, dicit* Ecl. 9, 31. distendunt vbera vaccae. *Georg. 4, 535. Tu munera supplex *Tende* petens pacem, *portende, offer, explicat* Heynius cf. Aen. 2, 674. Eece autem complexa pedes in limine coniux Haerebat parnumque patri *tendebat* Iulum. *Optima est haec loci interpretatio, quanquam insolita sit illa significatio, quare et alii mutare scripturam maluerunt.* * *contendere* Aen 12, 553. Nec mora nec requies: vasto certamine *tendunt.*

TENER Ecl. 6, 34. *tener* mundi orbis concreuerit, *recens; sic* Manilius *orbem* vocat *infantem. sic et* Georg. 2, 343. res *tenerae.*

TENERE, *retinere* Aen. 4, 308. Nec moritura *tenet* crudeli funere Dido. *nec, quae moritura est, si tu discesseris, Dido te retinet, non eius mors abitum tuum remouet?*

TENOR Georg. 2, 337. Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies aliumue habuisse *tenorem* Crediderim,

i. e. *tractum et tempestates.*

TENTAMENTVM Aen. 8, 144. His Fretus non legatos neque prima per artem *Tentamenta* tui pepegi. *Constructio mutata, quam* hypallagen *vocant Grammaticorum filii. Sensus: non tentamenta pacta tecum arte et calliditate; ipse venio.* cf. seqq.

TENTARE, *attrectare, attingere* vid. P. I. Indicis. *De rebus noxiis et morbis.* Eclog. 1, 50. Non insueta graues *tentabunt* pabula foetus. *cf. quae sub voc.* grauis *dicta sunt* * *pro gustare res, praesertim acerbas* Georg. 2, 247. ora tristia *tentantium* sensu torquebit amaror. * *adire* Georg. 1, 207. quibus in patriam ventosa per aequora vectis Pontus et ostriferi fauces *tentantur* Abydi. Abydos, *oppidum Hellesponti, ostreis nobilis.* Georg. 3, 8. *tentanda* via est, *noua scilicet et difficilis.* * tentare precando, animum Aen. 4, 113. Tu coniux tibi fas animum *tentare* precando.

TENVIS Minerua, *de lanificio, tenuem victum praebente.* Aen. 8, 409. Cui tolerare colo vitam *tenui*que Minerua Impositum (*a necessitate*) * Georg. 2, 93. *tenuis*que Lageos Tentatura pedes olim vincturaque linguam. Lageos *idem ac leporaria vua a colore vid.* Cerdam. *Sed vnde hic* tenuis *dicta?* Vehemens *explicauit* Erythraeus *in indice non satis commode. Melius* Seruius: *quod cito descendit ad venas, penetrabilis, facile enim illud vini genus inebriat.* * tenues vmbrae Georg. 4, 472. *manes, hinc et Horatius* exilis plutonia domus. od. 1, 4, 17. * Georg. 2, 180. tenuis argilla *Distingunt hic alii inter genera argillae, cum aliud sit pingue, exile aliud et sine humore. Sed in vniuersum hic respicit poëta ad regiones argillaceas, et commune esse epitheton argillae potest, vt* tenuis *dicatur, est enim leuior et arenosa.*

sa. * Georg. 3, 335. *tenues* dare aquas. * Aen. 6, 292. Et ni docta comes *tenues* sine corpore vitas Admoneat volitare. Tenuis vita, *est anima, quam tenuis materia, vt aer, circumdat. Iam viderunt alii, nec non verisimile est, nil adfuisse materiae, hic innui.*

TEREBINTHVS vid. Clav. Ouid. Aen. 10, 136. Quale per artem Inclusum buxo aut Oricia *terebintho* Lucet ebur. *Adscribam ad h. l. notam Seruii* „Oricus ciuitas est Epiri, iuxta quam nascitur *terebinthus* nigrum lignum habens, folia in buxi speciem. *Retulit* autem comparationem ad candidum vultum, qui erat crinibus nigris cinctus„ *bene!*

TERERE calcem calce *quomodo explicandum, quaerunt interpretes ad* Aen. 5, 324. Ecce volat calcemque *terit* iam calce Diores Incumbens humero. *Mire hic nugantur omnes de possibilitate, vt ita dicam; et si diuersas sententias breuiter modo hic ponere velim, facto negotio plures paginas compleam.* Cerda, Scaliger *in critico*, Taubmannus, Catroeus, Ruaeus, Burmannus, *omnes, qui commentati sunt in Virgilium, diuersas inuicem et longas interpretationes attulerunt. Sed, nisi fallor, omnis quaestio inanis, et veritas plana ante oculos posita. Nempe* calx *pro* pede *posita est, cum, vt* Seruius *iam notauit,* planta *dici possit* calx; „calcem dicimus, vnde terram calcamus„ *ergo hoc loco, in cursu posterior prope assecutus priorem sua* planta calcem *prioris* terit. *Superfedeamus licet hic doctrina subtili aliorum interpretum. Hoc vero magis dignum notatione est, hunc locum imitationem illius Homeric.* Iliad. 23. — ὀδυσεος θεειν ἐγγυθεν, αὐταρ ὀπισθεν ἰχνια τυπτε ποδεσσι παρος κονυν ἀμφιχυθηναι. *namque, vt iam alibi monuimus, totus* quintus Aeneidos *liber con-*

stat imitatione Homerica, eiusque funeris, quod in honorem Patrocli celebrabatur.

TERES habena, *habilis, tortilis* Aen. 11, 579. fundam *tereti* circum caput egit *habena.*

TERGEMINVS *vid.* Tonare.

TERGVM, *scutum* Aen. 10, 717. partes cunctatus in omnes Dentibus infrendens et *tergo* decutit hastas.

TERMINVS, Aen. 4, 614. Et si fata Iouis poscunt hic *terminus* haeret. *Referendum esse puto ad Deum* Terminum, *stabilem eum omnium rerum, et constantem Deum, postea mire fauentem Romanis* conf. Liv. 1, 55. et Hor. Carm. Saecul. vers. 27.

TERRIFICVS vates Aen. 5, 524. Seraque *terrifici* cecinerunt omia vates. *vide* Serus.

TERRITARE Aen. 11, 350. Troia tentat Castra fugae fidens et coelum *territat* armis *respic. praecedentes versus, vbi infelix et delusus Turnus proelio eripitur; quam fugam ei reprobat, prodigii nescius,* Drances, *et digne persona sua, audaci, et loquaci verba facit.*

TESTVDO, *de cauerna templi fornicata, referente imaginem coeli.* Aen. 1, 108. foribus diuae media *testudine* templi. * Georg. 2, 463. varii pulchra *testudine* postes. *de foribus opere variegato, testudineo* melius *explicat* Heynius *quam* Cerda, *qui opus amusseatum intelligit.*

THIASVS, *chorus in Bacchi honorem saltans.* Ecl. 5, 30. Daphnis et Armenias curru subiungere Tigres Instituit, Daphis *thiasos* inducere Bacchi, Et foliis lentas intexere mollibus hastas. *Haec simpliciter eo interpretanda sunt, vt ad augendas eius laudes et amplificandam dignitatem, Daphnidem suum vnum ex Bacchi commilitonibus et sociis fuisse fingat, qui sacra Bacchi instituerit inter pastores, atque adeo Caerimonias in Liberalibus solemnes exhibuerit, inter quas*

Bacchi

Bacchi res gestae imprimisque ad Indos expeditio repraesentari solebat. Adscripsimus notam Heynii, *quia nihil est quo melius ille locus illustrari possit. Caeterum in hac Ecloga poëtam voluisse Iulii Caesaris laudes canere* Seruius *existimauit et alii. vid. tamen* Heynium *in argumento huic Eclogae praepositio.*

TINGVERE Aen. 12, 358. Fulgentem *tinguit* iugulo atque haec insuper addit, *pingens vox, ensem perfodientem collum alto vulnere, et sanguine conspersum indicans.*

TOLLERE Aen. 12, 39. Cur non incolumi potius certamina *tollo; finio.*

TONARE ore, Aen. 4, 510. Tercentum *tonat* ore deos Erebumque Chaosque *Qui locus quia sane non expeditus est, cum hic explicabo.* Tercentum *est, multipliciter multis nominibus, et plane non ita cum* voc. deos *vt alii connecto, vt multos deos vocasse videatur. Idque elucet ex sequentibus* „tergeminam Hecatan, h. e. quae *delectabatur nominibus leaenae, canis, tauri; siue potius, quae et* Diana, *et* Luna, *et* Proserpina *est, idquod etiam elucet ex illis* „tria virginis ora Dianae,„ *ergo sub nomine Lunae Dianae et Proserpinae;* os tonans *vero de more Sacrificis inuocantibus diuos tribuitur.*

TONDERE, *suauissime de equis pascentibus, qui campum quasi tondent, cum gramina carpunt.* Aen. 3, 538. *Tondentes* campum late candore niuali. * Georg. 3, 312. Nec minus interea barbas incanaque menta Cinyphii *tondent* hirci, saetasque comantes Vsum in castrorum et miseris velamina nautis. *Non vani omnino hic videntur ii, qui* tondent *intransitiue h. l., vt loquuntur, sumi volunt; est sane sic iucundius, qua si homines, aut pastores subintelligendos hic inferre velis. Facile esset talem vsum verborum e poëtis demonstrare pluribus, si necesse*

esset. *Est* tondent *pro* tondere solent *et hoc est deponere, praebere in usum. sic* Georg. 3, 365. Et totae solidum in glaciem vertere lacunae, *vbi bene animaduertit* Heynius *vertere se, seu* verti solent. cf. *et* Eclog. 1, 29. Candidior postquam *tondenti* barba cadebat.

TONSAE: de remis; *a decutiendis fluctibus deriuat* Seruius; *ego malim inde duci, quia* remi *sunt* rami tonsi Aen. 7, 29. in lento luctantur marmore tonsae. *eleganter* luctantur — *nec minus* in lento marmore. *vide* Luctari.

TORQVERE, *allidere* Aen. 1, 112. Tres notus, abreptus in saxa latentia *torquet*. * *deflectere* Aen. 5, 738. *torquet* medios nox humida currus * *regere*, Aen. 12, 180. Cuncta tua qui bella pater sub numine *torques. sic et* Aen 9, 93. Filius huic contra *torquet* qui sidera mundi et Aen. 12, 158. Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine *torques*. &c. *Adde* Aen. 4, 269. *Similis phrasis est apud* Ciceron. de Nat. Deor. 1, 10. contorquere mundum. * *sustinere* Aen. 4, 482. Axem humero *torquet* stellis fulgentibus aptum. * *agere cum vi* Aen. 1, 121. illam ter fluctus ibidem *Torquet* agens circum et rapidus vorat aequore vortex. * Aen. 9, 671. Iupiter horridus austris *Torquet* aquosam hyemem. *elegans, ad rem exprimendam lectum vocabulum; simili fere suauitate* Aen 7, 666. Ipse pedes tegmen *torquens* immane leonis. * *excitare* Aen. 4, 583. Adnixi *torquent* spumas et caerula verrunt. *Perbelle* spumas torquent, *quoniam, quo plus naui laboratur*, eo *magis quasi spuma vexatur*.

TORRENS Aen. 9, 105. idque ratum Stygii per flumina fratris Per pice *torrentes* atraque voragine ripas. Adnuit, et totum nutu tremefecit olympum. *Seruius* torrentes *explicat* ardentes, *male!* torrere *non est* ardere, *transitiue s. flagrare;*

grare; ſed vrere, *actiue*, Statius Silv. 1, 2, 97. *torrentes* ſanguine campi i. *vndantes, fluentes, vt* loca fluentia tabo. cf. Ecl. 7, 652. *Notum eſt*, flumen *etiam dici* torrentem. i., *rapide currens, et ager, ſeu ripa, in qua fluit flumen, aeque ac* fluuius fluens &c. *Vltima verba* nutu tremefecit Olympum, *ſunt illa Homerica* Iliad. α, 530. μεγαν δ' ελελιξεν ὀλυμπον.

TORNVS, *inſtrumentum fabrile, quo tornatur* Ecl. 3, 38. Pocula ponam Fagina, caetatum diuini opus Alcimedontis: Lenta quibus *torno* facili ſuperaddita vitis Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos. *Vide talem poculorum deſcriptionem apud Theocritum* Id. 1, 29. ſqq. *ibi* περι μεν χειλη μαρυεται ὑψοθι κισσος Κισσος ἐλιχρυσω κεκονισμενος, ἁ δε κατ' αὐτον Καρπω ἐλιξ εἱλειται αγαλλομενα περοκοεντι. *In explicatione vero loci Virgiliani facile aſſentimur* Burmanno *et* Heynio, tornum *intelligentes non de inſtrumento, quo efficta fuerit figura vitis, ſed torno rotundatum poculum erat et politum.* facili torno, *ad exprimendam artificis peritiam et artem in leuigando illo poculi, et* Heynii *ratio praeſertim placet, qui hoc tantum exprimere voluiſſe poëtam putat, ab artifice manu factum illud poculum fuiſſe.* facilem tornum *ſumas itaque de opere polite tornato. At quod* Heynio *placuit, diſtungendum eſſe ſuperadditum, ita vt ſit* vitis addita ſuper torno facili, *non neceſſe puto; facilior eſt haec interpretatio: pocula caelata, in quibus ſcilicet torno facili h. e. planae et leuigatae ſuperficiei coelo ſuperaddita erat vitis lenta ſeu vt tenuis illa eſt et flexuoſa. Ita et ſua pocula laudat Damoetas* v. 45. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit: Et molli circum eſt anſas amplexus acantho. mollis acanthus Georg. 4, 137. *de*

natura eius, exprimit vero artem artificis, qui sic frutices illas expressit, vt omnem suam naturam retinuisse viderentur: nec minor est elegantia poëtae, dum describit figuras, ipsum illud narrans, quod imagine tantum facere illae figurae videbantur. sic pulchre Theocritus in l. c. *sic quoque Homerus* Iliad. Λ, 631. sqq. *quem locum, miror, non ab aliis notatum fuisse.* δεπας περικαλλες — χρυσειοις ηλοισι πεπαρμενον, κατα δ' αυτε Τεσσαρι εσαν, δοιαι δε πελειαδες αμφις ἑκαζον χρυσειαι νεμεσσητο, δοιω δ' υπο πυθμενες ησαν. *In loco Virgilii* v. 39. explicat se et serpit vitis super racemos hederaceos c. *vestit diffusos corymbos ex hedera pallente*; pallens, *quia et genus est hederae albo colore.*

TORTVS, tortum verber Aen. 7, 378. Ceu quondam *torto* volitans sub verbere turbo Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent &c. tortum verber *est* πλαγη s. *impulsio, quae fit manu in orbem agenda. Nam postea dicitur* actus habena, *vt funda quae rotatur.* turbo *est globus e buxo aut simili arbore, ein Kreisel. Comparatio vero illa* longe *excellentissima est, eoque maiorem laudem ingenio* Virgilii *parat, quia non aliunde expressa, sed inuenta* est. *Qualis imago furentis feminae, quae adeo curis et furiis rapitur, vt a verbere* turbo! *vehementia doloris simul cum celeritate rapida exprimitur, qua infestant innumeri et grauissimi dolores illius pectus.*

TORVS, Aen. 4, 659. Os impressa *toro; qui fuit ritus morientium* conf. eund. libr. vers. 497. * *riparum* tori *sunt* ripae *ipsae, similes toris; scamnis* Aeneid. 6, 674. Riparum *toros* et prata *recentia* riuis Incolimus. *vide* Recens.

TORVVM clamare; *audacter, ab adspectu translatum*

latum Aen. 7, 399. natae Turnique canit hymenaeos Sanguineam torquens aciem; *toruumque* repente clamat. *potest vt diximus eo vocabulo simul indicari vultus ille clamantis horride, qui* toruus *adspectu.*

TORVVS, *proprium epitheton leaenae, truculentae scilicet et aspectu terribilis* Ecl. 2, 63. *Torua* leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam Florentem cytisum sequitur lasciua puella Te Corydon, o Alexi. *Expressit Theocritum, qui* Idyll. 10, 30. *sic* Ἁ αἰξ τον κυτισον, ὁ λυκος ταν ἀιγα διωκει Ἁ γεραανος τωροτερον. εγω δ' επι τιν μεμανημαι, *multo commodius et elegantius, quam ille, vt recte ibi admonuit* Heynius. * torua facies *inter notas bonas vaccarum* Georg. 3, 51. Optima *toruae* forma bouis cui *turpe caput.* v. 58. faciem tauro propior.

TOTVS, Aen. 4, 363. *totumque* pererrat luminibus tacitis. *Sc. Aeneam; finge tibi vultum aspicientis aliquem, a capite ad calcem sensim deiectis oculis et reiectis, tacite per omnia oculis lustrantem. Longe suauissima est tota illa scena, sed hi versus palmam fere omnibus praeripiunt, pingentes rem tanta cum veritate quanta summis modo contigit poëtis;* Talia dicentem iam dudum auersa tuetur, Huc illuc voluens oculos totumque pererrat Luminibus.

TRABALIS: Trabale telum *est telum magnitudinem trabis habens* Aen. 12, 294. Messapus teloque orantem multa *trabali* desuper altus equo grauiter ferit. *de more* veterum vatum: ὑπερβολικως.

TRACTABILIS, *mobilis, inconstans* Aen. 4, 53. Quassatae rates, dum non *tractabile* coelum. *elegans vox, et poëtice suauiterque exprimens coeli tempestates mare infestantes;* tractabilis *est quicum facile agi potest.*

TRACTIM, *de languentibus apibus* Georg. 4, 26c.

260. Tum sonus auditur grauior *tractim*que susurrant. *alii intelligunt, sine intermissione, alii, per totum alueum, ab vno angulo ad alterum. Mihi videtur expressisse poëta sonum languentem gementium proprium et luctuosum, non clarum aut abruptum, et fortem.*

TRACTVS, *de flamma circumeunte* Aen. 2, 683. visus — fundere lumen apex *tractu*que innoxia molli Lambere flamma comas et circumque tempora pasci. *Sunt qui legant* tactu *pro* tractu, *quod non probo, quia voc.* tractus h. l. *ad rem magis accommodatum, sicut reliqua omnia verba docte delecta sunt, et scite*: Fundere — molli tractu — lambere — pasci — *vide voc.* Apex.

TRAHA, *instrumentum triturae* Georg. 1, 164. Tribulaque *trahae*que et iniquo pondere rastri.

TRAHERE vitam, *bene de infelici, tristi* Aen. 2, 92. Adflictus vitam in tenebris luctuque *trahebam* Et casum insontis mecum indignabar amici. *Nota inprimis h. l. numeros aptos dolori, et oculis quasi loquentem tristem subiicientes.* * Georg. 3, 485. omnia in se *trahebat* fluidus liquor i. e. *maior erat tabi pars in corpore circum ossa fusi, in quo ea iam quasi notabant, dum minutatim resolueren-tur.* * trahi *eleganter tempus dicitur, quod vna serie et ordine interrupto sequitur semper antecedens.* Georg. 4, 393. quae sint, quae fuerint, quae mox ventura *trahantur. pulchra imitatio Homerici versus Iliad.* A. 70. ὡς ἠδη τὰ τ' ἐοντα, τὰ τ' ἐσσομενα, πρὸτ' ἐοντα. * Georg. 1, 235. quinque zonae quarum vna — torrida — Quam circum extremae dextra laeuaque *trahuntur* caerulea glacie concretae atque imbribus atris. *pingens oratio.*

TRANARE *belle de volante.* Aen. 4, 245. Et turbida *tranat* Nubila.

TREMERE, *signate de membris, moribundis* pal-

palpitantibus, quod proprium in hac re vocabulum Aen. 3, 627. Vidi atro eum membra fluentia, tabo. *De Cyclope deuorante homines. bene* trepidi artus *ad reddendam horribiliorem imaginem. Tota descriptio huius Cyclopis atque eius immanitatis, vere poëtica est, et rem horrendam horrenda pingit pictura. Sed tota vero etiam illa imago et historia expressa est ex Homera* Odyss. IX. *vbi res narratur. Fuere et alii postea poëtae, qui hanc rem versibus depingerent, et quorum nonnulla imitatus est Virgilius. Plura volentes conferre cum hoc loco bene poterunt et cum voluptate* Ouid. Metam. 6, v. 270. &c. *Caeterum vereor ne vt dicere cogar de illa narratione Achaemenidis, et iudicium ferre, quod ab consilio huius libelli abhorreret, Amando eum, qui plura cupit, ad Francogallum le Bossu de carmine epico* Lib. 3, c. 6. *Plurimum iuuabit ipse venusti et elegantiarum sensus.*

TREPIDARE, *currere, accurrere cum trepidatione* Aen. 2, 685. Nos pauidi *trepidare* metu, crinemque flagrantem Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes. *vide voc.* Apex. *Ita et vt sit festinare* Aen. 9, 114. ne *trepidate* meas Teucri defendere naues (*vid. hanc vocem* in I. Part. Clav.) *ne currite huc et illuc, festinantes, vt defendatis naues. Ita centies* trepidare, *vt* Aen. 4, 121. Dum *trepidant* alae *&c.*

TREPIDVS, *pro trepidante h. e. festinante* Aen. 8, 666. nos procul inde fugam *trepidi* celerare recepto supplice. *sic etiam* Aen. 9, 233 Accepit trepidos ac Nisum dicere iussit. *vid.* Trepidare * *de festinante et cursitante rapidis pedibus, eleg.* Aen. 8, 15. Extemplo turbati animi simul omne *tumultu* coniurat *trepido* Latium. *bene* trepidus tumultus. * Trepidus *adiunctam habere festinandi notionem notum est* Georg. 4, 69. Continuoque animos

vulgi

vulgi et *trepidantia* bello corda licet longe praescisse h. e. *tum flagrant belli cupiditate.* ibid. v. 73. tum *trepidare* inter se coëunt. * Georg. 1, 296. trepidus ahenus, *eleganter de bulliente.* * Aen. 12, 589. illae intus *trepidae* rerum per cerea castra discurrunt. trepidae rerum, *ad graecismum.*

TRIDENS, *ex lectione* Burmanni, *ni fallor, minus vera* Aen. 5, 143. Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit conuulsum remis rostrisque *tridentibus* aequor. *antea, et in omnibus aliis codd. et Editionibus legitur* rostrisque stridentibus, *quam lectionem, quare mutemus, non video: accedit vt plane ita legatur alio loco* Aen. 8, 690. Heinsius *tamen, quem sequitur Burmannus, solicitare hanc lectionem ausi sunt; et volunt respici ad rostrum prorae affixum. Quaeris causam mutationis? nulla profecto est, nisi quod repertatur apud* Val. Flacc. 1, 688. Innuditque solum, et spumas vomit aere *tridenti, et* trifidum rostrum *commemoretur a* Silio 6, 358. *Tali causae quis cedet. Effuderunt* Heinsius *atque* Burmannus *doctrinae copiam, at nihil aliud, nisi ostenderunt, si inueniretur illa lectio, non temere esse eam abiiciendam, sed recipiendam eam contra omnem fidem Codd. atque* Prisciani, *qui nobiscum eandem tenet lectionem, nihil probarunt, nec potest probari.*

TRISTIS, *infelix, vt saepissime apud poëtas.* Aen. 2, 184. nefas quae *triste* piaret. *vide* Piare. * *amarus* Georg 1, 75. tristis lupinus. Georg. 2, 126. tristes succi, *addit* tardum saporem. *vid.* Tardus. Georg. 2, 247. At sapor indicium faciet manifestus, et ora *Tristia* tentantum sensu torquebit amaror. *Transtulit epitheta vates non sine iucunditate; sapor manifestus indicium faciet, pro indicium manifestum: sic et cum* tristem sensum *vellet exprimere,* tristia

tristia ora *dicit* tentantum h. e. *gustantum et eleganter* torquebit, *tardus enim sapor acerbus et palatum configit* Georg. 3, 448. Aut tonsum *tristi* contingunt corpus amurca. * Aen. 10, 612. Sollicitas aegram, *tristem, dolentem, animo aegram* et tua *tristia* dicta, *increpationes, iurgia* timentem.

TRIVIA, *de viis vrbis* Aen. 4, 609. Nocturnis Hecate *triuiis* vlulata per vrbes. *Vult* Cerda *triuiv vias quascunque vrbis intelligere, quicum consentio.*

TROPAEVM, *quale fuerit, quomodo de more instructum, disci potest ex* Aen. 11. 5. sqq. Ingentem quercum decisis vndique ramis Constituit tumulo (*Notauit iam* Cerda, quercum *ad excitanda tropaea in vulgari vsu fuisse*) fulgentiaque induit arma, Mezenti ducis exuuias (*de more ducis arma spolia opima in tropaeo affixa*) tibi, magne, *tropaeum*, Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas, (i. e. *affigit cristas sanguine consperſas, eleg.* rorantes) Telaque trunca viri, et vix sex toraca petitum (*ab Aenea in certamine, ante quam Mezentius vinci posset, non hic cum* Servio *respiciend. putem ad morem, quo interempti duces ab omni exercitu vulnerabantur coll. Homer. Iliad. X.* 370. *et duodecim Tusciae populi partes*) clipeumque ex aere sinistrae Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum. *de* capulo *intelligit* Barthius ad Stat. Theb. 3, 88. *Monet bene* Burm. *conferendum hoc tropaeum esse cum epigrammate primo* libr. 1. cap. 3. anthologiae, *ibique* conf. Obsopaeum.

TVMDEMVM; *nouissime cum vi quadam et efficacia* Aen. 12, 6. Tumdemum monet arma leo, gaudetque comantes Excutiens ceruice toros: *nouissime, demum, vbi fuerit vulnere lacessitus. Haec enim natura leonum est, vt nisi lacessiti irasci nequeant* Aen. 12, 6.

TVME-

TVMERE Georg. 2, 324. Vere *tument* terrae et genitalia semina poscunt, tument *commode dictum, terra enim soluta et frugi ferendo matura, a pubertate puellarum translatum. vid.* Cerda.

TVMESCERE, *de tumultibus et bellis* Georg. 1, 465. Sol etiam coecos instare tumultus Saepe monet Fraudemque et operta *tumescere* bella. *Vt inundationes enim et calamitates timendae, si mare aut fluuii tumescunt, sic et de belli periculis imminentibus.*

TVMIDVS, *epitheton serpentum commune, quod* tument *veneno* Aen. 7, 472. Frigida sub terra *tumidum* quem bruma tegebat. *et ita alibi.*

TVRBARE omina, *est polluere, finistra omina et infelicia reddere; quod verbis* male ominatis *et pluribus infelicitatem significare creditis rebus fieri solebat, vt* v. 5. hostili facie. Aen. 3, 407. ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum Hostilis facies occurrat, et omina *turbet.* * *perturbare* Aen. 12, 556. Ocius, et subita *turbaret* clade Latinos. * *violare* Aen. 12, 633. foedera *turbasti* teque haec in bella dedisti.

TVRBIDVS: *plenus terroris et perturbationis* Aen. 12, 15. Tum sic adfatur regem, atque ita *turbidus* infit.

TVRPIS, *deformis, portentosus* Georg. 3, 52. Cui *turpe* caput, *lata frons;* sic v. 247. informes vrsi *vasti et truces, vt bene* Cerda. Georg. 4, 395. turpes phocae, *de magnitudine intelligit* Seruius. * *est quasi epitheton senectae, cui quod alias gratum est, non amplius placet.* Georg. 3, 96. vbi aut morbo grauis aut iam segnior annis Deficit, abde domo; nec *turpi* ignosce senectae Nec turpi *coniungi volunt alii, sed male;* Heynius *optime e poëtarum ratione explicat senectae, cui turpe est, huic se rei dare. similiter* Horatius Lib. 3. od. 5, 6. Milesne Crassi coniuge barbara *Turpis* mari-

maritus vixit? * Georg. 3, 299. turpis podagra, *de clauo interpretantur optimi.* ib. 441. turpis scabies, *quae deformat.* ibid. 557. In stabulis *turpi* dilapsa cadauera tabo.

TVRRIGERA vrbs, *de bene munita* Aen. 7, 631. Ardea, Crustumerique et *Turrigerae* Antemnae. * Turrigerae vrbes, *belle et poëtice de vrbibus, quae colunt* Cybelen; *illa enim pingi solita turrim in capite gestans, inde quae vrbes hanc Deam venerabantur templaque ei statuerant,* turrigerae *dictae; i. habentes simulacra huius Deae talia, qualia diximus, vide voc.* Turritus in Claue Ouid. Aen. 10, 253. Cui Dindyma condi *Turrigerae*que vrbes biiugique ad frena leones. *namque* Hanc (*Deam*) veteres Graium docti cecinere poëtae Sedibus in curru biiugos agitare leones. Lucret. 2, 601. *eleg. et exquisite* ad frena biiugi, *frenis coerciti. similia loca attulit ad h. l.* Cerda.

TVRRITVS, puppes turritae Aen. 8, 693. *sunt iam memoratae ab* Polybio; *male igitur* Seruius *dicit, primum Agrippam hoc genus inuenisse. Est autem nauis cum turri, qualem Pollux* pag. 28. *memorat* ἐχεσα πυργιδια δυο. * *de Cybele* Aen. 6, 785. Qualis Berecynthia mater inuehitur curru Phrygias *turrita* per vrbes. Ouidius in Fast. *dicit.* primis turres vrbibus illa dedit. cf. *praeced. voc.* Turrigera, *atque idem vocab. in Claue Ouid.*

TVTVS: *de eo quod tutum reddit* Aen. 4, 87. portusue aut propugnacula bello *Tuta* parant.

TYMPANVM, *rota ex solidis tabulis composita, sine radiis* Georg. 2, 444. hinc radios triuere rotis, hinc *tympana* plaustris.

V.

VACVVS: *postulant poëtarum artes, vt si delectari iis voluerimus, vacuam mentem afferamus a negotiis serioribus atque curis, vnice otio de-*

diti. Hinc saepius huius rei apud poëtas sit mentio. vid. P. I. vacuus *et* vaciue. Georg. 3, 3. Caetera quae *vacuas* tenuissent carmina mentes. *bene etiam* tenere, *delectationem exprimit.* * Georg. 3, 143. *dum saltus vult exprimere, quibus otiosae possint pascere grauidae vaccae, atque sine impedimento, remotae ab aliis armentis, etiam a maritorum molestia, vt* Philargyrius *exponit;* vacuos saltus *nominat. Magnos explicauit* Seruius, *quem* Cerda *sequitur, at minus bene.* Vacua nemora *alias apud poëtas pro asylo et iucunda quiete.* * Aen. 12, 476. Et nunc porticibus *vacuis* (*magnis, explic. nonnulli*) nunc tumida circum stagna sonat.

VAPORARE *actiue* Aen. 11, 481. Succedunt matres et templum ture *vaporant. Expressa est vero tota illa ambitio deae et tota res ex Homer.* Iliad. ζ. 305. *oratio vero magis translata est, quam ad effigiem expressa*

VASTVS, dare vasta, *pro* vastare, Aeneid. 9, 323. Haec ego *vasta dabo* et lato te limite ducam.

VBER, *pro humo s. agro quocunque* Georg. 2, 233. rarum pecorique seu vitibus almis Aptius *vber* erit. * *pro vbertate* Georg. 2, 185. fertilis *vbere* campus. * Georg. 2, 275. si pinguis agros metaberis campi Densa sere: in denso non segnior *vbere* Bacchus. *Non satis apte* vber *hic pro solo sumitur, vt sit* in denso vbere *s. solo, quod placet quibusdam interpretibus; de denso enim solo vix loquitur poëta, de pingui disserens,* conf. 248. *vid.* Cerda *ad* v. 229. *Densa magis Cereri rarissima quaeque Lyaeo vid.* 227. Densum *itaque hic aut absolute positum, dicamus, aut subintelligendum est ordine, vt* densa *ante, In denso, h. e. si dense seruntur vites, quod pingui in agro fieri debet, tamen non segnior est vbere Bacchus, non propterea*

ptérea fertilitas minor; vites enim haud multum succi desiderant, et si ager pinguis, vt ne vites tum pampinis luxurientur (Colum. 3, 13.) *dense serendae sunt, vt succus soli non abundet.* * Vber, *substantia, fertilitas* Aen. 1, 535. Terra antiqua, potens armis atque *vbere* glebae. *Ita et* Aen. 7, 262. Non Votis rege Latino diuitis, *vber* agri Troiaeve opulentia deerit.

VELIVOLVS: mare veliuolum, *in quo vela volant.* Vrsinus *putat hoc vocab. mutuatum poëtam esse ex* Liuio Andronico. Aen. 1, 228. Iupiter aethere summo Despiciens mare *veliuolum. proprie h. l.* despiciens; *ex alto spectans.*

VELLERE signa, *quia mos erat, vbi ad pugnam proficiscebatur, affixa enim signa humi in castris, de ipso exitu ad proelium* Aen. 11, 19. Ne qua mora ignaros, vbi primum *vellere* signa Adnuerint superi, pubemque educere castris Impediat. Adnuerint superi; *belle, namque augurium erat in* vellendis signis, *num bene sequebantur, aut aegre extrahi possent; de quo plura ex* Liuio *mihi occurrunt, quae tamen taceo.*

VENABVLVM, Aen. 4, 131. Retia rara plagae lato *venabula* ferro.

VENENVM, *Φαρμακόν, de quouis succo, acriore imprimis, hinc de colore purpureo* Georg. 2, 465. Alba neque Assyrio fucatur lana *veneno.*

VENIRE, *futurum esse, vt est* Georg. 1, 29. Ait Deus immensi *venias* maris. * *crescere* Georg. 1, 54. Hic segetes, illic *veniunt* felicius vuae. * *prouenire, inueniri* Georg. 1, 145. tum variae *venere* artes. * Aen. 1, 26. Hinc populo late regem belloque superbum *Venturum* excidio; *ad excidium.*

VENTOSVS, lingua ventosa; *eleganter.* Aen. 11, 390. an tibi Maurae *Ventosa* in lingua pedibusque fugacibus istis semper erit?

VERBA Georg. 2, 129. non innoxia verba, *loquitur de incantationibus. Quam vero eleganter hic omnia, vates quae interserit!*

VERBER Georg. 1, 309. stuppea *verbera* fundae torquere; *poëtice dictum pro* iacere fundum. Baleāris funda, *quia incolae Balearium in ea arte principes habiti, vnde et nomen insularum ductum demonstrat h. l.* Cerda.

VERRERE, *cum insigni vi pingendi de ventis, qui rapidi omnia secum abripiunt, et quasi vacuis locis relictis trahunt.* Aen. 1, 67. Venti — maria ac terras coelumque profundum Quippe ferant rapidi secum *verrant*que per auras. *Male mihi videtur* Seruius *ducere translationem a* rete, quod verriculum dicatur. cf. h. voc. in I. Sectione Part. II. Clav. *et sic* verrere *et alibi, vt* Aen. 2, 290. &c. * Aen. 1, 428. Et *versa* pulvis inscribitur hasta, i. e. *tracta, vt explicat* Seruius.

VERSARE Eclog. 10, 68. Aethiopum *versemus* oues i. e. *agemus, pascamus oues inter Aethiopes. Imitatur graecum* πολεῖν. * versare dolos, *exigere* Aen. 2, 62. in vtrumque paratus Seu *versare dolos*, seu certae occumbere morti. * *vertere*, s. *euertere* Aen. 7, 336. tu potes inanimes armare in proelia fratres, Atque odiis *versare* domos. * versare, *intell. animum, circumspicere* Aen. 4, 286. In partesque rapit varius perque omnia *versat*. * versare volumina, *belle* Aen. 11, 753. saucius at serpens sinuosa volumina *versat*. *vide* Volumen.

VERSVS, *pro ordinibus arborum, graeci* στίχοι. Georg. 4, 144. Ille etiam seras in *versum* distulit vlmos. *hic locus de transplantatione arborum iam adultarum optime intelligitur.*

VERTERE Georg. 3, 148. Cui nomen Asylo Romanum est, oestrum Graii *vertere* vocantes. *Miraberis merito, quantopere hic nugati sint interpretes,*

pretes, cum essent oblivi, poëtam non adeo ponderari velle sua verba, quam Philosophus taciturnus. Nihil vero rimandum in voce vertere, *nam quod ii faciunt, qui ex aliena lingua in suam transvertunt, vt quaeque nomina suis insigniant nominibus, idem facere graecos dicit loco nostro, cum* asylum *reddunt aut vocant* oestrum. *Tanti refert cognouisse cum Antonio* (Cic. de Orat. L. 2. c. 14.) *poëtas alia quadam lingua loqui.* * *pro* euertere Aen. 1, 24. Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci Audierat, Tyrias olim quae *verteret* arces. * verti *bene de eo, qui agilem se praebet et modo huc modo illuc se conuertit* Aen. 7, 784. Ipse inter primos praestanti corpore Turnus *Vertitur* arma tenens, et toto vertice supra est.

VERTEX Georg. 1, 242. premitur Libyae deuexus in austros Hic *vertex* nobis semper sublimis ad illum, sub pedibus styx atra videt. πολος *graece*, sublimem *vocat arcticum, antarcticus* profundus. Georg. 2, 310. si tempestas a *vertice* siluis incubuit h. e. *desuper de coelo*, quae ignem a summis oleastris deiicit in vites. *Ab ipsis cacuminibus explicat* Pomponius, *aliter* Servius, *et* Burm. *aliter; sed non bene. vid.* Heyniun. cf. Georg. 1, 324. * Aen. 1, 118. ingens a *vertice* pontus In puppim ferit; *magna copia aquae ferit puppim; sed quid est*, a vertice? Cerda *explicat* ex alto, *vt resp. Graeco* ὑψοθεν. *sed hoc sensu voc.* vertex *his contextis non accipiendum videtur. Alii interpretantur* a vento, *Sed nec hoc placet.* Ruaeus *explicat vndam, a prora in puppim subuersam nauim, et proram posse dici* verticem, *quia, licet puppis sit altior, prora tamen facilius tolli potest impetu fluctuum. Quis assentitur? Et quidquid habent interpretes, non mihi satisfacit. Quid multa? Le-*

gendum ego coniicio ingens a vortice pontus. *Iam omnia clara. conf. inprimis* vers. 121. *vbi* rapidus vortex. *Accedit vt vocc.* vortex *et* vertex *saepissime confusa leguntur, id quod ipse Burm. ad vers. cit. notat.* vortex *dicitur circumacta in se vnda, et quae quasi sorbere videatur; quae notio confirmat emendationem meam.*

VESCI aura, *pro* viuere, *noue* Aen. 1, 550. si *vescitur* aura Aetherea. *Sic et* Aen. 3, 339. Quid puer Ascanius superatne et *vescitur aura?*

VESCVS Georg. 3, 175. *vescae* salicum frondes *tenerum et exile explicat* h. l. Philargyrius, *id proprie esse* vescum; Georg. 4, 131. *Vescumque* papauer, *parua grana habens.*

VESTIBVLVM Georg. 4, 20. palmaque *vestibulum* aut ingens oleaster inumbret. *Eleganter sic locum nominat, vbi posita aluearia. Bene* Pomponius ante aluearia. *Vestibulum enim proprie locus apertus ante aedes.*

VESTIGARE, *est inquirere; translatio a canibus, qui per vestigia et pedum signa ferum indagant.* Aen. 12, 482. *Vestigat*que virum et disiecta per agmina longa. * vestigare oculis alte; *de sollicita cura quaerentis, belle!* Aen. 6, 145. Ergo ante *vestiga* oculis.

VETVS; *eleganter pro* solito Georg. 1, 378. *Veterem* in limo ranae cecinere *querelam. Probant hoc in loco* Seruius *et* Gerda, *quam facile ineptiri possit in rebus, quibus sapere vltra sensum vulgi non licet. Eleganter vero hac ratione exprimit poëta fastidium, cum meminisset ranarum coaxantium.*

VEXARE Ecl. 6, 76. scylam dulichias *vexasse* rates. *Nihil leuiter hic dixisse Virgilium, quamquam euertisset classem Sylla, probat Gellius 2, 6. est enim rapere, distrahere.*

VIA *pro ratione, indole, atque habitu.* Georg. 1, 418. Verum vbi tempestas et coeli mobilis humor Mutauere *vias* et

Iuppiter humidus auſtris Denſet (*hanc lectionem e MSS. probat* Cerda) erant, quae rara modo. i. e. *ſi coelum et aer mutatur, quaſi aliam ingreditur rationem atque viam.* **ars, ratio, experientia.* Georg. 2, 22. ſunt alii (*modi arborum creandarum*) quos ipſe *via* ſibi reperit vſus. *Induſtria et obſeruatio hominum arte quadam effecit propagationem arborum, inſitione e. gr.* * Georg. 2, 278. Omnis in vnguem Arboribus poſitis ſecto *Via* limite quadret, viae (*interſtitia congruant, h. e. pariter procedant, nec deflectant in diuerſum, ſed ſecto limite, ſeu linea ducta aequalem ordinem ſeruent.* Quadratum *vero ordinem hic reſpici, monent interpretes docti.*

VIBRARE, *de volubilitate linguae ſerpentum* Aen. 2, 211. ſibila lambebant linguis *vibrantibus* ora. Plinius *de lingua ſerpentum* libr. 1. epiſt. 37. tenuiſſima ſerpentibus et triſulca, vibrans, atri coloris. *vide* ſufficere. *Aen. 12, 100. *Vibratos* calido ferro myrrhaque madentis.

VICES *de pugnis, quia per viciſſitudinem pugnatur, vt recte* Sernius Aen. 2, 433. Teſtor in occaſu veſtro nec tela nec vllas Vitauiſſe *vices* Danaûm; et ſi fata fuiſſent, vt caderem, meruiſſe manu. Statius *plene dicit* Theb. 10, 749 belli tentare *vices. De variis lectionibus nihil dicam, cum vulgata mihi ſatis certa eſſe videatur. bene* meruiſſe manu, vt caderem; *fortiter pugnando, et interficiendo hoſtes.* **pericula, fata* Aen. 3, 376. Sortitur voluitque *vices, pericula enarrat: ſic et alibi* voluere, *quod vide.* * vices ſortiri Aen. 3, 634. nos magna precati Numina *ſortitique* vices, vna vndique circum Fundimur. h. e. *quo quis loco ſtaret, aut quid quisque in hoc negotio muneris obiret. Expreſſit vero poeta hac phraſi illud Homericum:* τὰς ἄλλας κλῆτας πεπαλάχθαι ἄνωγον. *In eadem narratione, in*

qua omnino Virgilius Homerum aemulatur. * Aen. 9, 164. Discurrunt variantque *vices* fusique per herbam Indulgent vino. i. *alternis excubias et alia munera militaria obeunt, succedentibus aliis et aliis; vt etiam* vers. 175. *vide* Burm. *ad h. l. et ad* Ouid. Met. 1, 626. *Ceterum et archetypon huius imaginis excubiarum habes apud Homerum* Iliad. libro 10: ὑι δ' ὁτε δὴ φυλακεσσιν ἐν ἀγρομενοισι γενοντο, Οὐδε μεν κ. τ. λ.

VICTOR, *effector propositi et voti, ita* Seruius. *Et sane de magna re, et plena honore, loquens poeta eleganter hac voce vtitur.* Georg. 3, 9. tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo, *victor*que virûm volitare per ora. cf. Herod. 2, 20, 4. inuidiaque maior vrbes relinquam. * ib. 17. Illi *victor* ego — Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus. *Loquitur iam de eo poeta, quod non tantum e certamine cum Musis graecis palmas referre vellet, sed etiam, quod solemne erat victoribus, ex illis ludis* (*vid.* Heynium *ad h. l.*) *templum aedificare, victoriae monumentum, illudque Caesari dedicare, in cuius honorem et vellet ludos celebres instituere. sic nihil insolens in omni illa oratione poetae, vt docte demonstrauit* Heynius. *Cetera sub* ostro *admonuimus.* *victor *de eo, qui magnis periculis exhaustis voti tandem compos fit,* Aen. 3, 439. Sic denique *victor* Trinacria fines Italos mittere relicta.

VIGILANDVS Georg. 1, 313. tempora vigilanda viris *h. e. quae obseruare vigilanter et prouidere debent homines.*

VIGILIS, *apud quem vigilatur, vt ne exstinguatur* Aen. 4, 200. Centum aras posuit *vigilem*que sacrauerat ignem.

VILIS *ex frequentia et copia* Georg. 1, 227. *vilis* faselus. ibid. v. 274. vilia poma.

VINCERE Georg. 2, 518. Annus Prouentuque oneret

ret sulcos, atque horrea *vincat. horrea non sunt capacia frumentorum* Georg. 1, 49. immensae ruperunt horrea messes.

VINCIRE, *bene de cothurno circumdante suras*, Aen. 1, 340. Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram Purpureoque suras alte *vincire* cothurno. *recte* alte, *quia cothurnus excurrebat per tibiam, et* purpureus color *Laconum quibus se Venus assimilauerat, calceamentis proprius, vt docet Pollux.*

VINDEMIA, *pro vitibus et fructibus earum.* Georg. 2, 89. Non eadem arboribus pendet *vindemia* nostris Georg. 2, 522. et alte Mitis in apricis coquitur *vindemia* saxis.

VIOLARE, *maculare* Aen. 12, 67. Indum sanguineo veluti *violauerit* ostro. cf. Hom. 4. Iliad. v. 141. ων δε ὁτι τις ελεφαντα κ. τ. λ. *Olim ebur infici solitum purpureo colore, multa clamant, quae hanc artem fuisse conuincunt, etiamsi apud nostros non reperiatur.*

VIOLENTIA, *ira et quidem magna, ardens* Aen. 11, 376. Talibus exarsit dictis violentia Turni.

VIR, *homo qui est puris moribus, opponitur mollibus atque effoeminatis libidine* Ecl. 3, 7. parcius ista *viris* tamen obiicienda memento. *Tu me increpas, sed hoc sane tacere non deberes, cum maiori vitio culpandus, libidine scilicet sis infamis.* Nouimus et qui te, *subintelligi vult* corruperit. * vir gregis ipse caper. Ecl. 7, 7. *non insolita dictio apud poëtas, qui et maritos et vxores narrant inter feras et pecora.* Theocr. Idyll. 8, 49. ιρανς λευκαν αιγαν ανερ. Ipse caper deerrauerat, *adeoque et hoedi totusque grex se segregauerat, bene* Heynius. *vid.* Ipse. * Vir *pro* heroë Aen. 1, 1. Arma *virum*que cano. *vide* voc. Arma. *ille autem* vir, heros, *cum* pius *fingatur*, insignis pietate vir vers. 14. ibid. *atque quasi* fundum

ponat totius Aeneidos illa pietas Aeneae, liceat mihi quaedam hoc loco communicare cum lectoribus doctis, quae in animo dudum obuersantia, diu multumque cogitata, iam aut probationi aut refutationi eruditorum virorum trado; antea (vide supra voc. Pius) saepius timide tergiuersatus. Ingrediens vero hanc causam deprecor inuidiam, eamque maleuolentiam, quae siniſtre omnia interpretans, quicunque iudicium ferentes de locis Veterum, vituperanda nonnulla censeant, eos Perraultiis similes nuncupat, atque male ominatis verbis onerare solet; cuius nuper triſte dedit exemplum auctor libri qui inscribitur: kritiſche Wälder, vbi vel acutiſſima Perilluſt. Klotzii iudicia et miſere intelliguntur, et ridicule reprehenduntur. Colo Veteres et amo, et diſco veram inde pulchritudinem, elegantiam, doctrinam, nec tamen is sum, qui eos menſuram ingenii humani expleuiſſe, et omni fuiſſe maiores errore, omnis humanae sortis expertes credam. Si qui sint forte, qui mirentur, quid sit, quod talia praemittam; timidum me profiteor aggredi reprehenſionem Virgilii. At vero iacta alea esto; et cum mare secemus, nimirum danda sunt vela.

Videtur mihi Virgilius, quamuis excellens, et summa ornandus laude poeta, in effingenda perſona Aeneae non satis et carmini suo et lectorum expectationi feciſſe. Fingitur Aeneas pius; qui quidem χαρακτηρ vereor, vt epici carminis regulis reſpondeat, et ne imbecillum aut nimis languidum illud reddat: Maculas credideriim aſperſiſſe non leues huic operi praeſtantiſſimo. Iam primum quaero, ſitne heros pius, minus efficax, minus idoneus ad conſtituendam principem totius carminis perſonam? — Mente equidem et cogitatione diiudicare hanc quaeſtionem

ſtionem non auſim; certas perſonarum formas ponendas duco, de quibus iudicium feratur. Poteſt heros pius talis fingi, additis multis animi atque mentis affectionibus, virtutibus et vitiis, vt efficax quam maxime idem ſit; quo fiat, vt pietas tantum abſit vt noceat, vt vltro nouum adiungere ſplendorem poſſit. Sed videamus de Aenea. Sola modo pietate inſignis eſt; aliaeque virtutes inde omnes naſcuntur.

Poſitum ſit inprimis, principem carminis epici virum talem effingi, qui noſtram συμπαθειαν, Intereſſe excitet, qui admirationem noſtram ſibi paret, agendo pro ſua ipſius ſalute nos reddat ſollicitos; euentum rerum incertum et timeat et ſperet, virtutibus et vitiis ſibi oppoſitis prodat, quam vocant, poëticam bonitatem, ſalem. Pingebat Homerus Achillem acrem, impigrum, inexorabilem, iracundum, talem Vlyſſem πολυτροπον, callidum, efficacem. Iam vero Aeneas ipſe quidem fere nihil agit; omnia iuſſa diuum, numinibus tectus efficit; virtutem heroicam, bellicam, aut alias admirabiles cernimus nullas. Quaecumque fuerint admiratione digna, Deos habent auctores, (non quemadmodum apud Homerum, qui Deos non detrahere patitur heroibus, potius augentes eorum praeſtantiam et virtutes inducit,) nec quae fiunt itaque ad laudem Aeneae conducunt, qui inſtrumentum modo Deorum experitur; quorſum et certamen in fine poëmatis iure ſuo referendum.

Dum effert humeris Anchiſen, incenſa Troia, pium ſe exhibet et agere incipit. Iam proficiſcitur, at numine Diuum iuſſus. Errat in mari, ſed non, niſi pia agit; plena omnia in toto opere ſacrificiorum, oraculorum, numinum adiuuantium; ipſe vero Aeneas ſequitur modo fata, non quaerit ſibi; non

non parat, vt Homerici heroes. Video insignem pietate virum (Aen. 1, 14.) multos adire labores, *sed non virtute superare, Diuum solo auxilio.*

Vix e conspectu Siculae telluris in altum Vela dat Aen. 1, 381. *iam ex nostro eripitur conspectu a poëta*, et Iuno, Aeolus, Venus, Neptunus apparent. *Bene quidem, atque ita etiam Homerus: sed quid agit, et vbi Aeneas? Ipse pater* pius *timet et precatur.* Extemplo (Aen. 1, 96) Aeneae soluuntur frigore membra. *Nec tamen eam scenam ego vituperem, dignam Aenea, si cogites orationem viri, praeferentis mortem in bello partam misero tali in vndis et gloriae experti excidio. Delatus post ad aras Libyae* (Aen. 1, 213.) Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem; *a Venere autem solatio accepto,* nube inuoluitur vers. 415. *Non nego, mihi causam non satis idoneam huius amictus esse, quam ponit poëta,* cernere ne quis eos, neu quis contingere posset, Moliriue moram, aut veniendi poscere causas. *Certe Vlysses eo amictu, ne tum quidem, cum accederet ingentem* πελωριον Polyphemum, *tegebatur; et longe aliae causae nebulas apud Homerum excitant. Prorumpit Aeneas ex nube, vbi tranquilla omnia et tuta videt, atque compellatus antea ab Achate. Optarem, non adeo timidum se gerere Aeneam.*

Benigne exceptus heros a Didone, narrat ei libro secundo *fata Iliaca, quem librum inter optimos Aeneidos dudum viri doctissimi habuerunt; atque profecto vnus fere est, qui* virtutem *bellicam Aeneae monstret eam, quam non ipsi Dii infundunt, pectus heroicum ipsum parit.*

Non eadem luce collustrata splendet persona Aeneae libro tertio. *Vbique cernimus regem subtimidum, anxie vbi-*

vbique quaerentem Diuûm auxilia atque opem sibi ipsi non fidentem. Actus ad litora Strophadum *bellum cum* Harpyiis gerit (3, 219. &c.) *at bonus heros eluditur. Edicit tamen ei Celaeno, poenam temeritatis, qua inuaserat volucres foedas; et qualem famem? longe atrociſſimam.* non ante datam cingetis moenibus vrbem, Quam vos dira fames, noſtraeque iniuria caedis Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas. — *Quid igitur Aeneas?* numina magna vocat, meritosque indicit honores. Dii prohibete minas, dii talem auertite caſum, Et placidi ſeruate pios. *Profecto* pios, *ſed et maiores* piis *optem vos eſſe. Mihi certe haud bene depingere* heroa magnum *illa ſcena videtur, ſi comparatur euentus huius oraculi* Aen. 7, 110. *Vereor ne riſum moueat bonus et pius heros. Hic pluribus abſtineo, conf. ſi placet interim ſupra voc.* Abſumere. *Nec tamen Aeneas timore ſe abſtinuit, verum paullo abhinc* Helenum conſulit verſ. 362. Fore age — — quae prima pericula cito Quidue ſequens tantos poſſim ſuperare labores. *Sed* prohibent Parcae, *quo minus Helenus, diuino ex ore ſacerdos oraculum* Harpyiarum *expedire poſſit. Effugit Aeneas monitu oraculi has terras, iactatur mari. Quae narrantur ab Achaemenide, longe pulchriora exponuntur ab Homero in Odyſſea. Aeneas vero* ſonitumque pedum, vocemque tremiſcit Cyclopum. *Non ita Vlyſſes.* cf. Od. α, 69. &c. Aen. 3, 590. 5, 46, 636. Od. 1, 513. ſeqq.

Quae libro quarto *aguntur, ad imitationem Homeri fieri, quis neſcit? Aeneas nempe Vlyſſes alter, Dido Calypſo pingitur* conf. Odyſſ. ν, 254. ſqq. *At vero qualia agit apud Didonem Aeneas? Nihil certe, quod heroem fingat atque oſtendat. Licet pulcherrimum illum cantum noua vsque cum voluptate perlegam, tamen*

ad

ad characterem Aeneae illustrandum nihil adfert. Relinquit amatam, at nullo apud se constituto consilio, non meditatus, vt graeci heroes κατὰ φρενὰ καὶ κατὰ θυμὸν, verum rursus numine coactus Iouis. Sequitur modo mandatum.

Liber quintus *constans mera Homeri imitatione, vti iam adnotauit* Seruius, *quamuis sit actuosus, non tamen praeter* pietatem *erga Anchisen mortuum quidquam monstrat, quod ad* formam *s. characterem Aeneae constituendum accedat. Vlysses simili fere constitutus conditione, quasi* agere ipsum *vbique, ei necesse esset, virtutem suam exserit* cf. Odyss. θ, 97. sqq.

Sexto libro oraculum timidum Aeneam denuo consolatur; et numinum tecto tutela datur pio filio Ire ad conspectum chori genitoris, *et* ora contingere. docetur Iter, et sacra ossia Ditis, Elysiique panduntur. *Ducitur heros per regna mortalibus non visa, sed quae videre quiuis mortalis, sibylla eadem comite, possit. Longe suauissimum iudico et hunc ipsum librum, et maximum magni ingenii poëtici artificium; sed dum disputo de* charactere Aeneae, *neque in illo libro nouam lineam illi imagini additam inuenio, quae* efficacem *prodat heroa.*

Apparet libro septimo *et reliquis alius heros, quicum certamen Aeneae est ineundum:* ante alios pulcherrimus omnes Turnus auis atauisque potens: quem regia coniux Adiungi generum miro properabat amore. *Sed* variis portenta Deûm terroribus. *Ergo non Aeneas, sed portenta impedimento sunt. Ita est! Quodsi* Turnum *comparamus cum Aenea, plane arripit sibi ille heros nostram* θυμικὰ θεσιν *vti etiam alii cum* Voltario *recte censuerunt.* Hectoris *quidem personam induit* Turnus; *nec vero tamen Aeneas per-*

sonam

sonam Achillis, *adeoque illa ex contrariis et paribus sibi relatis excitata ab Homero* συμπαθεια *frustra hic desideratur.*

Quaecunque etiam postea Aeneas agit, aut antea probe gnarus, se vinci non posse, aut armis diuinis instructus perpetrat; neque magis, ac antea se ipsum, qualis sit heros ostendit. Sed video, iam plura a me dicta esse, quam quae huius loci, et consilii mei erant, praetereaque tam amplam eam esse quaestionem, vt longiorem disputationem requirat. Neque ignoro, quae pro pio Aenea *solent proferri, et quae excusata sunt a Frantogallo* le Bossu *de* carmine epico libro 1. cap. 11. *quibus tamen diligenter excussis residet scrupulus, quem modo indicaui, sitne* pius Aeneas *nimis* pius, *et minus, quam decebat principem carminis epici personam, efficax. Paucis iam liceat mihi mentem meam significare, quam alio loco, et proxima quaque occasione vberiori explicabo disputatione: Placet,* mirifice placet Aeneis; parum placet, Aeneas. *Admiror* carmen, *cuius laudem non imminutam plane hac mea dubitatione velim, sed tamen alium optarim Aeneam, alium Turnum. Veritus ne mea haec liberior paullo sententia aduersarios nanciscatur, facessant nunc alia quaecunque in hanc meam causam proferre animus erat, quoad rationes ferent, vt, quae senserim, aut retractem, aut confirmare studeam: multa enim adhuc circumspecta vsus prouidentia, condita seruo.*

VIRGINEVS Georg. 1, 430. At si *virgineum* suffuderit ore ruborem, ventus erit. *Perelegantem subrubicundae lunae descriptionem hoc epitheto dedit Virgilius* illo loco, *cuius poëticum ingenium in iis rebus exornandis, quas alii modo ei subministrauerint, saepius admiror.* * vittae Virgineae, *de Minerua*

ua aeterna virgine Aen. 2, 168. *Virgineas* ausi diuae contingere vittas. * virgineus vultus *tribuitur Harpyiis* Aen. 3, 216. *Virginei* volucrum *vultus*, foedissima ventris Proluuies vncaeque manus et pallida semper Ora fame. *vide* Vncus, *et vocabulum* Virgineus *in Claue Ouid.*

VIROSVS, *tetri odoris. hoc enim proprie virus* Georg. 1, 58. virosa casiorea, *inter medicos nota.* * Georg. 1, 129. virus malum i. e. *venenum noxium.*

VIS, *inclementia, violentia* Aen. 1, 8. *Vi* superum, memorem Iunonis ob iram. * vis *de omni dici, quod contra leges, iustum est, iam notatum in Claue Cicer. Sic et* Aen. 3, 55. Polydorum obtruncat, et auro *vi* potitur. *non violentia cum* Seruio *dicerem.* * *de vulnere aut laesione* Aen. 3, 242. neque *vim* plumis vllam aut vulnera tergo Accipiunt (*de Harpyiis*). * *multitudo* Aen. 4, 132. Massylique ruunt equites et odora canum *vis.* * vis stygia, *lethargus aut potius mors* Aen. 5, 855. *Vi*que soporatum *stygia* super vtraque quassat Tempora, *cui vis inerat coniiciendi hominem in somnum aeternum.*

VISCVM, *est planta parasitica, quae in quercubus nascitur*, Eichmispel, *caule et ramis flauis, foliis viridibus. Non nascitur quidem hyeme tantum, sed optime conspicitur, horrentibus arboribus, nam ob flauum colorem pellucit, quasi aureum esset.* Fronde noua i. *semper viridi et velut noua. Ceterum e baccis albis* visci *coquitur* viscum aucupum, *vid. Burm. ad* Aen. 6, 205. Quale solet siluis brumali frigore *viscum* Fronde virere noua. cf. Gesn. Thes.

VITA, *ipsa naturae conditio. Sic saepius.* Georg. 4, 252. quoniam casus apibus quoque nostros *vita* tulit.

VITISATOR *noue* Aen. 7, 179. Italosque paterque Sabinus *vitisator*, cur-

nam seruans sub imagine falcem. *qui primus vites in Italia serere docuit.*

VIVAX Ecl. 7, 30. *Viuacis* cornua cerui, longissima enim cerui aetas celebrata apud poëtas; *Iuuen. Satyr.* 14. *coniungit longam et ceruinam senectutem. Subintell. in Virgilii illo loco* dicauit. * Georg. 2, 181. viuax oliua; πολυχρονιώτατον Theophrastus *vocat*, *et* tarde crescentem; *hanc ob rem dixit noster* v. 3. *vt Seruius obseruat.*

VIVERE Ecl. 8, 58. *Viuite* siluae. * *eleg.* Aen. 4, 67. Et tacitum *viuit* sub pectore vulnus. *vrit, agitat.*

VIVVS Ecl. 9, 2. O Lycida *viui* peruenimus aduena nostri — vt possessor agelli diceret. *Inepte explicat Seruius* viui *per diu viuendo. Mauult Heynius cum Heinsio legere* Quo Lycida. *Equidem non assentior. Describit enim Moeris cum dolore primo statum suum praesentem, qui factus sit, deinde respondet*: Nunc victi &c. O Lycida, viui peruenimus vt &c. *Sic explico, vt miserrimam suam sortem describat villicus, ad quam redactus omnia, tantum non vitam amiserit* cf. v. 16. *condicit vero optime haec res primo versui. Rerum ignarus (cf v. 7. cet.) Lycidas quaerit an velit haedum vendendum in vrbem portare. Respondet Moeris, valde immutatam esse fortunam illam.* * Georg. 2, 27. Viua plantaria *sunt quae radices habent.* cf. 30. siccum lignum. sua terra *est in ea, qua mater creuit.* * viuus amor i. *viui, opp. mortui amor*, Aen. 1, 725. Paullatim abolere Sichaeum incipit et *viuo* tentat praeuertere amore. Iam pridem resides animos desuetaque corda. *Eleg. vero h. l.* viuo amore; *a mortuo Sichaeo ad viuum Aeneam transfertur amor Didonis.*

VLTRO, *insuper, noch dazu.* Aen. 2, 145. His lacrymis vitam damus et miserescimus *vltro. Sic et alibi in Prosaicis auctoribus.* cf. Ernest. Clav. Cicer. * *de eo, qui alloquitur*

quitur aliquem ſtatim, non antea compellatus Aen. 2, 279. *vltro* flens ipſe videbar compellare virum et moeſtas exprimere voces. *Sic et ibid.* verſ. 372. * Aen. 12, 3. Se ſignari oculis *vltro* implacabilis ardet. conf. Aen. 12, 613. Dardanium Aeneam generumque adſciuerit *vltro.*

VLVLATVS, *vlulatu quaeſitus* Aen. 4, 609. Nocturnis Hecate triuiis *vlulata* per vrbes. *Referas ad id temporis quo a matre Proſerpina quaerebatur.*

VMBER Aen. 12, 753. Mille fugit, refugitque vias: at viuidus *vmber* Haeret hians iamque tenet. *Hi duo verſus ad verbum ſunt translati ex Apollonio* 11, 278.

VMBRARE, *vmbra tegere, noue, ni fallor, licet a poſterioribus ſcriptoribus vſurpatum, dixit poëta* Aen. 3, 508. Sol ruit interea, et montes *vmbrantur* opaci.

VNCVS: manus vncae *pro* vnguibus Aen. 3, 216. *de Harpyiis.* Virginei volucrum vultus, foediſſima ventris proluuies, *vnc*aeque manus, et Pallida ſemper ora fame. *Expreſſit poëta illis* manibus vncis *Homeric.* καμψωνυχας Iliad. π, 428. *et alibi. Sed quomodo placet tibi, o lector, deſcriptio? bene? et mihi bene. At quomodo placet* ventris proluuies foediſſima? *Voluit princeps Aeneas nominanda* ſordium effuſione foeda *Didoni placidam creare, vt prae taedio iret cubitum, quae iam diu audiſſet Troiana fata? An ſaporem principis Didonis tentare voluit? profecto non h. l.* proluuies ventris *deſcribitur. abſit, et aliae foeditatis lineae afferantur. cf. voc.* Virgineus.

VNDA, *de multitudine, quae ſe effundit: eleganter.* Georg. 2, 462. domus alta ſuperbis Mane ſalutantum totis vomit aedibus *vndam.*

VNDARE *de flammis non inſueta vox apud poëtas* Georg. 1, 472. Vidimus *vndantem* Aetnam, *flammas effundentem.* * *ſatis ad ſenſum expreſſum de arbu-*

arbuſtis leniter ſe inclinantibus fluctuum more, fluctuare Georg. 2, 437. et iuuat *vndantem* buxo ſpectare Cytorum, *hic ille mons Paphlagoniae buxo fertilis.* cf. natare. * Georg. 3, 28. *Vndantem* bello Nilum h. e. *aegyptiacae prouinciae, quae bello tument, quod parant.* cf. tumere. *Eleganter vero imaginem ſumit belli aegyptiaci (cum Cleopatra)* a Nilo vndante, *minitante, et quaſi vehementer irato.* * *ſuauiter* Aen. 2, 609. Saxa vides mixtoque *vndantem* puluere fumum. *in modum vndarum ſe attollentem.* * *eleg.* vndantia lora i. *large effuſa, immiſſa* Aen. 5, 146. Non ſic immiſſis aurigae *vndantia* lora concuſſere iugis, pronique in verbera pendent. *bene* concutere: *et illa verba,* proni in verbera pendent; *pingunt rem viuido penicillo. videre videris aurigam, dum vult caedere equos, ſe incuruantem, et flectentem, ita vt* pronus quaſi pendeat *in equos.* * *poëtice et cum virtute pingendi* Aen. 10, 908. haud inſcius accipit enſem, *vndant*ique animam diffundit in arma cruori. vndare *h. l. proſilire cum impetu vulneribus mortiferis ſanguis ſolet. bene et h. l.* diffundere animam. Aen. 12, 471. Ipſa ſubit manibusque *vndantis* flectit habenas.

VOCARE: *eleganter dicitur* vocare ventos, *qui volare incipit.* Vocare *vero eſt aduocare. Hinc* Georg. 3, 194. tum curſibus auras Tum *vocet* ac per aperta volans: *de alacri et furenti curſu equi dicitur, haud abſimili ratione ac aues* ventos vocare *dicuntur, cum ales expandunt ad volatum. pluribus illuſtrauit hunc locum* Burmannus. *Dixit Virgilius; tum non currit potius, tum auras petite Et his quaſi fertur.* * vocare in praedam Iouem Aen. 3, 223. ipſumque *vocamus* In partem praedamque Iouem *h. e. in partem praedae; et intellig. Iupiter dictus* praedatus, *cui* decima

pars praedae *de more deuouebatur, et dicabatur. Qui mos et hoc loco obseruatus* in praedae partem vocauit Iouem. *quia solemnia verba* carmina *in hoc ritu; inde* vocare Iou. &c. * *aduocare* Aen. 4, 303. Nocturnusque *vocat* clamore Cithaeron: *de monte, in quo bacchantes consistebant, alii aduocabantur.*

VOCATVS: inuocatio, preces. Aen. 12, 95. Vociferans: Nunc o numquam frustrata *vocatus* hasta meos.

VOLITANS, *substantiue pro musca, insecto*, Georg. 3, 147. Est lucos silani circa ilicibusque virentem Plurimus Alburnum *volitans*, cui nomen Asilo (*pro* Asilus.)

VOLVCRIS Eclog. 6, 42. Caucasiasque refert *volucres*que furtumque Promethei. *Nota poena Prometheï; de eo quod in plurali numero extulerit poëta, non omnino displicet illa suspicio* Cerdae *esse factum, quod ab aliis aquila, ab aliis vultur, narraretur, quam rem itaque dubiam hic reliquisset poëta* * aura Aen. 11, 795. Audiit et voti Phoebus succedere partem Mente dedit; partem *volucres* dispersit in auras. *bene* volucres *h. l. quibus euolant vota, effugiunt irrita*, cf. *voc.* Succedere.

VOLVERE, *exigere* Georg. 2, 295. Multa virûm *voluens* saecula. * *passiue* Georg. 1, 163. *voluentia* tarda (*i. e. tarde*) plaustra. *sic et Lucretius:* multaque per coelum solis *voluentia* lustra. *Subintelligunt* voluentia se. * voluere casus, *noue et eleg. quasi molem quandam.* Aen. 1, 13. Quidue dolens regina Deum, tot *voluere* casus — Impulerit. *Seruius explicat per hypallagen* volui casibus. * *de Parcis eleg.* Aen. 1, 26. sic *voluere* Parcas. *nam Parcae* voluunt *et nent fila. Graeci* νηθειν *et* κλωθειν, *voluere, glomerare.* * voluentibus annis, i. *volutis, vel se voluentibus* Aen. 1, 238. cf. Drakenb. ad Sil. Ital. 9, 645. *et ita* voluere *vel in Virgilio centies.* * *pro* euoluere Aen. 1, 266. *voluens* fatorum arcana mone-

monebo. *vide* Monere. *Sive potius* voluere *est hoc sensu accip. vt sit* enarrare, *quomodo fata voluantur. Ita occurrit etiam* Aen. 3, 107. Veterum voluens monumenta virorum. Monumenta virorum *sunt historiae. Adde* Aen. 3, 376. *et cet.* * voluenda dies Aen. 9, 7. Quod optanti Diuum promittere nemo Auderet *voluenda dies* en obtulit vltro, *i. aduoluta dies.* Cerda *interpretatur* voluens se, *et similia loca laudat.*

VOLVMEN, *de nodis illis, in quos se curuant sinuantes serpentes, saepissime quidem, at praeclara in comparatione pulchre* Aen. 11, 753. Saucius at serpens sinuosa *volumina* versat. *bene* versare volumina. *tota vero comparatio, vt solet Virgilius, expressa est ex Hom.* Iliad. μ. 200. sqq.

VOLVTARE, *verbum lectum ad indicandam cogitationem haesitantem, aut repetentem cogitata, huc et illuc versantem.* Aen. 1, 54. Talia flammato secum Dea corde *volutans.* * Aen. 1, 729. Fit strepitus tectis, vocemque per ampla *volutant* atria. *imitatus est Homerum*, Iliad. α, 472. sqq. et Odyss. α, 151. sqq.

VOMERE *bene de domo dicitur, qua glomeratim homines sese effundunt*, Georg. 2, 462. Ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis *vomit* aedibus vndam. *Hinc et* vomitaria *in spectaculis apud Latinos.*

VORARE, *de aqua procellosa eleg.* Aen. 1, 121. rapidus *vorat* aequore vertex. *sic Graec.* καταπιειν.

VRBS Georg. 1, 25. *Saepius de vrbe simpliciter vid. Burm. ad h. l.* cf. Horat. L. 3. Od. 24, 27. O quisquis volet impias caedes et rabiem tollere ciuicam; si quaeret pater *urbium* subscribi statuis.

VRERE Georg. 2, 56. Rami matris (*arboris Poloni*) crescenti adimunt foetus *vruntque* ferentem. *Eleganter* vrere; *putat* Heynius, *quia succum subducunt, ad-*

do, et ob exuberantes ramos pluuiam excipiunt, vt puluere exarescat. * *ardere, incendere amore* Georg. 3, 215. *Vrit*que videndo femina. * Georg. 2, 196. *Vrentes* culta capellae, *non rosio tantum caprarum, sed et saliua earum habebat, qua lambendo arbusta linirent, credo, quia acribus dentibus non modo corticem, sed et librum arboris demunt. Ita vero Plinius* 8, 50. Morsus caprarum arbori exitialis. Oliuam lambendo quoque sterilem faciunt. „ *atque sic quasi veneno arbores oblinire credebantur, quod vreret, morderet, siccaret.* cf. Georg. 2, 378. quantum illi nocuere greges durique venenum dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.

VRGERE, *imminere, instare, minari periculum* Georg. 1, 443. namque *vrguet* ab alto Arboribusque satisque notus pecorique siniſter. h. e. *noxius.* * *premere, obtegere* Georg. 2, 352. iamque reperti Qui saxo super atque ingentis pondere testae *vrgerent.* * *protrudere se* Georg. 3, 200. longique *vrguent* ad litora fluctus. * *attingere, de vicinitate,* Georg. 4, 290. quaque pharetratae vicinia Persidis *vrguet* h. e. *quae Aegypto Persis est contermina. Quas super hoc gessere lites docti viri, quasque indicat* Burmannus, *cauere omnes nunc possumus, cum expositum satis est a* Burm. *et* Heynio, *Persis hic esse Parthorum regnum, e vulgari consuetudine inter poëtas sic dictum; hinc pharetrata Persis, Parthi vero illa arte insignes. Aliam verborum vinctvram et sensum constituere expertus est* Heynius, *qui* vicinia *dicta h. l. a vicinium putat, ita coniungendum:* quaque amnis vsque a coloratis Indis deuexus h. Nilus pharetratae vicinia, *vicina loca, fines* Persidis vrguet h. e. *ab orientali Aegypti parte, seu versus ostium Nili peluſiacum. Indicauit iam illum*

illum sensum Pomponius Sabinus, *et probo. habet* vrgere *hic semper notam adiunctam noxae, siue sit a Parthis siue a flumine inundante et aestuante.* * Aen. 1, 115. Tres Eurus ab alto in breuia et Syrtes *vrget, pellit, ac deinde allidit, vt haereant. vox signans! vide* Breuia. * *alacrem reddere, irritare* Aen. 9, 73. Tum vero incumbunt: *vrget* praesentia Turni.

VT *admirantis seu dolentis particula* Ecl. 8, 41. *vt vidi, vt perii, vt me malus abstulit error!* Vt vidi, *de tempore intelligunt alii, forte melius est admirantis, qui memor illius temporis, tam cito amore flagrasse adhuc dum miratur. vid. Theocrit.* 3, 42. ὡς ἰδεν ὡς εμανην ὡς εκ βαθου ἀλλετ' ἐρωτα! conf. Hor. od. 3, 25, 12. *vt* mihi deuio ripas et vacuum nemus Mirari libet! * *pro* vbi Aen. 5, 329. caesis *vt* forte iuuencis Fusus humum (*sanguis*) viridesque super madefecerat herbas. *sic certe Cerda aliique, et Burmannus, explicant. sed male! ego intelligo, ita, vt fusus erat sanguis, vbi es so da lag. plura loca, in quibus* vt *pro* vbi, *affert affatim ad h. l.* Cerda. *Sed* vt *eodem sensu, quo ego explicui, iterum occurrit eodem libro* Aen. 5, 388. Proximus *vt* viridante toro consederat herbae. *melius sentitur quam explicatur vis voculae. eleg. autem* viridante toro herbae!

VVIDVS Ecl. 10, 20. *Vuidus* hiberna venit de glande Menalcas. *Quod inter* humidum *et* vuidum *constituunt discrimen, non semper obseruatur a poetis, vt h. l. non enim pertinet ad inteterius quid et oppido ineptit* Cerda, *qui hic de pinguedine Menalcae glandibus cum suis ouibus pasti lepide commentatur. Quanto melior ille, qui multa doctrina non sensum abnegat suum,* Heynius *in comment. ad h. l. de subul-*

co, inquit, Menalca loquitur poeta, qui modo de nocte in siluis glandibus ad pastum gregis hibernum legendis vacarit. Hinc vuidus *a rore matutino.* * Georg. 1, 418. Iupiter vuidus (*sic enim legendum, vid. Burm.*) *aer.* mobilem *vocat* coeli humorem *in antecedd.*

VVLGVS, *bene de grege ceruorum opp. ductoribus maioribus ceruis* Aen. 1, 194. tum *vulgus* et omnem Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.

VVLNVS *pro* telo *positum omnes putant interpretes* Aen. 2, 529. Illum ardens infesto *vulnere* Pyrrhus Insequitur. *Sed ego, quia non rudis poëtici sermonis mihi videor,* infesto vulnere *simpliciter intelligo,* illum infesto vulnere sauciatus, *aut simile quid* ardens Pyrrhus Insequitur. *Placetne interpretatio? Sed* vulnus *pro* telo *occurrit* Aen. 7, 533. *et* 10, 140. *et* 12, 376. *non vero* Aen. 2, 436. vulnus *est* telum, *sed* vulnere tardus Vlyssis *est aeger, et fessus ex vulnere, propter vulnus ab Vlysse infixum.*

VVLTVS *eleg. de mari* Aen. 5, 848. Mene satis placidi *vultum* fluctusque quietos Ignorare iubes. *mutabilitatem interpretatur* Seruius; *vero Oratio illa digna Palemio, gnaro tempestatum, ventorumque mutabilitatis.*

FINIS.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Quo plura in hoc libro esse suspicamur, partim operis debita, partim humanitati, cui, praesertim in tali molesto opere, fas est obrepere somnum; eo minus sedulo nobis ipsis quaerenda esse duximus, et maleuolentiae detegenda. Fidimus comitati et aequitati lectorum; adeoque modo notamus, omnia quae dicta in voc. *Sesquipedalis*, *siniſtre huc tralata delenda esse*. Cumprimum poterimus, accuratam huius libri et diligentem emendationem in singulari *Appendice* exhibebimus. Cum ipsa temporis angustia nos nunc inde arceret, sequentes operarum errores in I. Parte Clauis, corrigere placuit.

pag.	sect.	lin.	pro — lege —,
3.	1.	5.	— dictis — dicta
7.	1.	20.	post coepit del. punctum
8.	2.	17. 18.	*omnes veneres sensus est.* lege: sensus est, omnes veneres.
11.	2.	29.	pro *odis* l. odisti.
12.	1.	9.	post *vt* del. punctum.
13.	1.	15.	pro *posit* l. *posuit.*
—	2.	31.	— causa — causam
25.	2.	35.	— enises — enisus
28.	2.	7.	— tutetus — tutetur
—	—	16.	— futua — fatua
35.	2.	27.	— simile — similis
36.	1.	16.	— vtilitate — vtilitati
37.	2.	vlt.	— facile — facie
80.	2.	31.	dele voc. CRESSVS.

pag.

pag.	sect.	lin.	pro — lege —
314.	1.	30.	post verba *Simon. Ser. supple:* H. 1, 1, 33.
—	—	33.	l. διηελλαν
315.	1.	9.	l. Chaerea
—	—	21.	pro *eidem* l. *ei dem*
—	—	26.	l. intellexerit
—	—	35.	pro *respondeam. Recte* l. *respondeam: Recte*
316.	2.	14.	l. Quid huc reditio est!
—	—	15.	l μακρολογία
—	—	16. 17.	pro *reducti:* l. *rediisti*
—	1.	5.	l. accusarat
—	—	11.	l. permouere
—	—	22.	l. luminosa
—	—	27.	l. partem
317.	2.	1.	pro religere l. relegere.
—	—	20.	pro RELIGIO, lege RELIGIONEM.

Cd. 1709. 8

ULB Halle 3
006 354 173

m. c.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650014-p0671-5

CLAVIS
POETARVM CLASSICORVM
PARS POSTERIOR.

SIVE

INDEX
PHILOLOGICO-CRITICVS

IN

OVIDIVM ET VIRGILIVM,

MINORI FORMA

IN ORPHANOTROPHEO HALENSI

IMPRESSOS.

AVCTORE

GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH.

HALAE

SVMTV ORPHANOTROPHEI

MDCCLXIX.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650014-p0673-7